00048642



Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 04 January, 2016

Latin

P. E. IABLONSKII

OPVSCVLA.

TOMVS II.

PAVLI ERNESTI IABLONSKII

OPVSCVLA,

QVIBVS

LINGVA ET ANTIQVITAS AEGYPTIORVM,
DIFFICILIA LIBRORVM SACRORVM LOCA
ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE CAPITA
ILLVSTRANTVR;

MAGNAM PARTEM NVNC PRIMVM IN LVCEM
PROTRACTA, VEL AB IPSO AVCTORE
EMENDATA AC LOCVPLETATA.

TOMVS SECVNDVS.

EDIDIT ATQVE ANIMADVERSIONES ADIECIT

IONA GVILIELMVS TE WATER.

4074
48642
Vol 2
Sx f 36 II
LIBRARY OF THE BOMBAY

LVGDVNI BATAVORVM
APVD A. ET I. HONKOOP.
MDCCCVI.

ORL
Lat 021
9ab/OPV
48642

ERVDITO LECTORI

S. P. D.

IONA GVILIELMVS TE WATER.

Praeter libellos, ad Antiquitatem et Geographiam Aegyptiacam pertinentes, ab Auctore diligenter emendatos auctosque, et disputationes quasdam de locis Sacri Codicis difficilioribus, itidem recognitas et locupletatas, continentur altera hac Opusculorum parte animadversiones et emendationes, quas exemplo Panthei Aegyptiorum ac Prolegomenorum *Iablonskius* sua ipse manu adscripsit. Codicem istum cum non ita diu a domino, ad quem pervenerat, in Germania aere meo mihi comparassem, nolui hoc operis doctissimi auctarium mihi asservare, atque ab eius usu excludere eruditos. Oblatam occasionem tempore admodum opportuno redimendi *curas* istas *secundas*, ad quas *Iablonskius* aliquoties in Glossario Aegyptiaco lectores

reiicit, gratus laetusque accepi, neque eas cum Pantheo contuliſſe, ut opinor, quempiam poenitebit. Haud difficulter meum probetur conſilium, quo factum eſt, ut et pauciores et plerasque breviores huic parti apponerem annotationes, aut in ipſa Auctoris oratione uncinis [ ] incluſas, aut in ima paginarum parte hoc ſigno (*) notatas.

Per mihi gratum fecere docti homines in Patria mea et Germania, qui, quamvis *Iablonskiana* omnia ipſis non placuiſſent, editionem Opuſculorum viri praeclare excellentis calculo ſuo comprobarent, civibusque ſuis de meliori nota commendare haudquaquam dubitarent.

Reliquae diſputationes de locis Librorum Divinorum difficilioribus, atque libelli ad Antiquitatem et Hiſtoriam Eccleſiaſticam Chriſtianorum ſpectantes, ut brevi poſt in lucem promantur, ſedulam navabo operam. Vale ac fave.

Scripſi in Academia Lugduno Batava, d. 28 Octobris a. 1806.

TO-

TOMO HOC SECVNDO
CONTINENTUR

Remphah, *Aegyptiorum Deus, ab Israëlitis in deserto cultus.* pag. 3 — 72.

Dissertationes octo de Terra Gosen. pag. 75 — 224.

Specimen novae interpretationis Tabulae Bembinae, *vel, uti vulgariter vocatur,* Isiacae. pag. 227 — 242.

Coniectura in clausulam eiusdem Tabulae, *de festo Osiridis inventi, et de die, in anno Aegyptiorum, festo huic proprio.* pag. 243 — 273.

Commentatio de diebus Aegyptiacis, *in vetusto* Kalendario Romano *commemoratis.* pag. 274 — 308.

Ob-

Obſervationes, quas ipſe Iablonskius *adſcripſit exemplo* Panthei Aegyptiorum, *nunc primum ex autographo editae.* pag. 311 — 354.

Diſſertatio de Redemtore ſtante ſuper pulverem, *ad locum* Iobi XIX. 25 *illuſtrandum.* pag. 357 — 392.

Exercitatio de genuina et propria ſignificatione τῆς Διαθήκης *in ſcriptis Novi Teſtamenti.* pag. 393 — 423.

Exercitatio de verbo otioſo, *cuius ratio in iudicio Divino reddenda eſt, ad* Matth. XII. 36. pag. 424 — 457.

Exercitatio de ſalſura ignis aeterni, *ad* Marci IX, 49. pag. 458 — 485.

REMPHAH.

REMPHAH,

AEGYPTIORVM DEVS,

AB ISRAELITIS IN DESERTO CVLTVS,
NVNC EX LINGVA ET ANTIQVITATE AEGYPTIACA ERVTVS ET ILLVSTRATVS.

AMPLISSIMO ET CELEBERRIMO

VIRO

MATVRINO VEYSSIERE LA CROZE,

AVGVSTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS, A BIBLIOTHECA ET ANTIQVITATIBVS,

S. P.

AVCTOR.

Non gravaberis, Vir Celeberrime, ſepoſitis tantiſper melioribus libris et occupationibus, quibus aſſuetus es, oculos Tuos in haſce pagellas convertere, iisque perluſtrandis horam unicam impendere. Ipſum namque argumentum huiusmodi eſt, ut, ſi in manus hominis, et ingenio et eruditione plus valentis, incidiſſet, Tibi antiquitatum Aegyptiacarum ſtudioſiſſimo, et vero Linguae Aegyptiacae inſtauratori, gratum eſſe poſſit. Et ſi ſummam totius rei, quam iſthac mea opella illuſtrare conatus ſum, mecum perpendo, Te in ſententiam meam pedibus iturum eſſe, tanto certius confido, quod ante hos iam quatuordecim annos, ſi bene memini, ex-

explicationem meam vocis REMPHAH calculo Tuo comprobaveris. De aliis, quae inter legendum forſitan Tibi ſeſe obiicient, quae punctum omne non tuliſſe videbuntur, operoſe excuſandis ſollicitus non ero. Neque enim Te fugit, rarius mihi, cum Graecis aliisque literis elegantioribus, nunc, quam olim, intercedere poſſe commercium; neque mihi obſcura eſſe poteſt prolixa Tua in me voluntas et benevolentia, cujus tot, etiam publica, teſtimonia extare voluiſti; ut nihil commemorem de aequitate Tua, deque favore, quo omnes, qui de literis bene mereri ſaltem cupiunt, proſequi ſoles. Ego, etſi me ſeverioribus et ſanctioribus ſtudiis Theologicis totum tradiderim, literis tamen hiſce Aegyptiis, quas Tuo hortatu, Tuo ductu, Tuis auſpiciis, non mediocri ardore tractare et excolere coepi, horas nonnullas ſubceſivas tanto libentius indulgeo, quoniam illae memoriam Tuae conſuetudinis iucundiſſimae, plurimarum rerum, quas a Te didici, et otii literarii ſuaviſſime quondam Tecum exacti, renovare ſolent. Accipe igitur eo animo primitias haſce ſtudii mei Aegyptiaci, quo Tibi ego illas conſecratas eſſe volo. Tibi certe maximo iure debentur. Tu vero, quod unum abs Te mihi expeto, eodem amore, quo me olim praeſentem complexus es, nunc locorum intervallis a Te ſeiunctum, porro dignare. Dabam Francofurti ad Viadrum Kal. Junii MDCCXXX.

REMPHAH,

AEGYPTIORVM DEVS (*).

§ I.

Inſtituti ratio. Ordo dicendorum.

Locum illuſtrare aggredior Amoſi, a ſanctiſſimo protomartyre Stephano repetitum in oratione ad Iudaeos, quae in Actis Apoſtolorum habetur, locum inquam, ſi quisquam alius in S. Codice, explicatu difficilem, et de quo, etſi ingenia praeſtantiſſimorum interpretum non leviter exercuerit, etiamnum dici poſſe reor, quod vir κριτικώτατος, *Lud. de Dieu*, in commentario ad Actor. VII. 43, cum ad difficultates huius loci enarrandas perveniſſet, ſuo tempore pronuntiare veritus non eſt: *Vox* Ῥαιφὰν, *vel* Ῥεμφὰν, *vel* Ῥομφᾶ etc. *quid ſibi velit, hactenus nemo ſatis explicavit.* Vsque adeo enim obſcura eſt Numinis huius Ῥεμφὰ, cuius ex Amoſo Stephanus protomartyr mentionem facit Actor

VII.

(*) Conf. annotatio tom. I pag. 230, 231, et *I. C. Harenbergii* ad Amoſi cap. V, p. 1—324.

VII. 43, memoria, ut commentatores invenias, eosque nec numero paucos, nec eruditione cuiquam poſtponendos, qui Numen aliquod *Remphah*, in rerum natura unquam fuiſſe, negent, quique ex *Kiun*, vel *Kevan* Amoſi, per oſcitantiam aut interpretum Graecorum, aut librariorum, corruptum vocabulum Ῥεφὰν prodiiſſe, ſibi perſuadeant, nobisque idem perſuadere conentur. Facile autem fuiſſet viris eruditiſſimis, et errorem hunc, de quo dixi, vitare, et lites omnes, quas Amoſi et Stephani verba ſuppeditarunt, componere, ſi linguam Aegyptiacam, a *Claudio Salmaſio* excoli coeptam, ſed, poſt (*a*) *Bocharti* iudicium non adeo honorificum, vulgo ſpretam et neglectam, in conſilium adhibere dignati fuiſſent. Numen enim illud, de quo hanc praeſentem diſputationem inſtituimus, Aegypto natales ſuos debere, interpretum plurimi ultro agnoſcunt, idque, uti mox probabimus, ipſis S. Scripturae indiciis luculentiſſimis confirmatur. Operae itaque pretium eſſe exiſtimavi, ea, quae ad illuſtrandum Numen hoc obſcuriſſimum ex lingua Aegyptiorum conferri poſſunt, eruditorum examini ſubiicere, ut palam fiat, quantum ſubſidii, ad explicanda non pauca S. Scripturae loca, ex linguae Aegyptia-

(*a*) In Geogr. Sacr. Part. I Lib. I c. XV col. 60: *Hodie Coptorum Dialectus multo plura habet Graeca vocabula, quam Aegyptia.* Adde eumdem in Opuſculis col. 830. et ſeqq. ubi argumentum hoc prolixe pertractatur. Verum affirmare non vereor, inter omnes explicationes vocum Aegyptiacarum, quas illic *Bochartus* ex lingua Hebraica nobis offert, vix unicam eſſe veram et ſolidam. Idem omnino de omnibus ſimilibus virorum eruditorum conatibus dicendum eſt (*).

(*) Plura dixit *Iablonskius* tom. I Opuſc. p. 208, 209, ubi obſervatio mea poteſt comparari.

tiacae, vel, uti nuncupari ſolet, Copticae, ſtudio ſperari poſſit, utque una eademque opera bonam fidem, quinimo eruditionem Graecorum interpretum, in loco Amoſi transferendo, vindicem, ac denique ipſi illi hiſtoriae, quam Amoſus et Stephanus commemorant, aliquid lucis inferam. Vt vero pede inoffenſo in hoc curriculo progrediar, ea omnia, quae difficultatem aliquam pariunt, et de quibus viri eruditi hoc loco diſceptant, attingam, ſed quam potero breviſſime, quaeſiturus: I. Quid de verſione verborum Amoſi Graeca LXX interpretum, quam Stephanus ſecutus eſt, in univerſum cenſendum ſit. II. Vtrum cultus ille, quem ab Iſraëlitis Molocho et Remphae exhibitum eſſe teſtantur Amoſus et Stephanus, fuerit cultus vere externus, certis ſuis ritibus, idolum hoc reſpicientibus, conſtans. III. Num LXX interpretes vertendo Ῥεμφὰ, aut Ῥηφὰν, errorem commiſerint, vocemque hanc ex כִּיּוּן Hebraica, non recte lecta, corruperint. IV. Vtrum vero Ῥεμφὰ ſit potius vox Aegyptiaca, et quid illa ſibi velit.

§ II.

Verba Amoſi V. 25 *Hebraica expenduntur, et cum verſione* LXX *interpretum conferuntur. Quomodo Israëlitae in deſerto Deo non obtulerint ſacrificia. Comma* 26 *cap.* V *Amoſi expenditur. In verſione* τῶν LXX *interpretum transpoſitio verborum notanda, illiusque ratio.*

Priusquam de *Rempha* ſpeciatim, et quidnam iſtud nomen ſibi velit, ſententiam meam proferam, res ipſa requirere videtur, ut Amoſi verba, quae omne rei, de qua agimus, fundamentum continent, paucis conſiderem, et cum Graecis conferam. Verba Amoſi, ad quae reſpicimus, hunc in modum concepta leguntur

cap. v com. 25, 26, הזבחים ומנחה הגשתם לי במדבר ארבעים שנה בית ישראל: ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם: Comma 25 ita ab omnibus redditur: *An ſacrificia et munus mihi obtuliſtis in deſerto quadraginta annis, domus Israël?* Et ſic (*b*) fere LXX, Μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι, οἶκος Ἰσραὴλ, τεσσαράκοντα ἔτη ἐν τῇ ἐρήμῳ. Quae ad verbum ex hac verſione repetuntur in oratione Stephani ad Iudaeos, Act. VII. 42. Cum autem ſenſus verborum Amoſi hic ſit (*c*): *Iſraëlitas in deſerto per quadraginta annos Deo ſacrificium non obtuliſſe*, non levis hic nobis obiicitur difficultas. Quid enim, dices, an populus Iſraëliticus, recens a Deo in Rempublicam peculiarem formatus, de cultu, de ſacrificiis ſigillatim, eorumque ratione omni et modo edoctus, duce rerum omnium et auſpice Moſe, Deo non ſacrificaſſet in deſerto? Satis bene, et ad rem prorſus accommodate reſpondent (*d*) viri eruditi, (1) Leges de ſacrificiis, eorumque ordine et modo, eo fine a Deo Iſraëlitis datas fuiſſe, ut non tam in deſerto, quam in Canaane obſervarentur, adeoque in deſerto fere fuiſſe neglectas. (2) Sacrificia in deſerto, non eo, quo decebat, modo, Deo oblata fuiſſe, quare non maiorem eorum rationem Deus habuit, quam ſi plane intermiſſa fuiſſent. Similem fere in modum Deus populum Iſraëliticum alloquitur Ieſ. XLIII. 23, *non obtuliſti*

(*b*) Non abs re tamen *Grotius* obſervat, verba haec ex interpretatione Graecorum talem fundere ſenſum: *An non mihi hoſtias et ſacrificia obtuliſtis?* tanquam concederet Deus, Iſraëlitas in deſerto ſibi ſacrificia ſemper obtuliſſe, quod re ipſa menti Vatis Sacri repugnat.

(*c*) Vide *Vitringae* Obſervat. Sacr. Lib. II cap. I. § 3.

(*d*) *Druſius* in Annot. ad Amoſ. v. 25. *Liveleus* ibid., *Braunius* Select. Sacr. Lib. IV c. IX § 163.

liſti mihi pecudes holocauſtorum tuorum, nec me ſacrificiis tuis honoraſti. Quibus in verbis illa ſacrificia ſibi non oblata eſſe, teſtatur Deus, quae recte oblata, adeoque grata eſſe poterant. (3) Rationem deſerti etiam non permiſiſſe, ut hoſtiae omnes, in Lege praeſcriptae, Deo ſiſterentur, dum illic haerebant Iſraëlitae. Non enim tantus in deſerto erat animalium proventus, ut ſacrificiorum legibus commode ſatisfacere poſſent. Comma, quod apud Amoſum ſequitur, 26 in verſione *Franciſci Iunii* et *Tremellii* ita redditum legitur: *Imo portaſtis tabernaculum Meleci veſtri, et baſin imaginum veſtrarum, ſidus dei veſtri, quae feciſtis vobis.* Vbi notabis, verba illa, quae *Tremellius* vertit; *Meleci veſtri* i. e. *Molochi*, Ammonitarum idoli celeberrimi, poſſe etiam, et forte commodius, reddi: *regis veſtri*, ut מלך hic ſit nomen non proprium, ſed appellativum. Quando praeterea idem *Tremellius* verba haec כיון צלמיכם tranſtulit; *baſis imaginum veſtrarum*, in cuius ſententiam alii quidam etiam concedunt, interpretum longe plurimi כיון pro nomine proprio idoli cuiuspiam habent, eaque verba ſic vertunt: *Kiun, imagines veſtras.* Non meum eſt, lites haſce diiudicare, ne in nimium excreſcat haec Exercitatio, tametſi pro ratione inſtituti quaedam huc ſpectantia in ſequentibus delibabuntur. Si itaque plurimorum interpretum rationes probamus, uti certe non improbamus, verba Amoſi Hebraica hunc in modum quam optime reddentur: *Imo portaſtis tabernaculum Molochi veſtri, et Kiun, imagines veſtras, ſtellam deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis.* Verſio τῶν LXX Graeca h. l. ita ſonat: Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφὰν, τοὺς τύπους αὐτῶν, οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς. In qua LXX interpretum verſione viri docti transpoſitionem quamdam

verborum notant. Nam cum verba, uti ab interpretibus Graecis capiuntur, hoc ſitu et ordine legantur in Codice Hebraico: *Et portaſtis tabernaculum Molochi veſtri, et Kiun, imagines veſtras, ſtellam deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis*, illi ſic transtulerunt textum, tanquam in exemplaribus ſuis legiſſent: *Et portaſtis tabernaculum Molochi veſtri, et aſtrum dei veſtri Kiun*, (vel *Rémphae*) *imagines illorum, quas feciſtis vobis.* Transpoſitionis iſtius vera ratio difficulter indicari poteſt. Forte LXX verba Amoſi aliter ceperunt, quam cepiſſe eos hactenus credidimus. Forte exiſtimarunt, verba Amoſi, per ſe nonnihil obſcura, hac transpoſitione clariora evadere. Certe et alios interpretes in ordine et ſitu verborum ab Hebraico textu diſcrepare, ab eruditiſſimo *Spencero* obſervatum videmus, de Legibus Hebr. Rit. L. III Diſſert. I cap. III p. 39. Et quamvis ingenioſa ſint, quae in hoc negotio celeberrimus *Vitringa* protulit, Obſervat. Sacr. L. II cap. I § 5, mihi tamen cumprimis placet *Spenceri* epicriſis, quam l. c. pag. 40. reperies in haec verba: *Satis exemplis hiſce declaratum eſt, vel horum verborum ordinem mobilem et in dubio poſitum eſſe, vel interpretes ea pro lubitu transmutaſſe, ut nodo vel difficultate aliqua ſeipſos expedirent, et ſenſum elicerent (eorum iudicio) magis expeditum et cohaerentem.* In oratione Stephani Martyris, qualem Lucas Evangeliſta eam in commentarios retulit, verſio τῶν LXX retinetur, inque ea nihil mutatur, niſi quod verbis iſtis, quae in verſione τῶν LXX leguntur, τοὺς τύπους, οὓς ἐποιήσατε, explicationis gratia, haec addita legamus: Προσκυνεῖν αὐτοῖς, de quibus pauca monendi ſtatim nanciſcar occaſionem.

§ III.

§ III.

Molocho et Remphae Israëlitae in deſerto cultum vere externum exhibuerunt: quod rationibus nonnullis probatur, et minus recte a viris quibusdam doctis negatur; quorum ſententia examinatur.

Quomodocunque autem verba Amoſi Hebraica conſtruantur, id ſaltem liquido omnes intelligunt, Amoſum, et verbis ejus Stephanum, Iſraëlitis in deſerto Arabiae viventibus hoc exprobrare, ipſos idolis Gentium, *Molocho*, *Kiun*, *Remphae*, cultum exhibuiſſe, non modo internum mentis, ſed et externum, certis eumque in finem conſtitutis cerimoniis circumſcriptum. Quid enim aliud cogitare nos patitur oppoſitio illa inter cultum, qui vero Deo, per ſacrificia ab eo ipſo praeſcripta, debetur, neglectum, et cultum idolis gentium exhibitum? An non ad cultum externum pertinet, aediculas, ſtellas et ſimulacra idolorum circumgeſtare, quod diſertis verbis Amoſus et Stephanus commemorant? Sed quid, quaeſo, diſertius hanc in rem dici poteſt eo, quod ſanctus Stephanus ad illuſtrandum hocce argumentum addit, omnia haec, quae Amoſus Iſraëlitis exprobrat, ab ipſis facta fuiſſe εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτοῖς, *ut Numina illa cultu religioſo venerarentur*, atque eos in his *ſerviiſſe exercitui coelorum.* Fuerunt tamen (*e*) viri eruditiſſimi, qui haec Amoſi et Stephani verba non proprie, ſed figurate eſſe accipienda cenſerent. Quorum ſi ſubſcribimus ſen-

ten-

(*e*) *Tremellius* et *Franc. Junius* annotat. in Amos. v. 26. *Piſcator* in notis ad eumdem locum. *Coccejus* in h. l. et in Act. VII. 43. *Lud. Cappellus* in locum hunc poſteriorem. *Spencerus* de Legibus Hebr. L. III Diſſ. I c. III p. 32. et 40.

tentiae, dicere nihil aliud Iſraëlitis, niſi hoc, voluerunt viri θεόπνευσοι, *Portaſtis quidem tabernaculum Dei vivi, eique miniſtraſtis externo ritu, interea autem re ipſa animis Molochum, aliosque Gentium deos coluiſtis.* Sed quo minus hanc eruditiſſimorum hominum interpretationem admittere poſſimus, plurimae obſtant eaeque graviſſimae rationes. Primo enim, in illis ipſis locis, quae jam diſcutimus, doctores θεόπνευσοι conceptis verbis teſtantur, ſicuti jam monuimus, Iſraëlitas ſerviiſſe exercitui coelorum, i. e. aſtris, et haec ipſa adoraſſe; adhaec teſtantur, eos idolorum, quae *regum* nomine paſſim veniunt, tabernacula et ſtellas geſtaſſe, et deos ſibi factitaſſe; quae certe non nudam aliquam mentis propenſionem ſignificant, ſed cultum externum ejusque ritus ſolemnes manifeſto produnt. Et haec quidem omnia opponuntur ritibus verum Deum colendi, ab ipſo Deo praeſcriptis. Notari inſuper meretur, quae eſt obſervatio ſagaciſſimi *Vitringae* Obſervat. L. II c. I §. 12, illa ſancti Stephani locutio de Iſraëlitis in deſerto, Act. v com. 42, Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, καθὼς γέγραπται ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν. Vix quisquam dubitabit, qui omnia haec aequa lance expenderit, quin veriſſimum ſit, quod *Lud. de Dieu*, in notis ad h. l., timidius nonnihil, et poſt eum *Vitringa* confidentius aſſeruerunt, verba haec: ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς, Hebraiſmum continere, et proinde ſic reddenda eſſe: *Rurſus tradidit eos Deus, ut ſervirent exercitui coelorum*, i. e. *Sivit Deus eos ſervire exercitui coelorum.* In antecedentibus vir ſanctus dixerat de μοσχοποιΐᾳ, *vituli aurei formatione et cultu*, quae μοσχοποιΐα omni procul dubio cum cultu ſolemni et ritibus externis conjuncta fuit. Tale quid, permittente Deo, Iſraëlitas poſthaec iterato feciſſe, verbis non ambiguis idem teſtatur. Ex quo dilucide appareret, ſanctum hunc Martyrem loqui de cultu, qui, ſi

ri-

ritus externos ſpectes, non vero Iſraëlis Deo, ſed Molocho et Remphae, Gentium idolis, a perverſo et beneficiorum Dei immemore populo oblatus fuerit. Pluribus haec et alia urget *Vitringa*, cuius ſolidiſſima argumenta, ſi quidquam ego iudico, rem extra omnem dubitationis aleam in tuto collocant. Mihi, poſtquam paucis oſtendi, *Remphae* et *Molocho* verum ab Iſraëlitis cultum fuiſſe praeſtitum, ad ſummum huius Diſſertationis caput pergendum, atque diſcutiendum eſt, quisnam fuerit *Remphah*, quem Iſraëlitae in deſerto coluerunt.

§ IV.

Idolum ab Iſraëlitis in deſerto cultum Graeci interpretes vocant Ῥεμφά. *Quam vocem quidam ſuſpicantur eſſe corruptam ex Hebraica* כִּיּוּן.

Numini illi, quod ab Iſraëlitis in deſerto cultum fuiſſe, Amoſus et poſt hunc Stephanus referunt, nomen fuiſſe *Remphae*, LXX interpretes memoriae prodiderunt. Ita enim illi verba Amoſi in Graecum ſermonem converterunt, Ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφάν. Quorum verſionem retinuit Stephanus Martyr, aut Lucas, orationem eius ad Judaeos habitam nobis referens Graece; Actor. VII. 43, Ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν. .. Quibus in locis cum in ſcriptura nominis, Ῥαιφὰν vel Ῥεμφὰ, admodum inter ſe diſcrepent libri et editi et manu exarati, quaenam ſit vera peregrini huius nominis lectio, in ſequentibus indagabitur. Hic vero, antequam ipſam vocabuli huius interpretationem moliamur, eorum excutienda nobis venit hariolatio, qui *Remphan* vere fuiſſe Numen negant; qui illud nuſpiam gentium vel ado-

adoratum, vel etiam cognitum fuiſſe, aſſeverant; qui per ſolam Graecorum interpretum oſcitantiam, loco τοῦ כיון legentium in textu Hebraico ריון, Numen hoc alias inauditum, ſubito nobis productum fuiſſe, pro certo habent. Primus, quod ſciam, *Druſius* hanc ſuam coniecturam eruditis expendendam propoſuit in comment. ad Act. VII. 43: *In textu Hebraico eſt* כיון, *quod olim, cum apices abeſſent, legi poterat* Chevan, *inde* Revan, *et* Rephan, *et cum epentheſi* Remphan. *De facili autem* ר *in* כ *mutatur, et contra.* Confer eumdem in Amoſi v. 26. Videas tamen *Druſium* de eo dubitare, ſitne error ille, qui, ut ipſi videtur, verſionem Graecam occupavit, in verſionis illius auctores, an vero in librariorum negligentiam reiiciendus. *Druſium* alii ſequuntur, interque eos celeberrimus et perſpicaciſſimus *Vitringa*, qui *Druſii* ſententiam nuper non modo ſuam fecit, ſed et argumentis aliquot, ſi non veris, ingenioſis tamen, ut ſolet, propugnavit. Quibus quantum roboris et virium inſit, iamiam inquiremus. *Seldenum*, rerum harum, ſi quisquam alius, maxime idoneum iudicem, in ſententiam ſuam pertraxiſſet *Druſius*, niſi illum religio retinuiſſet. Poſtquam enim *Druſii* ſententiam, et quae pro ea dici poſſe exiſtimabat, attuliſſet, de Diis Syris Synt. II c. XIV, hanc epicriſin ſubdit: *Sed piaculum eſto, tale quid de iis, qui Spiritu S. dictante, ex Vet. Inſtrumento ad rem Chriſtianam promovendam, quid adduxere, ſtatuere.* Equidem ratio illa, quam vir ſummus adducit, Lucam dictante Spiritu S. vocem Ῥηφὰν, vel Ῥεμφὰ ex LXX interpretibus repetiiſſe, adeoque nec in Actis Lucae, nec in verſione τῶν LXX huius loci, errorem cogitari poſſe, mihi hoc in loco tanti non videtur. Si ageretur de veritate aliqua doctrinae Coeleſtis, a iudicio *Seldeni* recedere, omnino religioni nobis duceremus. Sed quaeritur de nomine idoli, Stephano non minus, quam

au-

auditoribus eius, Iudaeis illius aevi, ignotiſſimi, quod quomodo pronuntiaretur, perinde erat, et ad ſcopum S. Martyris nihil faciebat, quodque Lucas, uti in verſione LXX interpretum ſcriptum reperiit, ſine mutatione retinuit. Si omnino error aliquis in nomine proprio incognito contigiſſet, error eſſet non Lucae, ſed Graecorum interpretum. Plura hanc in rem eleganter obſervavit clariſſ. *Vitringa* Obſervat. L. II c. 1 §. IX, quae apud ipſum legi velim.

§ V.

Ratio Cl. Vitringae *prima examinatur. Probari non poteſt, veteres Iudaeos* כִּיּוּן *pronuntiaſſe* Kevan. *Si* כִּיּוּן *pronuntiatum fuiſſet* Kevan, *inde tamen* Ῥεμφὰ *per corruptionem enaſci non potuit.*

Quae vir idem celeberrimus pro ſua et *Druſii* ſententia attulit, ſine examine dimitti non poſſunt. Primo enim oſtendendum, et in tuto collocandum eſt, interpretes Graecos ſphalma neutiquam commiſſiſſe, *Remphah* verum eſſe idoli nomen, ut interpretaturis nobis illud, fidem conciliemus. Probabilem autem vir doctiſſimus, aut potius, ut ipſe loquitur, Obſervat. L. II c. 1. § 9. *ſolidam*, putat eſſe *Druſii* coniecturam, 1. Quia, ſi ipſum audimus, vox Hebraica apud Amoſum, quae hodie a Maſorethis ſic reperitur punctata כִּיּוּן *Kiun*, vel *Kijun*, a veteribus ut plurimum lecta et pronuntiata fuerit כַּיְוָן *Kevan*, unde facile *Revan*, et *Rephan*, et *Rempha* enaſci potuerit. Ego vero neſcio, utrum hoc, quod ſibi concedi poſtulat vir eruditus, alii ita facile ſint largituri, primitus vocabulum illud non *Kiun*, ſed *Kevan*, in S. Codice lectum et pronuntiatum fuiſſe. Nam, ſi vete-

teres Iudaei pronuntiarunt *Kevan*, quae cauſa eſt, ut a recepta lectione abierint Maſorethae, et ignotum nobis ſubſtituerint *Kiun*? quomodo nunc in omnibus codicibus vocabulum hoc punctatum eſſe ſcimus. Neque id ex *Aben-Eſra* et *Kimchio*, quorum teſtimonio fretus eſt vir eruditus, colligi ſatis tuto poteſt. Vide hic *Pocockii* ſpecimen Hiſtoriae Arabum pag. ult. Etſi enim illi idoli cujusdam *Kevan* meminerint, id tamen conceptis verbis a *Kiun* Scripturae S. diſtinguunt. *Aben-Eſrae* verba in Amoſ. v. 26, a *Vitringa* adducta, ita ſonant: ומלת כיון ידועה בלשון ישמעאל גם פרס כי הוא כיואן והוא שבתי כי עשי לו צלם: *Dictio vero* כיון *nota eſt in lingua cum Arabica, cum Perſica. Eſt enim* Kevan, *qui Saturnus eſt, cui fecerunt imaginem. Kimchius* haec habet: ועוד פירשנו כיון שהוא כוכב שבתי וכן נקרא בלשון ישמעאל ופרס (*f*) כיואן: *Amplius etiam exponimus* τὸ כיון *per Saturnum, qui in Lingua Arabica et Perſica Kevan dicitur.* Nemo non videt, hoſce Iudaeorum magiſtros vocem כיון, in textu Hebraeo lectam, explicare ex alia, quam Arabum et Perſarum lingua ipſis ſuppeditat, quamque etiam alio modo, addita una litera, ſic ſcribunt כיואן. Nihil vero vulgatius eſt, quam unam eamdemque vocem, in diverſis Dialectis, cum aliqua differentia efferri. Ipſe *Vitringa* l. c. § 9 obſervat, vocem מלך a Syris et Ammonitis *Molech*, ab Hebraeis *Melech* pronuntiari. Et haec ſane obvia ſunt. Nondum itaque iſthoc argumen-

(*f*) Ita hanc vocem illic legendam eſſe, docet *Vitringa* loc. cit.

mento, pronuntiatio et punctatio vocis כיון, quae noſtros codices occupat, labefactata eſt. Si autem hoc demus, genuinam et antiquam nominis huius pronuntiationem eſſe *Kevan*, inde tamen confici non poteſt, ex iſta huius vocis pronuntiatione per corruptionem enatum eſſe Graecorum *Revan*. In ſequentibus enim oſtendemus ſatis luculenter, LXX interpretes non ſcripſiſſe *Revan*, vel Ῥηφὰν; ſed genuinam huius vocabuli lectionem eſſe Ῥεμφὰ, vel Ῥόμφὰ, quod a *Kevan* ſatis longe recedit, et multo longius a *Kiun*, quae eſt communis omnium codicum ſcriptura. Praeterea, cum certum ſit, כיון vocabulum eſſe aut Hebraicum, aut ex Syrorum et Arabum lingua derivandum, non minus certum nunc apparebit, Ῥεμφὰ, vel Ῥόμφὰ, eſſe originis Aegyptiacae.

§ VI.

Ratio ſecunda Vitringae *ponderatur*, *LXX ſaepe vocabula communis uſus Hebraica in verſione ſua retinent*, *et quare. Iidem nomina propria nonnumquam non tranſlata retinent; aliquando ex Hebraico in Graecum ſermonem convertunt*, *praeſertim nomina Aegyptiaca. LXX interpretes multa ſciverunt de antiquitatibus Aegyptiorum hodie ignota.*

Aliud argumentum nobis obiicit Clariſſ. *Vitringa*, quod aliquam, prima fronte, ſpeciem praeferre videtur. Obſervat enim in Diſſert. cit. § 9. *LXX interpretes*, *tot nomina*, *in verſione accuratiore exponenda*, *non translata reliquiſſe*; *nomina vero propria plane transferre non ſolere.* Quare *probabile* ipſi fit, *non voluiſſe eos hanc vertere vocem*, *cuius ſignificatio genuina priſcos omnes fugit*, *et quam proprii nominis*

vim habere, priſci omnes interpretes fatentur. Multa in his coacervavit vir eruditus, quae perpendenda paucis ſunt, ut intelligatur, quaenam ſit argumenti huius vis. Lubens concedo, LXX interpretes, in vertendo Hebraico textu, uſque adeo ſcrupuloſos fuiſſe, ut ſaepenumero nomina non propria, ſed communia et appellativa Hebraica retinuerint, ut, uti loquitur *Vitringa*, non translata reliquerint. Talia ſunt, e. c. vocabula menſurarum, aut vaſorum, Γομὸρ, Κόρος, Κάβος, Νέβελ, et quae ſunt his ſimilia, non Graeca, ſed pura putaque Hebraica, quae tamen aliquo modo ad naturam nominum propriorum accedunt, ut vix aliter verti potuerint. Alia apud eosdem interpretes occurrunt, quae magis mirere, qualia ſunt, Ἀλληλούϊα, *Laudate Dominum*, Δαβεὶρ, quomodo transferunt דביר, partem interiorem Templi, vel *Sanctum Sanctorum*, Ἐλωϊ Σαβαὼθ, vel Θεὸς Σαβαὼθ, *Deus exercituum*, Βαδδὶν, *ſtolae byſſinae*, quae vox eſt ipſiſſima Hebraica, quam facile per Graecam aequipollentem reddere potuiſſent, uti et nonnumquam fecerunt (*). Nempe voces Hebraicas in verſione ſua retinuerunt LXX interpretes, quando aut ſingularem illis ineſſe vim putarunt, aut quando Iudaeis, etiam Graece loquentibus, communi et recepto uſu tritae erant, aut quando ancipites haeſere, quomodo quam optime, ad mentem Scriptorum Sacrorum, eſſent Graece exprimendae. Non minus fateri oportet, τοὺς LXX nomina propria;

(*) Immo vero Alexandrini interpretes pro בדים etiam praebuere Βύσσινα, Dan. x. 5, xii. 6, 7. Βαδδὶν retinuit ſua in interpretatione *Theodotion*, ſed diverſa ea eſt ab Alexandrina. Dudum id monuerat *Hieronymus*, a recentioribus non bene intellectus. Vide *Petrum Sabatier* tom. II Bibliorum verſionis veteris Italicae p. 878, et virum eruditum, (*Caietanum Bugatum*) qui ipſam Alexandrinam Danielis interpretationem Graecam e codice Chiſiano primus edidit Romae a. 1772, p. 62.

pria, quae in textu Hebraeo leguntur, saepius non translata relinquere. Quaedam enim nomina propria, v. g. nomina virorum et mulierum, id omnino non patiuntur. Vbi vero res ipsa id permittit, veluti in nominibus regionum, urbium, fluviorum, idolorum, quae, pro diversitate gentium et linguarum, diversis quoque nominibus gaudent, videmus profecto, LXX interpretes id non raro feciſſe. Regio circa Babylonem urbem in S. Literis vocatur שִׁנְעָר *Sinear*. Quia autem ſitus illius regionis τοῖς LXX incognitus non erat, in verſione nonnumquam adhibere ſolent nomen communius, et tritum omnibus, Βαβυλωνίαν, ut Ieſ. xi. 11. דְּדָנִים vel רוֹדָנִים verterunt Ῥοδούς, Gen. x 4 et 1 Paralip. i. 7, quia putarunt, Inſulam Rhodum fuiſſe huius populi ſedem (*). תַּרְשִׁישׁ, cuius in Prophetis aliquoties mentio occurrit, quamque eruditiores putant eſſe Hiſpaniam, nonnumquam reddunt Καρχήδονα, ut Ezech. xxvii. 12, putantes indicari *Carthaginem* urbem. Vel una Paradiſi deſcriptio plura huiusmodi exempla nobis ſubminiſtrat Gen. ii. Namque ibi כּוּשׁ reddunt Αἰθιοπίαν; חִדֶּקֶל vertunt Τίγριν; פְּרָת ipſis dicitur Εὐφράτης. Eumdem morem ſequuntur, quando in textu Hebraico peregrinorum idolorum nomina occurrunt. תְּרָפִים norunt omnes, eſſe idola Syrorum, quorum in hiſtoria Labanis et poſthaec ſaepius mentio facta eſt. Nonnumquam nomen hoc retinent Graeci, ſcribentes Θεραφείν. Alias interpretantur γλυπτὰ, *ſculptilia*, εἴδωλα, *imagines*, et aliis praeterea modis, uti pridem *Seldenus* annotavit, de Diis

(*) Videntur Alexandrini Gen. x. 4. in ſuo codice legiſſe דדנים, ubi vulgo דרנים, quem in modum 1 Chron. i. 7. De varietate lectionis in libris ſcriptis conſulantur *Kennicottus* et *Roſſius* ad utrumque locum, item *Michaëlis* P. I Spicil. Geogr. Hebr. p. 114—123.

Diis Syris Synt. I c. II p. 102. בעל זבוב, Numen Accaronitarum, interpretantur Βαὰλ Μυῖαν, *Baal muſcam*, 2 Reg. I. 2, et quae his ſimilia alia adduci poſſent. Non alienum eſt ab inſtituto meo, quoniam *Remphah* Aegyptium Numen eſſe oſtendetur, obſervare, LXX interpretes, qui in Aegypto ſcribebant, quique rerum et antiquitatum illius regni ſe non imperitos oſtendunt, in explicandis et transferendis nominibus Aegyptiacis ſolito fuiſſe diligentiores. Vide Commercium Literarium *Lud. Picques*, etc. a *Wincklero* editum, p. 317. Itaque מצרים, quomodo ab Hebraeis conſtanter Aegyptiorum regio appellatur, Graeci interpretes ſemper vertunt Αἴγυπτον. In hiſtoria Ioſephi mentio occurrit urbis און, cuius ſacerdos fuit Potiphera, Ioſephi ſocer, Gen. XLI. 45. In verſione autem τῶν LXX, eadem urbs dicitur Ἡλιούπολις, ex quo ſatis intelligimus, quod alioquin nos lateret, urbem iſtam, ſacris Aegyptiorum celeberrimam, Heliopolin vulgo dictam, ipſa Aegyptiorum lingua antiquitus *On* nuncupatam fuiſſe. Confirmat hoc Copticus Pentateuchi interpres, typis a. 1731 deſcriptus, qui, etſi verſionem ſuam, non ad textum Hebraicum, cuius plane ignarus erat, ſed ad interpretationem τῶν LXX adornarit, hoc tamen loco nomen vere Aegyptiacum illius urbis, ſibi notum, et, uti par eſt credere, tum adhuc uſitatum, ⲱⲛ, reſtituit. Conf. Pantheon Aegypt. part. I pag. 138 et Collectio MS. vocum Aegypt. v. ON [t. I Opuſc. p. 184, 185, cum notis]. Regiam Pharaonis, in cuius conſpectu tot miracula edidit Moſes, diſcimus fuiſſe צוען *Tzoan*, Pſalm. LXXVIII. 12. Ex verſione autem LXX interpretum conſtat, hanc eſſe urbem, quam Graeci communiter vocant Τάνιν. Sic enim vertunt. Vide eamdem Collectionem MS. v. ΤΑΝΙΣ [Opuſc. tom. I pag. 339, 340]. Thebaidis, ſive Aegypti ſuperioris, urbs fuit praecipua, quam Sacri Scriptores

ptores נא אמון *No Ammon* appellant, Ierem. XLVI. 25 Ezech. XXX. 15. Nahum. III. 8. Mirari ſatis non poſſum, *Hieronymum* quondam, et poſt eum, interpretes recentiores haud paucos, qui *No Ammon* Alexandriam eſſe putant, in explicando hoc nomine adeo potuiſſe aberrare, cum compoſitio vocis ex נא et אמון ipſos ad perſpiciendam veram interpretationem certo dirigeret. אמון enim, *Ammon* vel *Hammon*, ſive, ut ſcriptores Graeci efferre ſolent, (*g*) Ἀμοῦν, nomen eſſe Divinitatis in Aegypto religioſiſſime quondam cultae, quam Graeci et Romani (*h*) *Iovem* interpretari ſolent, omnes illico facile intelligunt. נחל (*Noh*) enim Aegyptiorum ſermone *ſortem* et *poſſeſſionem* deſignat, quod vel ſola coniectura (*i*) ex compoſitionis ratione quivis, paulo ſagacior, aſſequi poteſt Erit igitur נא אמון, *Iovis poſſeſſio*, vel *Iovis urbs*, Διόσπολις, cuius etiam meminit *Diodorus* L. I p. 14, 42, [c. 15 et 45] uti Graecos interpretatos eſſe hoc nomen deprehendimus. Namque Nahum. III. 8. vertunt μερίδα Ἀμμὼν etymologice, id enim iuxta literam *Noh Ammon* Aegyptiis ſignificat. In loco autem Ezech. XXX. 15 adhibent nomen, quo Graeci communiter tum urbem illam ſole-

(*g*) *Herodotus* L. II c. 42. *Plutarchus* de Is. et Oſir. p. 354. *Origenes* contra Celſum Lib. V p. 259, 261, 263. *Heſychius* v. Ἀμμοῦς. et alii.

(*h*) *Diodorus Sic.* tamen L. I [cap. 25] p. 22, edit. Wechel. ait, *Ammonem* eumdem etiam haberi cum Oſiride. Ex quo ratio reddi poſſet, quare Aegyptii, (ut teſtatur *Achilles Tatius*, infra § X adducendus) Planetam Iovis lingua ſua dixerint *Stellam Oſiridis*.

(*i*) Pleraeque enim Aegypti urbes celebriores tale quid ſonant, Ἑρμούπολις, Ἀφροδιτόπολις, Διόσπολις minor, Πανόπολις, Ἡλίου πόλις. Ex quibus de compoſitione נא אמון coniicere pronum eſt.

lebant nuncupare, Διοσπόλεως. Eadem nempe eſt urbs, quam ſcriptores frequentius *Thebas Aegyptias* vocare conſueverunt. *Strabo* Lib. XVII p. m. 561 [1154], Μετὰ τὴν Απόλλωνος πόλιν αἱ Θῆβαι, καλεῖται δὲ νῦν Διόσπολις. *Ptolemaeus* in Geographia Aegypti, Θηβῶν νομὸς, καὶ μητρόπολις Διὸς πόλις. Sed disputant tamen eruditi, utrum hic intelligi queat Diospolis magna, an vero cogitandum ſit de Diospoli minori, ſita in Delta magno. Vide meam Collectionem vocum antiquarum Aegyptiacarum MS. in *No-Ammon* p. 185 [tom. I Opuſcul. p. 163 ac ſeqq.] Tot exemplis itaque oſtenſum eſt, τοὺς LXX nomina peregrina, ſi eorum ſignificatio ipſis eſſet perſpecta, et quoties res ipſa id permitteret, in Graecum ſermonem tranſtuliſſe, aut per vocabula notiora omnibus declaraſſe. Cumque certiſſimum ſit, eos in nominibus Idolorum peregrinis idem feciſſe, quis dubitabit, hoc ipſum in loco Amoſi contingere pariter potuiſſe? Subruto itaque fundamento hoc, LXX interpretes nomina propria transferre non ſolere, quicquid illi ſuperſtruit *Vitringa*, tanti non eſt, ut morari nos debeat. Demus iam, quod tamen omnibus non placet, כִּיּוּן eſſe nomen proprium idoli. Quid vetat, quominus illud in verſione ſua, alio vocabulo, in Aegypto, ubi ſcribebant, notiori, declararint, aut potius nomen antiquiſſimum illius idoli, recens ex Aegypto ab Israëlitis in deſertum advecti, ſed poſtea obliterati, reſtituerint interpretes Alexandrini? Forte autem Amoſus nomen proprium illius idoli plane reticet, indicans tantum fuiſſe *regem ipſorum* et Numen, quod ab iisdem interpretibus demum explicationis gratia additum eſt. Nec magis cauſam viri eruditi iuvat, quod illico addit, *genuinam ſignificationem vocis* כִּיּוּן *omnes priſcos fugere.* Vnde enim hoc colligit vir magnus? An ex fluctuatione et haeſitatione hodiernorum interpretum? Sed quam multa hodie nos latent, poſt de-

deperdita tot nobiliſſima vetuſtatis monumenta, poſt interceptas et oblivioni commiſſas tot gentium antiquas traditiones, quae τοῖς LXX recte cognita atque perſpecta erant? Quis hodie ſciret, urbem און, cuius memoriam in commentariis ſuis Moſes reliquit, eſſe urbem Aegypti quondam clariſſimam *Heliopolin*, niſi interpretes Graeci, rei huius probe gnari, id nos edocuiſſent? Et iam, poſtquam ex illorum verſione id didicimus, aliis indiciis et argumentis, rem certo ita ſe habere, ſic probare poſſumus, ut dubio locus nullus ſuperſit. Conſervabantur certe illo tempore, quo LXX interpretes ſcribebant, nec minus poſtea, traditiones etiam illarum rerum, quae in Aegypto, et in deſerto, Iſraëlitis evenerant, et quas tamen Moſes praetermiſit, non adeo obſcurae aut ſpernendae, quin ipſi quoque ſcriptores Θεόπνευστοι illis nonnumquam uti dignarentur. In Stephani Protomartyris oratione ad Iudaeos, Act. cap. VII, talia occurrere, ipſe, qua erat ſagacitate, *Vitringa* obſervavit, citata Diſſert. § XVI. Et quis ignorat, Paulum Apoſtolum nomina Magorum, quibuſcum Moſi res fuit in Aegypto, *Iannis* et *Iambris*, etſi is ipſe in hiſtoria ſua eorum nomina tacuerit, adferre 2 Tim. III. 8. Vnde illa hauſit Paulus, niſi ex traditione vetuſta? ex qua eadem nomina referunt ſcriptores (*k*) Iudaei et (*l*) Gentiles.

§ VII.

(*k*) Tanchuma fol. 40 col. 1, ubi vocantur *Ionos* et *Iombros*. Gemara Babyl. in Codice Menachoth fol. 85 col. 1, ubi vocantur *Iochane* et *Mamre*. Locum adfert et explicat *Buxtorfius* in Lexico Talmudico in שׁכל col. 2515. Targum Ionathan in Exod. VI. 11, ubi vocantur *Ianis* et *Iambres*. Vide *Druſium* in 2 Tim. III, 8, *Grotium* ibid. et in Lib. I de verit. Relig. Chriſt. § 16 in notis. Conferatur hic *Prideaux* Hiſtoire des Juifs. tom. V pag. 23. 24. Extare *Ludovici de Dieu* diſſertationem de *Ianne*, et *Iambre*, didici e Sylloga Epiſtolarum *Iac. Vſſerii*, edita a *R. Parrio* p. 465

(*l*) Vtriusque meminit, ſub nomine *Iannis* et *Iambris*,

§ VII.

Graeci interpretes nonnumquam confuderunt כ *cum* ר. *Id vero in loco Amosi factum etiam fuisse, certioribus argumentis probandum est, et concipi difficulter potest.*

Denique et hoc pro causa *Drusii*, quam suam fecit eruditissimus *Vitringa*, adferre aequum putat, *LXX interpretes*, qui pro כיון *Kevan*, nomine sibi ignoto, per negligentiam facile condonandam, legerint ריון *Revan*, aberrare facile potuisse, cum *etiam alias, literas hasce* ר *et* כ *in codice suo aut non recte discretas, aut ab imperita manu immutatas pro iisdem acceperint*, Observ. L. II c. I § IX Certe LXX interpretes, literam unam cum alia saepe confudisse, post *Hieronymum* Critici plurimi observarunt, et rationibus invictis probarunt. Quin imo literas has כ et ר, de quibus nunc agitur, eamdem subiisse sortem, ut una pro altera acciperetur, luculenter demonstravit meritissimus ille de Philologia *S. Glassius* Philol. S. L. IV Tract. III, cuius observatione satis opportune hoc loco utitur *Vitringa*. Namque ubi Nahum. I. 6 in Hebraico legitur חמתו נתכה באש, Graeci verterunt ὁ θυμὸς αὐτοῦ τήκει ἀρχάς, unde cuivis manifestum est, Graecos pro באש, *sicut ignis*, le-

Numenius Pythagoraeus apud *Eusebium* Praeparat. L. IX c. VIII p. 241, edit. Graec. R. Steph., itemque apud *Origenem* contra Cels. L. IV p. 199. *Ianis* mentionem facit *Plinius* Lib. XXX c. I, *Apuleius* Apol. p. 331. Vide *Grotium* l. c. et *Spencerum* in *Orig.* contra Cels. p. 55, 56. [543]. Vid. et *Fabricii* Codicem Apocryphum N. Testamenti tom. I p. 249, 250 in notis, *Assemani* Biblioth. Orient. tom. III part. I p. 315. [Comparentur dicta tom. I Opuscul. *Iablonskii* p. 433].

legiſſe ראש, quare vocem hanc reddiderunt ἀρχάς. Verum iſthoc argumento id tantum conſicitur, τοὺς LXX tales nonnumquam errores commiſiſſe; quod in hoc loco ſimiliter contigiſſe, aliis rationibus probandum eſſet. Praeterea, etiamſi ך cum כ non difficulter commutari poſſe largiar, quomodo tamen כיון, *Kiun*, quae eſt lectio conſtans Codicis Hebraici, argumentis non usque quaque firmis ſollicitata, in Ῥεμφὰ, vel Ῥομφὰ, quae eſt genuina huius loci in verſione τῶν LXX ſcriptura, transformari potuerit, dictu ſane longe difficilius eſt. Sed dubium omne tollit accuratior vocabuli Ῥεμφὰ indagatio, quod cum ſit Aegyptiacum, cumque illud et verbis Amoſi probe ſit accommodatum, et in univerſum Iſraëlitarum in deſerto cultum idololatricum inſigniter illuſtret, cui in mentem poſthaec venire poterit, *Rempha* Graecorum ex *Kiun* Hebraeorum corruptum et immutatum fuiſſe?

§. VIII.

Remphah *eſt vocabulum Aegyptiacum.*

Superatis hiſce difficultatibus, id iam, cuius cauſa praecipue hanc Diſſertationem conſcripſi, agendum mihi reſtat, ut *Remphae* vocabulum explicem, et hanc meam explicationem, ſi poſſim, idoneis argumentis confirmem. Aliquoties iam in ſuperioribus monere debui, vocabulum hoc non aliunde, quam ex antiquitate et lingua Aegyptiaca, duci recte poſſe. Quare, qui aut eius parum memores fuere, aut, cum linguae Aegyptiacae rudes eſſent, de vocabulo tamen Aegyptiaco pronuntiare conati ſunt, operam et oleum perdidere. Eſſe autem hoc vocabulum Aegyptiacum, argumentis oſtendi poteſt, nec paucis, nec levibus. Nam ex aliis Orientalium linguis fruſtra eius explicationem tentari, vani hactenus doctiſſimorum virorum

in hoc argumento conatus ſatis teſtatum faciunt. Quapropter, ut temporis aliquod compendium faciam, etymologias omnes, aut ex Hebraica, aut Arabica, aut alia Orientalium lingua petitas, utpote quae in cenſum venire nequeunt, ſilentio praetermittam. Certe Amoſum, et poſt eum Stephanum, loqui de cultu Numinis alicuius Aegyptiaci, res ipſa, ſeria aeſtimatione penſitata, per ſe unumquemque docere poteſt. In deſertum Iſraëlitae tranſierant ex Aegypto, quae ipſos in lucem ediderat ac nutriverat. Cum Aegyptiis vixerant, eorum cultum quotidie viderant, et eorum moribus erant adſueti. Illorum de cultu ſummi Numinis, per imagines, ſymbolico, ideas imbiberant. Haec omnia, quae aliquam ſapientiae ſpeciem prae ſe ferebant, quaeque hominibus nondum regenitis, nondum ſpiritualibus, facile placent, non ita cito dedidicerant. Quando verſabantur adhuc in Aegypto Iſraëlitae, ab omni idololatriae contagione liberi non fuerant. Inſignia eam in rem ſunt verba Ezechielis c. xx. 6. et ſeq., *Die illo, quo ſublata manu mea juraveram illis, me deducturum illos e terra Aegypti — edixeram eis, quisque res deteſtandas oculis ſuis abiicite, et ſtercoreis diis Aegypti ne polluatis vos — Rebellantes contra me noluerunt auſcultare mihi, et ſtercoreos Deos Aegypti non abiecerunt.* Conf. Ioſ. xxiv. 14 et Ezech. xxiii. 3, 8. Quis autem non libenter credat, Iſraëlitas, cum, ſpreto unius veri Dei praeſcripto, ἐθελοθρησκείαν animo concepiſſent, ad illum potiſſimum rediiſſe cultum, cui a teneris in Aegypto adſueverant; etſi non negem, illos, praeter Aegyptiorum ſuperſtitiones, aliarum quoque gentium, quarum commercio utebantur, Numina et cerimonias adſciviſſe. Et ſane in deſerto Iſraëlitas eosdem *deos ſtercoreos*, quorum cultum in Aegypto Deus ipſis interdixerat, veneratos tamen fuiſſe, Ezechiel diſertis verbis teſtatur cit. cap. com. 16 et 24. Et quid aliis teſtimoniis opus eſt, cum vitulus

au-

aureus, a populo hoc ſolemnibus ritibus in deſerto cultus, teſtimonium nobis offerat, omni exceptione maius. Mihi vero dubium nullum eſt, quin *Remphah* ipſe ille vitulus aureus fuerit, aut, quin cultus *Remphae* idem fuerit cum vituli aurei cultu. Id profecto Stephanus Martyr ſatis aperte indicat, in oratione ad Iudaeos, Act. VII, 39 ac ſeq., dicens: *Moſi noluerunt auſcultare patres noſtri, ſed repulerunt eum, et averſi ſunt cordibus ſuis in Aegyptum; dicentes Aharoni: Fac nobis deos, qui praeeant nobis — Et vitulum fecerunt per illos dies — Rurſus autem Deus eos tradidit, ad colendum exercitum coeli. Sicut ſcriptum eſt — baiulaſtis tabernaculum Molochi, et ſidus dei veſtri Rempha.* Quae adeo luculenta ſunt, ut iam dudum (*m*) viri eruditiſſimi iudicaverint, *Rempham* videri eſſe vocabulum Aegyptiacum. Quam vero iudicium illud veritati conſentaneum ſit, ſequentia, ut ſpero, docebunt.

§ IX.

Remphah *non eſt* Remphis, *Aegypti rex*, *Diodoro memoratus.*

Non defuerunt itaque eruditi, qui nominis *Remphah*, ex antiquitate et lingua Aegyptiaca, ut putant, expoſitionem nobis offerrent. *Lud. Cappellus*, ad Act. VII. 43, nec citra aliquam ſpeciem, exiſtimat, ſe Numinis huius veſtigia Aegyptiaca reperiiſſe in *Diodoro Siculo*, qui Hiſtor. Lib. I p. 39 [cap. 62] regis cuiusdam Ae-

(*m*) *Lud. Cappellus* in Act. VII. 43. *Lud. de Dieu* in eumd. loc. *Pfeifferus* Dub. Vexat. in Amoſ. V 26. et in Act. VII 43. [tom. I Op. Philol. p. 439, 496]. *Salmaſius* de Annis Climact. p. 597. *Hottingerus* in Exercit. Anti-Morin. p. 57. *Braunius* in Selectis Sacris paſſim, etc.

Aegyptiorum, *Remphis* nomine, mentionem iniicit. Cum enim ille colligendis pecuniis unice deditus fuisset, ita ut, teſte *Diodoro*, moriens XL. myriades talentorum reliquerit, hinc veroſimile fit *Cappello*, *Remphin* illum eſſe Pharaonem, qui Ioſephum Aegypto praefecit, atque, ex annonae divenditae copia, et Aegypti et vicinarum regionum pecuniam corraſit. Eumdem coniicit, ab Aegyptiis ob conſervatam Aegyptum, ab Iſraëlitis vero ob beneficia in ſe collata, honoribus divinis mactatum fuiſſe. Quae viri eruditi coniectura adeo placuit *Iohanni Braunio*, Select. Sacr. Lib. IV c. IX § 132, ut aſſenſum ſuum his teſtaretur verbis: *Rectius exiſtimare videntur eruditi alii, Seniores, cum in Aegypto Biblia verterint, in gratiam Ptolemaei regis Aegypti, maluiſſe adhibere vocem Aegyptiacam* Ῥεμφὰν, *quae idem ſignificaret, ac apud Amoſum Hebraeorum* כיון *Chiun. Id eo facilius crederem, cum, teſte Diodoro Lib.* I, *Aegyptus antiquiſſimis temporibus habuerit regem* Ῥεμφιν, *qui procul dubio fuit ipſiſſimus* כיון *Chiun.* Sed hanc ſententiam non uno nomine mihi diſplicere fateor. Nam Aegyptios eo inſaniae proceſſiſſe, ut mortuos homines in deorum numerum referrent, et ab iis beneficia exſpectarent, quae Oſiridi, Iſidi, reliquisque Numinibus ſuis in acceptis ferebant, id quidem mihi nemo perſuadebit. Sub involucris fabularum, quas de Oſiride et Iſide, aliisque Numinibus, ex Aegyptiorum traditione, commemorant *Herodotus*, *Diodorus*, *Plutarchus*, et alii, latere arcana Aſtrologiae et Phyſiologiae Aegyptiacae, agnovere multi, cum veteres, tum recentiores, et ſi res tanti eſſet, demonſtrari facillime poſſet, et abunde comprobaſſe mihi videor in Pantheo Aegyptiorum, ac Prolegomenis parti III eiusdem operis a me praefixis. Quodſi autem mortales quosdam coelo intuliſſent Aegyptii, cauſa nulla eſt, cur id Remphi huic

huic contigisse suspicemur. *Diodorus* enim, qui illum in serie regum Aegypti recenset, non modo non meminit, eum singularibus, nedum divinis, honoribus ab Aegyptiis ornatum fuisse; sed nec quidquam in eo laudabile commemorat, quod nomen eius posteritati commendare potuerit. Exprobrat ipsi μικροψυχίαν, *pusillanimitatem*, et φιλαργυρίαν ἤθους, quod interpres vertit *sordidam ingenii avaritiem*, quae impediebant eum, quominus quidquam ex pecuniis amplissimis, undique congestis, vel in sacra Deorum munera, vel in publicam hominum utilitatem erogaret. Quare hoc de eo iudicium tandem fert, *fuisse non regem bonum, sed bonum oeconomum*. Si ad nomen Aegyptiacum attendas, ⲣⲏⲙⲫⲥ, non incommode *negotiatorem bonum* interpretari possis, quam tamen veram esse nominis huius interpretationem, affirmare non ausim (*). Quis autem credat, Aegyptios in eum, quem ne boni quidem regis nomen mereri putabant, honores omni sorte humana multo augustiores conferre voluisse? Si in nomine huius regis latet aliquod Divinitatis nomen, quod vero dissimile non est, dicendum potius fuerit, regem hunc, more Aegyptiorum pervulgato, nomen ab aliqua Divinitate tractum adscivisse, qua de re quaedam in sequentibus monebo. Cui vero persuadebunt viri eruditi, Arabes et Syros eumdem regem Aegyptium Remphin, sub nomine כיון, honoribus divinis prosecutos esse, aut, quod multo creditu est difficilius, Israëlitas adorasse homines et quidem demortuos, et cultu publico veneratos fuisse?

§. X.

(*) Conf. tom. 1 Opusc. *Iablonskii* p. 231, 232.

§. X.

ⲣⲏⲫⲁⲛ in Lexico Coptico explicatur Stella Saturni. Cui explicationi viri quidam eruditi applauserunt. Sed ⲣⲏⲫⲁⲛ non est vox Aegyptiaca. Neque nomina Planetarum in illo Lexico sunt vere Aegyptiaca. Lingua Coptica hodiernis Coptis vernacula non est. Nomina Planetarum in Lexico Coptico ex versione Graeca τῶν LXX derivata sunt.

Majorem sibi fidem conciliavit auctor Lexici Coptico-Arabici, ab *Athan. Kirchero* primum editi, qui nomina Planetarum Arabico-Aegyptiaca se referre profitetur, inter quae ⲣⲏⲫⲁⲛ, tanquam Saturni stellam designans, locum quoque habet. Nomina illa Planetarum, sicuti in (*n*) Lexico *Kircheriano* edita sunt, adiiciam, nisi, quod loco Arabicae interpretationis, versionem Latinam, ex Arabico a *Kirchero* concinnatam, additurus sim. Sic autem habent: ΥΛΙΑ et ΠΙΡΗ *Sol.* CΥΛΙΝΗ et (*o*) ΠΙΙΟΖ *Luna.* ΡΗΦΑΝ *Saturnus.* ΠΙΖΕΥΣ *Iupiter.* ΜΟΛΟΧ *Mars.* COΥΡΟΤ *Venus.* ΠΙΕΡΜΗC *Mercurius.* Haec, si credere fas est, nomina sunt vetusta Planetarum Aegyptiaca, in quo nimis patienter verba sibi dari passi sunt quidam viri eruditissimi. Inter quos *Lud. de Dieu*, Criticus non obesae naris, tanquam de thesauro maximi pretii reper-

(*n*) Vide *Kircheri* Linguam Aegyptiacam Restitutam p. 49 et p. 528. Adde eiusd. Prodrom. Copt. c. v. Arabica literis Hebraicis expressit *Hottingerus* in Exercit. Anti-Morin. p. 57, 58.

(*o*) Z in ΠΙΙΟΖ non est Z Graecorum, sed *h* Latinorum, *pijoh*, Aegyptiace ⲡⲓⲓⲟⲍ, quod literis Graecis exprimi non potest. Idem infra observandum in ΡΕΜΦΕΛ.

perto, hunc in modum gloriatur in Actor. VII. 43: *Iam cecidit recepta fere apud omnes eruditos ſententia,* Ῥεμφὰν *apud* LXX *interpretes corruptum eſſe ex Hebraico* כיון, *pro quo* כִּיּוּן *legerint, inde* Ῥεφάν. *Laudandi iam doctiſſimi prudentiſſimique interpretes, quod, cum in Aegypto, in Aegyptiorum gratiam, a Philadelpho Aegyptiorum rege vocati, Biblia in Graecam linguam transferrent, ignotum Aegyptiis* כיון *Hebraeorum, in notiſſimum ipſis* Ῥηφὰν *tranſtulerint.* Non minori plauſu magnus ille Literarum Orientalium promus condus, *Sam. Bochartus*, expoſitionem illam excepit. Poſtquam enim eam protuliſſet Geogr. Sac. Part. I Lib. I c. XV, hoc ſuum iudicium adnectit: *inde certa lux Amoſi verbis, iuxta Graecam editionem, quam ſequitur Martyr Stephanus* Act. VII. 43. *In quibus explicandis aqua haeſerat hactenus interpretibus, quos fugerat, cur Raephan reddatur Hebraeum* כיון. *Sed iam ratio eſt manifeſta, etc.* Cui, ut alios iam praetermittam, iungendus *Claud. Salmaſius*, Literatorum ſuo tempore princeps, quique aliquam linguae Aegyptiacae cognitionem ſibi paraverat. Is, hanc interpretationem in dubium vocari non poſſe, exiſtimat. Sic enim ſcribit de Ann. Climact. p. 596, 597: *In Lexico Aegyptiaco, in Planetarum nominibus,* Ἄρης *Mars Aegyptiace vocatur* Μολὸχ, *et Saturnus* Ῥηφάν. *Duo haec nomina in verſione Septuaginta reperiuntur. Et hoc pro* כיון, *quo nomine Saturni Stellam Judaei appellarunt. Vt non dubium ſit, quin* Ῥέφάν *Aegyptiis vocatus ſit Saturnus.* Et ita ante hos omnes *Petrus della Valle* Itinerar. Part. I Epiſt. XI fin. fol. 125 edit. German. vel p. 278 edit. Gallic., qui videtur Scalam illam ex Aegypto Romam advexiſſe, quam poſtea *Kircherus* edidit. Pace vero tantorum virorum, mihi non modo interpretatio illa dubia videtur,

tur; ſed et certum eſt, Ῥέφὰν neque Stellam Saturni, neque omnino aliquid Aegyptiis ſignificaſſe, adeoque ceu vocem adulterinam, ex ſermone Aegyptiaco, in quem furtim ſeſe inſinuavit, eiiciendam penitus eſſe. Et certe fraus, quam hoc in loco auctor Lexici *Kircheriani* commiſit, tam eſt craſſa et indocta, ut illis etiam, qui linguae Aegyptiacae periti non ſunt, ſubolere facile potuerit. Audiamus hoc *Spenceri* iudicium, de Legibus Hebr. L. III Diſſert. I c. III p. m. 36: *Vnum quod hic obiici poſſit, et Lectorem ſuſpenſum teneat, breviter enodabo. Hoc nempe Fragmentum (uti creditur) Aegyptiacum, temporum recentiorum figmentum eſſe, nec quicquam veteris Aegypti continere. In eo enim Mercurius* Πιερμῆς, *Iupiter* Πιζεὺς, *et Sol* Πιρὴ *dicitur; cum Iovem* Ammun, *Mercurium* Thot, *et Solem* Oſiriu, *ab antiquis Aegyptiis appellatum fuiſſe, nec pueros fugiat. Ideoque* Remphan *olim apud Aegyptios Saturnum indicaſſe, temere colligitur e fidei tam ſubleſtae, vel incertae, teſtimonio.* Vltimum hoc veriſſime pronuntiavit doctiſſimus vir, etſi id ab aliis ſibi tantum objici ſingat. Quis enim credat, Aegyptios *Solem* appellaſſe ΤΑΙΑ, et *Lunam* ΣΤΑΙΝΗ? quae nomina non modo non ſunt Aegyptia, ſed ne Graeca quidem. Quis credat, eosdem *Planetam Iovis* nomine Graeco ΠΙΖΕΥΣ nuncupaſſe, cum Iovem lingua ſua *Amun* dixerint? Quis credat, eos *Mercurii* Planetam vocaſſe ΠΙΕΡΜΗΣ, cum is ſermone Aegyptiorum *Thot*, aut potius *Anubis* audierit. Scimus praeterea, aliam denominationis Planetarum apud Aegyptios rationem fuiſſe, aliam apud Graecos, uti conſtat ex inſigni teſtimonio Achillis Tatii. Sic enim auctor ille eruditus (in Vranologio *Petavii* editus p. 136 edit. Pariſ.): Τὰ ὀνόματα τῶν πλανήτων διαφόρως ἐκλήθησαν. Αἰγυπτίοις γὰρ καὶ Ἕλλησι, τοῦ Κρόνου ὁ ἀστὴρ, καί τοι ἀμαυρότατος ὢν, Φαίνων λέγεται, ἀλλὰ παρ' Ἕλλησι μὲν κατὰ τὸ εὔφημον

λέγε-

λέγεται οὕτω. Παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις ΝΕΜΕΣΕΩΣ ΑΣΤΗΡ. Δεύτερος ὁ τοῦ Διὸς καθ' Ἕλληνας Φαέθων, κατὰ δὲ Αἰγυπτίους ΟΣΙΡΙΔΟΣ ΑΣΤΗΡ. Τρίτος ὁ τοῦ Ἄρεως παρὰ μὲν Ἕλλησι Πυρόεις, παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ ΑΣΤΗΡ. Τέταρτος ὁ τοῦ Ἑρμοῦ ἀστὴρ καλεῖται παρὰ μὲν Ἕλλησι Στίλβων, παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΑΣΤΗΡ. Ex illuſtri hoc teſtimonio certum eſt, Aegyptios non habuiſſe *Planetam Saturni*, vel eius Divinitatis, quam Graeci *Saturnum* interpretantur, ſed *Nemeſeos;* Planetam Iovis apud Aegyptios nomen habuiſſe ab *Oſiride;* Martis Planetam Aegyptiis fuiſſe ignotum, quorum ſermone ille dicebatur *Herculis ſtella*; non agnoviſſe Planetam Mercurii, quem ipſi nuncupabant ſtellam *Apollinis*, vel *Hori.* Aliud iam nos docere conatur recens auctor putidi illius Planetarum catalogi, quem ille Aegyptiacum appellat, ſed quem tamen Aegyptii veteres, ſi videre poſſent, numquam intellecturi eſſent. Aliquid nihilo tamen minus, ad difficultatem hanc, quam ipſe non citra rationem moverat, reſponderi poſſe, putat *Spencerus: Fatendum eſt*, inquit, *nonnulla Planetarum nomina, in Catalogo iam dicto, recenſita, Graecam originem olere.* Itaque fruſtra venditantur pro Aegyptiacis. Sed pergit: *Hoc non obſtat, quo minus aliqua ſuperſint* (nempe in ſermone Coptico, quem antea dixerat, plures habere voces Graecas, quam Aegyptias) *hodie veteris Aegypti vocabula, et nonnulla Planetarum nomina, Remphan imprimis, ad originem Aegyptiacam referantur* (*p*). Libenter concedo, in ſermone Coptico,

(*p*) Plurimi hodie eruditi cum *Spencero* iudicant, Copticam, quae ſic dicitur, linguam, plus ex Graeco potius, quam ex vetuſto Aegyptiorum ſermone trahere. Ita cenſet etiam *Cudworth* in the true Intellectual Syſteme cap. IV. Segm. XVIII p. 223. Edit. Anglic. Conferatur autem de lingua Aegyptiaca *Renaudotus* in Diſſertationibus, praemiſſis Col-

co, quem vir eruditus ab Aegyptiaco distinguit, aliqua supersesse veteris Aegypti vocabula. Quin imo certum est, quod iam publice monuit vir de lingua Aegyptiaca optime meritus, omniumque, qui, post Aegyptum ab Arabibus penitus subiugatam, vixerunt, illius linguae peritissimus (*q*), *M. V. La Croze*, integram pene Aegyptiorum lingnam ex libris Copticis facile restitui posse. Etsi enim versiones S. Scripturae, aliorumque librorum Ecclesiasticorum, in sermonem Aegyptium, vocibus Graecis abundent, hoc tamen, quod falso credidere eruditi plurimi, non penuriae et paupertati linguae Copticae tribuendum est; sed consuetudini paulatim invectae. Vti enim Germani nostri sermoni suo innumeras inserere solent voces Latinas et Gallicas, singularem, uti putant, emphasin spirantes, quamvis non desint Germanicae voces, idem significantes, ita Aegyptii pariter post tempora Ptolemaeorum, et postquam Romanis paruere, praesertim ubi Christianorum Religio invalescere coepit, innumeras adsciverunt voces Graecas; sed ita tamen, ut antiqua gentis suae vocabula ex lingua sua non penitus eliminarent. Quare, quod uno loco Graeca voce exprimunt Aegyptii, alio loco recte vocabulo patrio, vere Aegyptiaco, designare solent. Et pauciſſimae omnino voces Graecae in Coptorum libris occurrunt, quibus non genuinae et antiquae voces Aegyptiae substitui possint. Sed nunc disputamus de spurio illo Planetarum Aegyptiacorum Catalogo, ex quo, si quis totam linguam Aegyptiacam aestimare velit, non poterit non eam

lectioni Liturgiarum Orientalium p. LXXXI, LXXXII, praecipue p. CXII et seq., ubi data opera de lingua Coptica disserit.

(*q*) Vide Biblioth. Bremens. Class. V Fascic. IV. p. 746, 747, 751.

eam contemtui habere. Quid igitur de illo Catalogo *Spencerus? Hoc non obſtat*, inquit, *quo minus nonnulla Planetarum nomina, Remphan inprimis, ad originem Aegyptiacam referantur.* Mihi vero certiſſimum eſt, nullum hic occurrere vocabulum vere Aegyptiacum, ſi excipias ΠΙΡΗ, *Solem*, et ΠΙΙΟΖ, *Lunam*, vocabula in omnibus Coptorum libris centies occurrentia, quae ignorare non potuit Lexici illius auctor. Quare fallitur vir doctiſſimus, quando auctorem illius Catalogi in eo quoque aberraſſe autumat, quod Solem ΠΙΡΗ nuncupari ſcripſerit, *cum Solem ab antiquis Aegyptiis Oſirin appellatum fuiſſe, nec pueros fugiat.* Nam Solem Aegyptii non Oſirin vocarunt, ſed ΠΙΡΗ. Oſiris quidem numen erat Aegyptiis ſanctiſſimum, in quo vim et virtutem Solis venerabantur, quemadmodum fere Graeci in Apolline, ſicuti tamen Graeci *Solem* in communi uſu, non Ἀπόλλωνα, ſed ἥλιον, *Lunam*, non Ἄρτεμιν, ſed σελήνην nuncuparunt: ita Aegyptii quoque *Solem*, non *Oſirin*, ſed ΠϤΡΗ, et *Lunam*, non *Iſin*, ſed ΠϤϤDϚ vulgo appellarunt. Exceptis his vocabulis, in quibus Copti errare non potuerunt, cetera omnia ſunt commentitia. De ΠΙΖΕΥC et ΠΙΕΡΜΗC iam diximus. Reliqua, etſi typum aliquem Aegyptiacum prae ſe ferant, tamen melioris commatis profecto non ſunt. ΜΟΛΟΧ enim haudquaquam eſt nomen Aegyptiacum; ſed Syriacum, uti omnes norunt. Et ſcimus ex verbis Achillis Tatii, ſupra citatis, Aegyptios *Martem* Planetam, ſermone ſuo dixiſſe (*r*) *Stellam Herculis.* COΥΡΟΥ, quomodo

(*r*) Ex *Cedreno* tamen intelligimus, Stellam *Martis* Aegyptiace dictam fuiſſe Ἔρτωσι, vel, ut habet *Vettius Valens*, Aſtrologus ineditus, Ἄρτης. Vide *Seldenum* de Diis Syris Synt. I c, VI p. 186, *Salmaſium* de Ann. Climact. p. 596. Quod ut intelligi poſſit, notandum eſt, quod ex variis indi-

do Venerem ab Aegyptiis vocatam esse, Catalogus illi spurius nugatur, vox est, Aegyptiis veteribus prorsus ignota. Numen illud Aegyptiorum, quod Graeci Ἀφροδίτην, *Venerem*, interpretantur, lingua vernacula, novimus, Σουρὸτ non dictum fuisse. Veneri ab Aegyptiis nomen Ἀθὼρ dari consueviſſe, colligitur vulgo ex testimonio fide digno (*s*) *Orionis* Grammatici, gente Aegyptii, in haec verba scribentis: Καὶ τὴν Ἀφροδίτην Αἰγύπτιοι καλοῦσιν Ἀθὼρ, καὶ μῆνα γε τὸν τρίτον τοῦ ἔτους ἐπώνυμον ταύτῃ πεποιήκασιν, *Venerem Aegyptii vocant Athor, a qua et tertium anni mensem denominarunt.* Auctoritate *Orionis*, ego quoque opinabar quondam, nomen istius Numinis, quod Veneris Planetae praeerat, Aegyptiace fuisse Ἀθὼρ, atque sic in prima huius libelli editione, quae anno 1731 prodiit, hoc loco scribebam. Sed errorem hunc meum postea ipse correxi in dissertatione mea de Aegyptiorum Athor, quae est prima in Pantheo, § 7 ac seqq. Quidquid autem de Ἀθὼρ statuatur, certum satis est, Aegyptios veteres nomen Σουρὸτ plane ignorasse. Restat PHΦAN, *Planeta* scilicet, si Catalogum audimus, *Saturni.* At modo ex Achille Tatio didici-

ciis didici, Planetae unicuique apud Aegyptios tria fuisse nomina, unum *Numinis*, quod illi praeesse credebatur, alterum *virtutis*, qua valere existimabatur, tertium *coloris*, v. g. Stella Martis a *Numine* suo dicebatur *Stella Herculis*, a potestate et *virtute* Ἔρτωσι, vel Ἄρτης, a *colore* Πυρόεις Id etiam aliis Orientalibus in usu fuit. Vide *Hydium* de Relig. Persarum p. 69. Itaque Ἔρτωσι nomen est virtutis, quod pluribus hic persequi non licet. Conferri potest, quod monui in Pantheo Lib. III cap. VI § 4, et in MS. Collectione vocum Aegypt. v. Ἔρτωσι [t. 1 Opusc. p. 71, 72].

(*s*) Apud Etymologici magni auctorem in voce Ἀθύρ. De Orione verò, vel Oro, consule indicem *Sylburgii* in Etymologicon, voce *Orion* et *Orus.*

cimus, Planetam hunc ab Aegyptiis lingua patria dictum fuiſſe *Stellam Nemeſeos*. Vnde apparet, Planetae huic, ex ſententia Aegyptiorum, praefuiſſe Numen ſexus foeminei, cui, ſi in iſtiusmodi rebus coniecturae indulgere licet, lingua Aegyptiaca nomen fuit Τιθράμβω. *Epiphanius*, in loco memorabili, Expoſition. Fidei Cathol. num. XII. (Opp. p. 1093. D.) ait: *Tithrambo ἑρμηνευομένην, ſi eam Graeco vocabulo interpretari velis, eſſe Hecaten.* Nomen Aegyptiacum Τιθράμβω ſive Τιθραμβώ et Hecatae et Nemeſi Graecorum ſatis bene accommodari poteſt. Significat enim et *furentem ira*, et *indentem aliis furorem et iram*. Sed haec huius loci non ſunt. Conferatur Collectio MS vocum Aegyptiacarum v. Τιθραμβῶ [t. I Opuſc. p. 346] et praecipue Pantheon Lib I cap. v. toto. Et ut paucis omnia comprehendam, Ῥηφὰν, ſi in originem eius Aegyptiacam inquiras, nullum ſenſum commodum fundit. Sed, dices forſitan, an Aegyptii nomina Planetarum, ſua lingua uſitata, ignoraſſe cenſendi ſunt? Et unde tandem nomina illa depromſerunt, niſi ſint Aegyptia? Huic difficultati facile obviam ire poſſumus. Etenim ab aliquot iam retro ſeculis, Chriſtianis Coptis lingua vetus Aegyptiaca non magis vernacula fuit, quam hodie Italis Latina, aut Iudaeis Hebraea. Lingua patria, quam loquuntur omnes, ipſis iam dudum fuit Arabica. Non eſt, qui linguam Aegyptiacam in communi vitae uſu adhibere ſoleat, aut forte etiam poſſit. *Michaël Wanslebius*, cuius de itinere ſuo in Aegyptum relatio eruditorum manibus teritur, in Galliam redux, exiſtimavit, aliisque retulit, uti, cum Lutetiae Pariſiorum verſarer, a celeberrimo tum *Euſ. Renaudoto* accepi, ſe vidiſſe illum, qui, inter Coptos omnes, linguae Copticae notitiam ultimus habuiſſet, et cum quo illa intermortua penitus fuiſſet. Sed ita etiam *Wanslebius* ſcripſit in Relatione itineris ſui Aegyptiaci Gallica p. 303. Simile quid

quidpiam is ipse indicare videtur, ubi in eadem relatione p. 312 de quodam Lexico Coptico-Arabico, a se viso, hoc iudicium fert: *Dicere ausim, solum hoc Lexicon Copticum, et Grammaticam illi adiunctam, sufficere ad restituendam Linguam Copticam hodie deperditam.* Equidem non usque adeo periit omnis veteris linguae Aegyptiacae peritia. Nam etiam hodie superesse quosdam, licet paucos, qui libros vetustos lingua Coptica conscriptos, praecipue Ecclesiasticos et rituales, legere et, beneficio versionis Arabicae, quae tantum non semper in eorum Codicibus textui Coptico adiecta legitur, intelligere queant, ex relationibus eorum, qui, post *Wanslebium*, Aegyptum adierunt, *Pauli Lucae*, *Du Bernatii*, et, si qui sunt alii, satis perspicitur. Nulla tamen linguae Aegyptiacae vocabula norunt, quam quae in libris suis, quos aetas tulit, legere, et, ut dixi, ope interpretationis Arabicae explicare possunt. Nomina Planetarum auctor Catalogi *Kircheriani*, ex interpretatione τῶν LXX Coptica, haud dubie depromsit. Cum itaque in illis ⲡⲥⲣⲏ pro *Sole*, ⲡⲥⲥⲟϩ pro *Luna* toties legantur, in illis errare non potuit. Planetas *Jovis* et *Mercurii* cum in libris suis non legisset, eorum nomina subito ex Graeco confinxit, addito articulo masculini generis, ⲠⲒⲌⲈⲨⲤ, ⲠⲒⲈⲢⲘⲎⲤ, quae tamen etiam occurrunt in versione (*) Coptica Actor. XIV. 12, 13. Quod ad *Stellam Martis* attinet, quam in Catalogo *Kircheriano* ΜΟΛΟΧ reddi videmus, illa interpretatio ex versione τῶν LXX fluxit. Vocem enim hanc, in versione illa Graeca repertam, in qua sae-

(*) Non tantum in versione Memphitica ex editione *Wilkinsii*, sed etiam in Sahidica interpretatione, paucis ante annis edita.

ſaepius occurrit, interpretes Copti retinuerunt, quemadmodum in verſione eorum N. Teſtamenti, Oxonii edita, et quidem loci Act. VII. 43 factum eſſe videmus. Quid vero illud vocabulum, alioquin plane ignotum, ſibi vellet, Copti recentiores, ex verſione Arabica, aut ex Scholiis, nonnumquam adiectis, didicerunt. Etſi *Molochum* plerique *Saturnum* explicent, ſunt tamen inter veteres, qui Moloch *Stellam Martis* interpretentur, interque illos *R. Levi* ad Levit. XVIII. 21. (apud *Druſium* in Comment. ad eumdem locum). Quae interpretatio Coptis tanto magis placuiſſe videtur, quod ſic ad deſignandum *Saturni Planetam* aliam vocem ſupereſſe crederent, nempe Ῥηφὰν; ſic enim in ſuis codicibus vocem hanc ſcriptam deprehendiſſe videntur. Idem omnino dicendum de PHΦAN, quod nomen *Saturni* eſſe Aegyptiacum, auctor Catalogi Planetarum ſcribit, nempe in verſione Coptica librorum Sacrorum a ſe inventum, et hunc in modum expoſitum. Ita ſane in Scholio aliquo Coptico ad Act. VII. 43, quod ex Cod. MS. Vaticano *Kircherus* (in lingua Aegyptiaca reſtituta p. 527.) protulit, MEΛOX exponitur *Deus deſtructionis, Dominus tonitruum, ignis et terrae motuum*, PHΦAN vero *Dominus temporis*. Supereſt COTPOT, quam auctor Catalogi Planetarum *Venerem* interpretatur. Et iſtam quoque vocem, ſi recte calculos ſubduxi, non aliunde, quam ex verſione LXX interpretum hauſerunt Coptitae, nonnihil tamen a ſe corruptam. Jobi XXXVIII. 32 ita textum reddiderunt LXX: Ἡ διανόιξεις ΜΑΖΟΥΡΩΘ ἐν καιρῷ αὐτοῦ, καὶ ἕσπερον ἐπὶ κόμης αὐτοῦ ἄξεις αὐτά. Vbi in Hebraico eſt מזרות *Maſaroth*, quod quidam interpretantur *Signa Zodiaci*, alii (*t*) *Aſtrum Canis*. Iidem interpretes lo-

(*t*) *Aſtrum Canis* cum *Venere* Aegyptiorum, (ſi ita loqui fas eſt) aliquam habet relationem. *Aſtrum Canis* Aegyptio-

locum 2 Reg. XXIII. 5, ita verterunt: καὶ (κατέκαυσε) τοὺς θυμιῶντας τῷ Βάαλ, καὶ τῷ ἡλίῳ, καὶ τῇ σελήνῃ, καὶ τοῖς ΜΑΖΟΥΡΩΘ, καὶ πάσῃ τῇ δυνάμει τοῦ οὐρανοῦ. Codex Hebraicus habet מזלות, quam vocem plerique capiunt de Planetis omnibus, aut de omnibus Zodiaci ſignis. Graeci tamen permulti *Venerem* intellexere. Ita *Procopius Gazaeus* in 2 Reg. XXIII. 5, Μαζουρὼθ ἀϛέρος ὄνομα, ὡς εἰκὸς τοῦ Ἑωσφόρου. Et ante eum *Theodoretus*, Τὸ Μαζαρὼθ ἀϛέρος οἶμαι ὄνομα εἶναι, καὶ τοπάζω τὸν Ἑωσφόρον οὕτως ὠνομάσθαι, *Nomen eſſe ſtellae puto, coniicioque Luciferum ſic nominari.* Quos reſpiciens *Grotius* in eumdem locum: *Alii*, inquit, *Iovem, alii Venerem intelligunt.* Horum ſententiam ſecuti interpretes Coptorum, vocem Μαζουρὼθ, vel, uti corrupte ſcribunt, COYPOT, pariter *Venerem* explicuerunt: quae cauſa eſt, quod in hoc Catalogo, Aegyptiaco, uti vocatur, inter Planetas appareat. Neque dubito, quin, ſi verſione librorum Regum Aegyptiaca frui daretur, loco citato vocabulum hoc COYPOT reperturi eſſemus. Saltem exinde vocem hanc depromſiſſe auctorem Lexici *Kircheriani* ſine cunctatione affirmare auſim. Plura de nominibus Planetarum Aegyptiacis addere vetat ratio inſtituti. Satis ex his, quae brevibus de Catalogo illo Planetarum Aegyptiaco diſſeruimus, apparebit, quam exiguam ille fidem mereatur, quamque omnino nihil praeſidii, ex illo, ad illuſtrandum Remphae Numen exſpectare debeamus. § XI.

ptiorum ſermone dicebatur Σῶθις, teſte *Porphyrio* de Antro Nymphar. p. 265 [cap. 24], *Chalcidio* in Tim. *Platonis* p. 218, ubi vide notas *I. A. Fabricii*. Apud *Vettium Valentem*, Aſtrologum MS., abiecta terminatione Graeca, Aſtrum illud vocatur Σηθ. Vide *Marshami* Canonem p. 8 edit. Franek. Σῶθις autem illa erat ipſa *Iſis*. Vide *Fabricium* l. c. Conf. Collectio MS. voc. Aegypt. [t. 1 Opuſc. p. 336] et Pantheon Lib. III cap. 2 toto.

§ XI.

Vera lectio huius vocis eſt Ῥεμφὰ *vel* Ῥομφά. *Significat hoc vocabulum Aegyptiace* Regem Coeli. *Quod ex lingua Aegyptiaca explicatur.*

Rectius aliquanto clariſſimus vir, *David Wilkinſius*, cui editionem Novi Teſtamenti Coptici debemus, ex linguae Aegyptiacae vocabulis indubiis, Numinis *Remphah* explicationem tentavit (*u*). Ῥήφὰν, inquit, *ſi Aegyptiacae originis eſſe debet, a* ⲢⲎ *Sole derivatur.* Quod ſi explicationi huius vocis diutius immorari, inque illam pluribus inquirere, operae pretium exiſtimaſſet vir eruditus, veram eius ſignificationem, obviam ſane et facilem, nullo negotio ſubodoratus fuiſſet. Quod tamen, ut fieri poſſit, genuina primum et antiqua nominis Aegyptiaci ſcriptura eruenda eſt. Vulgata τῶν LXX exemplaria, quae plurimorum manibus teruntur, exhibent Ῥαιφὰν, alia Ῥήφὰν, quae lectio ſatis antiqua eſt, et in Coptorum verſionem pariter irrepſit. Codices vero Actorum Apoſtolicorum c. VII v. 43 et plurimi, et antiquiſſimi, et optimi legunt Ῥέμφὰ, vel Ῥέμφὰν, quomodo et vulgata verſio Latina expreſſit. Sic itidem locum hunc ab *Irenaeo* Lib. IV c. XV n. 1 (edit. Maſſuet.) aut antiquo eius interprete Latino citari videmus. *Origenes* autem adverſus Celſum Lib. V p. 236, (uti quidam Codices (*) habent) Ste-

(*u*) In Diſſert. de lingua Coptica (inter Diſſertationes, quae Collectioni Orationis Dominicae, in varias linguas translatae, ſubiectae ſunt) pag. 109.

(*) *Hoeſchelius* edidit Ῥομφᾶ, ſed *de la Rue* p. 583 Ῥεμφὰν; nullam vero de varietate lectionis in codd. MSS. mentionem fecit.

Stephani verba citans, legit Ῥέμφᾶ, quam lectionem tuentur etiam, in verſione Graeca LXX Interpretum Amoſi, editio Complutenſis, et Antwerpiana, neque illam ſpernendam eſſe putem. Non citra rationem, ex his colligi poſſe opinor, vetuſtam et genuinam τῶν LXX nominis huius ſcripturam fuiſſe Ῥέμφᾶ, vel Ῥόμφᾶ, quod plane idem eſt; quodque nobis veram vocis huius Aegyptiacae ſignificationem aperit. Etenim Ῥέμφᾶ, ſive malis Ῥόμφᾶ, nullo plane apice immutato, REGEM COELI ſonat. ⲣⲏ, vel ⲣⲟ potius, quamquam vocales, apud Aegyptios praecipue, mirum in modum inter ſe permutentur, *regem* ſignificat. Tametſi enim in noſtris Coptorum libris, ⲟⲩⲣⲟ, et cum articulo generis maſculini ⲡⲓⲟⲩⲣⲟ, vel quod idem eſt, ⲫⲟⲩⲣⲟ, ad deſignandum *regem*, conſtanter occurrat, mihi tamen dubium non eſt, quin primitivum vocabulum fuerit ⲣⲏ, vel ⲣⲟ, quod poſtmodum, ut innumera alia, cum articulo indefinito ⲟⲩ in unam vocem coaluit. Iam dudum, et veriſſime quidem, *Salmaſius* obſervavit, de Lingua Hellen. p. 390, 391, antiquiores linguas monoſyllabis ut plurimum conſtitiſſe, quae recentior demum aetas, additis ſyllabis, protraxit: quod de linguae Aegyptiacae vocabulis pariter dicendum eſſe, facile concedet, quisquis ad rem hanc conſiderandam animum ſuum appulerit. Quod itaque recentiores extulerunt ⲟⲩⲣⲟ, et cum articulo ⲡⲓⲟⲩⲣⲟ, vel ⲫⲟⲩⲣⲟ, vetuſtiores dicebant ac ſcribebant (*x*) ⲣⲏ vel ⲣⲟ, et

(*x*) Ex compoſitione multorum vocabulorum Aegyptiacorum, hoc ita certo colligitur, ut dubium non ſuperſit. Obſervavit hoc etiam clariſſimus vir, *Franciscus Smit*, Bremenſis, in diſſertatione, quam iuvenis ante hos XIII annos Bre-

et cum articulo ⲫⲣⲟ, vel ⲫⲣⲏ, quod ex Dialecto Aegypti superioris, quae nunc vocatur Sahidica, quaeque communi Dialecto est antiquior (*), confirmari potest. ⲫⲉⲍ (y), quod vocabulum in Coptorum libris frequentissime occurrit, *Coelum* designat: ubi tantum observabis, ⲉ Aegyptiorum aliquanto obscurius pronuntiari solitum fuisse, ita, ut ad A Graecorum fere accedat. Cuius rei in vocabulis Aegyptiacis plurima exempla occurrunt. ⲉⲣⲧⲱⲃ est nomen mensurae Aegyptiacae, quod a Graecis ἀρτάβη vulgo scribi et pronuntiari solet, ut pluribus docui in Collectione vocum Aegypt. MS. [tom. 1 Opusc. p. 39, 40]. ⲫⲉⲛⲉⲍ, quo nomine Aegyptii τὸν αἰῶνα designant, Graeci φάνης efferunt, ut ibidem in v. φάνης monui [t. 1 p. 372 — 374], et sic in aliis. Ceterum

Bremae edidit a. 1717. de Amuleto quodam Gnosticorum, ubi pag. 17 haec lego: *Nam* ⲢⲎⲞⲨⲰ *et* ⲢⲀⲞⲨⲞⲤⲒⲤ *est unum et idem in lingua Aegyptiaca.* ⲢⲎ *est Sol — et κατ' ἐξοχὴν princeps, seu ἀρχὸς.* ⲚⲞⲨⲞ [ⲍⲟⲩⲟ] *est abundantia — Ephes.* 1. 19. ⲢⲎⲞⲨⲰ *ergo Princeps abundans potentia.*

(y) Ⲍ hic in ⲪⲈⲌ pariter non est Graecorum Ζ, sed Latinorum H; quod supra iam in ⲠⲒⲒⲞⲌ (ⲠⲒⲤⲤⲞⲌ) observatum est. Pronuntiandum itaque *pheh*, vel *phah*. Notabis obiter, iam olim a *Prisciano* observatum fuisse, *in Syrorum et Aegyptiorum dictionibus, solere etiam in fine aspirari vocales.* Lib. 1 col. 549 edit. Putschii.

(*) *Mingarellius* ad Aegyptiorum Codicum reliquias pag. XVIII de hac re dubitat, sed contrarium verum iudicant alii, interque eos inprimis *A. A. Georgius*, in Praefat. ad Fragmentum Euang. Iohannis Graeco-Copto-Thebaicum, pag. XXV — XXXVII, cuius argumenta, sive gravioris ponderis, sive levioris, digna certe sunt, ad quae literarum Aegyptiarum studiosiores diligenter attendant.

rum; cum Aegyptii (z) nomina ſua flectere non ſoleant, uti Graeci et Romani faciunt, ϰ hoc loco nota eſt ſtatus conſtructi, vel, ſi ex genio Grammaticae Graecae et Latinae loqui malis, nota genitivi caſus. Eſt itaque ϱοϰϕεζ, *Romphah*, vel ϱηϰϕεζ, *Remphah*, REX COELI, quod recentiores Aegyptii extuliſſent ϕοϑϱοϰϕεζ, *Phuromphah*. Neque omnino aliud Aegyptiis ſupereſt vocabulum, ad *Regem Coeli* indicandum, niſi circumſcriptione uti velint.

§ XII.

Numen illud, de quo loquuntur Amoſus et Stephanus, fuit Aegyptiacum; quod pluribus rationibus probatur.

Non erit, credo, quisquam, qui non hanc interpretationem facilem et veroſimillimam dixerit. Vides vocabulum Aegyptiacum, quale rerum circumſtantiae poſcunt. Vides vocabulum Aegyptiacum, a LXX Senioribus literis Graecis ſic expreſſum, ut inveſtigari nullo negotio queat, utque nulla, ne minima quidem contorſione, aut mutatione opus ſit. Vides vocabuli illius ſignificationem non longe petitam, ſed facilem, et rei, de qua agitur, perquam accommodatam. Quis non illico intelligat, per *Regem Coeli* alium, praeterquam *Solem*, intelligi non poſſe? Et vero cultum illum, quem Amoſus et poſt eum Stephanus Martyr Iſraëlitis exprobrant, reſpexiſſe Aſtra

(z) *Varro* de Ling. Lat. Lib. VII p. 97 edit Steph. obſervat, *Aegyptiornm vocabula ſingulis caſibus dici*, i. e., unicum habere caſum.

Aſtra Coeli, Solem cumprimis et Lunam, attente vaticinium Amoſi atque orationem Stephani legenti, manifeſtum omnino erit. Amoſus enim teſtatur, ipſos portaſſe כוכב *Stellam* Deorum ſuorum, id eſt, ut doctiſſimi interpretes exponunt, *Stellam*, *Deum ſuum*. LXX interpretes, quos ſequitur hic Stephanus, habent ἄστρον, quod ſaepius κατ' ἐξοχὴν (a) *Solem* indicare certum eſt. Id ipſum luculentius Stephanus ſignificat, quando ad Amoſi verba provocans, Act. VII. 42, ait, Iſraëlitas cultum exhibuiſſe τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, *exercitui Coeli*, perquam ſane ad explicationem noſtram appoſite. Stephanus ait, Iſraëlitas coluiſſe *exercitum Coeli*, i. e. ſtellas atque ſidera. רמפז ſive רמפז autem eſt *Rex Coeli*, vel *Dux exercitus Coeli*. Conf. etiam infra § XIV. Cum idem S. Stephanus non obſcure innuat, ut ſupra iam annotavimus, Iſraëlitas in deſerto rediiſſe ad intermiſſum aliquamdiu vituli aurei cultum, non eſt, quod dubitem, Rempham fuiſſe ipſum illum vitulum, vel bovem, cuius cultum in Aegypto viderant, et poſthaec in deſerto imitati ſunt. Sive iam bos ille aureus vel vitulus repraeſentaverit Apim, ſive aliud quoddam Aegyptiorum ſimulacrum, in ſpeciem bovis efformatum, quod pluribus excutere, nimis prolixum nunc foret, certum tamen eſt, figmentum illud Aegyptiorum, quod Iſraëlitae imitari voluerunt, ſymbolum fuiſſe Solis, eiusque virtutes et beneficia adumbraſſe. Omnia namque ſimulacra Aegyptiorum ſacra, ſpeciem bovinam referentia, ipſis emblemata Solis fuiſſe, et probari aliunde facile poteſt, et a veteribus quoque obſervatum iam eſt. Ita enim *Macrobius* Saturn. Lib. I c. 21: *Taurum ad*

(a) Schol. in *Arati* Phaenomena, p. 3 edit. Oxon. λέγεται δὲ καὶ ὁ ἥλιος ἄστρον ἰδίως.

ad Solem referri, multiplici ratione Aegyptius cultus oſtendit. Et *Plutarchus* de Iſ. et Oſir. p. 653 edit. H. Steph. *Βοῦν γὰρ Ὀσίριδος εἰκόνα καὶ γῆν* (puto ſcribendum *γῆς*) *νομίζουσιν*, *Bovem reverentur, ut imaginem Oſiridis et Terrae*, ſive Iſidis. Iſis enim certo reſpectu Lunae, alio reſpectu Terrae ſymbolum erat. Boves mares ad Oſiridem, Boves foeminae, ſeu Vaccae ad Iſidem referebantur. Idque facile ex omnibus huiusmodi ſacris bovibus Aegyptiorum, quorum in antiquitate illius gentis mentio fit, perſpicitur. Celeberrimus omnium erat Taurus Memphiticus, patria ipſorum lingua *Apis* dictus, qui, etſi ob myſticam ſacrorum rationem, quam nunc non tango (*b*), Lunae ſacer, re ipſa tamen ſymbolum erat Solis. Aliis non indigemus argumentis, cum (*c*) veterum teſtimonio id nitatur, inter quos *Strabo* Geograph. L. XVII p. 555, edit. Caſaub. [1160] de Memphi diſſerens, Ἔχει, inquit, *τε τοῦ Ἄπιδος, ὃς ἐστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις.* Poſt hunc ſanctiſſimus Aegyptiis habebatur *Mnevis*, Taurus Heliopolitanus (*d*), cuius ſimulacrum ſingulari ratione Soli ſa-

(*b*) Sic *Ammian. Marcellinus* L. XXII p. 245, edit. Lindenb. *Aelianus* de N. Anim. L. XI c. XI. *Porphyrius* apud *Euſebium* de Praepar. Euang. Lib. III c. XIII p. 71, edit. R. Steph. *Lutatius* in *Statii* Thebaid. L. III v. 478. Anon. apud *Suidam* in Μέμφις. Iunge *Diodorum Sic.* p. 19. B. [lib. I cap. 21, 22.]

(*c*) *Plutarchus* de Is. et Oſir. p. 677 ait, *videri*, *Apin ſacrum eſſe Oſiridi*; et ſic *Diodorus Sic.* p. 19. Erat traditio apud Aegyptios, Animam Oſiridis morientis migraſſe in Apidem, teſte *Diodoro Siculo* Lib. I p. 76 fin. [lib. I cap. 85]. *Plutarchus* eam traditionem ita exprimit, *Apidem eſſe imaginem animae Oſiridis*, de Is. et Oſir. p. 639. fin. et 645. Non male igitur *Macrobius* Saturn. L. I c. XXI p. 212, *Apis*, *in Civitate Memphi*, *Solis inſtar excipitur.*

(*d*) *Ammianus*, *Aelianus*, *Macrobius*, *Euſebius*, *Suidas*, locis citatis, *Plutarchus* de Is. et Oſir. p. 649. *Diodorus Sic.* p. 19.

ſacrum fuiſſe atque dicatum, omnes conſentiunt. Tertium hiſce adiungit *Macrobius*, Saturn. L. I c. XXI, *Pacin*, Hermunthi in Aegypto ſuperiori religioſis ritibus cultum, quem ait *Soli conſecratum eſſe, et praeterea inſignem miraculis convenientibus naturae Solis.* Hiſce quartum addas licet, *Onuphim*, *Aeliano* memoratum de N. Anim. Lib. XII c. XI, quem ab Apide et Mnevi, de quibus alio loco egerat, diſtinguere videtur. Cumque Apin Memphi, et Mnevin Heliopoli nutriri commemoraſſet, Onuphis huius civitatem nominare, ob aſperitatem nominis, reformidat. Et hunc Onuphim quoque Soli dicatum, aut ejus imaginem fuiſſe, exinde recte colligas, quod, non ſecus ac Apis et Mnevis, colore nigro inſignis fuiſſe perhibeatur. Hanc enim nigredinis cauſam in Mnevi afferunt Aegyptiacarum antiquitatum ſcriptores (*e*), ὅτι ὁ ἥλιος ὁ πολὺς μελαίνει τὰ ἀνθρώπεια σώματα. Aliam nigredinis cauſam praeterea adfert *Plutarchus* de Iſid. p. 649. Mitto iam quaerere, utrum haec vera ratio moris huius Aegyptiis fuerit; mihi ſufficit obſervaſſe, ad ritus Aegyptiorum ſacros pertinuiſſe, ut bos Soli conſecratus, et Oſiridem referens, atro colore *inſignis eſſet. Quin imo ipſum Oſiridem* Aegyptii, *in fabulis ſuis myſticis*, perhibebant (*f*) μελάγχρουν *colore nigricantem* fuiſſe, ob rationem ſine dubio arcanam. Quae cum in Onuphi ſervata etiam fuerit, aliter exiſtimare non licet, quam hunc etiam virtutes et beneficia Solis adumbrare debuiſſe. Hiſce, quae modo diſputavi, obſtare videtur, quod vitulus ab Iſraëlitis in deſerto conflatus, non ater fuerit, ſed aureus, ex quo concludere quispiam poſſet, inter Tauros Aegyptiorum ſacros, et vitulum Iſraëlitarum, eximiam animadverti diſcrepantiam, neque adeo hos, fin-

(*e*) *Porphyrius* apud *Euſebium* Praepar. L. III c. XIII.
(*f*) *Plutarch.* de Is. et Oſir. p. 640, et 648.

fingendo vitulum aureum, illos imitari voluiſſe. Verum illa diſcrepantia tanta non eſt, quanta primo intuitu apparere nonnullis poſſet. Nam et *Plutarchus bovis aurei* in Aegypto commeminit, *velamento nigro byſſino contecti*, de Iſ. et Oſir. p. 653, quale quid in bove ſuo etiam obſervare potuerunt Iſraëlitae. Merito etiam in dubium vocari poteſt, utrum eadem fuerit ratio ſimulacrorum fuſorum ex metallo, vel ex alia materia ſculptorum, quae Taurorum vivorum erat. Denique ratio ſacrorum non poſcebat, ut in ſimulacris omnibus Oſiridis fieret, quod obſervabatur in quibusdam. Diverſus erat, iuxta myſticas Aegyptiorum rationes, Oſiridis reſpectus. Modo ut abſens lugebatur, modo ut inventus cum gaudio excipiebatur. Vtriusque rei memoria certis in urbibus, certis diebus, peragebatur, et in ſingularibus ſimulacris conſervabatur. Etſi itaque opus non eſſet, ut in omnibus Oſiridis emblematibus nigredo compareret, in Tauris tamen ſacris, ubi aderat, ad Oſiridem haud dubie referebatur. Quamobrem, ſi Iſraëlitae, vitulum aureum in deſerto fingentes, Aegyptiorum ſuperſtitionem imitari, et in emblematibus myſticis virtutes Spiritus aeterni et inviſibilis venerari voluerunt, in quo, praeeunte ipſa S. Scriptura, docti fere omnes conſentiunt, dubium vix cuiquam erit, quin Aſtra, *Exercitum Coeli*, cum duce ſuo, *Sole*, cultu religioſo praecipue proſecuti fuerint. Et hunc quidem *Aſtrorum*, cumprimis *Solis* et *Lunae* cultum, abſolviſſe vetuſtiſſimam idololatriam, cum Aegyptiorum, tum aliorum quoque populorum, ab eruditiſſimis viris iam dudum pleniſſime demonſtratum eſt, et inprimis a *G. I. Voſſio* in erudito opere de Theologia Gentili, ſive de origine ac progreſſu idololatriae, Lib. II Part. I cap. I et ſeqq., cap. 18 ac ſeqq., et paſſim alibi.

§ XIII.

§ XIII.

Remphah nomen Soli apprime convenit. Amoſius ipſe explicationem noſtram iuvat, et confirmant etiam obſervationes Criticorum in locum Amoſi.

Erat itaque *Remphah* idolum Aegyptiorum, in quo ipſi virtutes et beneficia Solis, deorum ſuorum maximi, venerati fuiſſe cenſendi ſunt. Quis iam non facile conceſſerit, Aegyptios per nomen, quod idolo huic impoſuerunt, *Remphah*, i. e., *Regis Coeli*, hoc ipſum eleganter expreſſiſſe? Habet coelum exercitus ſuos, ſtellas atque ſidera, quibus omnibus veteres cultum decreverunt, quia eorum efficacia et vi, ſive influxu, omnia generari, animari, fieri, geri ac procurari exiſtimarunt. Iſti vero ſiderum exercitui iidem communiter ducem aliquem, aut, ſi mavis, duos duces, *regem et reginam*, *Solem* nimirum et *Lunam*, praefecerunt. Tritum ac pervulgatum eſt, Orientales, non minus quam Graecos et Romanos, *Solem* cognominaſſe *regem*, *Lunam* vero *reginam*. Quare cum Stephanus Martyr mentionem feciſſet *exercitus Coeli*, cui Iſraëlitae cultum religioſum exhibuerint, perquam commode ſubiicit *Remphah*, ducem huius exercitus, *regem Coeli*, in quo uno reliqua etiam ſidera, quibus ille dominatur, venerati merito cenſentur. Et idem plane, aut certe ſimile Numen, Amoſum quoque ſubinnuere, verba eius, accurate penſitata, non obſcure indicant. Ira enim Iudaeos alloquitur: נשאתם את סכות מלככם *Portaſtis tabernaculum regis veſtri* Vocat idolum hoc מלך *regem* ipſorum, quo ipſo, ſive מלך hic iam ſit nomen proprium *Molochi*, notiſſimi Ammonitarum idoli, ſive ſit nomen appellativum, in genere *regem* vel *Numen* deſignans, quod mihi magis probatur, nihil

aliud ſignificatur, quam quod Aegypti ⲣⲙⲫⲉⲍ *Romphah*, *regem Coeli* dixerunt. Hinc manifeſtum eſt, unam vocem explicare et illuſtrare alteram. Quae ſequuntur apud Amoſum verba: ואת כיון, ſi כיון ſit nomen proprium idoli, quod in medio relinquo, eodem omnino reſpiciunt. *Samuelem Petitum* ſi audimus, Miſcell. L. II c. 2, *Kiun* notiſſimum Numen Phoenicum fuit, cuius cultum Poeni Carthaginem detulerunt. In (*g*) *Plauti* Poenulo, Saturnus bis *Kiun* videtur nuncupari, etſi de ſoliditate huius obſervationis ſubdubitet magnus *Bochartus* Geog. S. Part. II Lib. II c. 6. Fac vero, rem ita ſe habere, ac *Petitum* rem acu tetigiſſe, Saturnus tamen Carthaginienſium, alius a Sole, *rege Coeli*, fuiſſe exiſtimandus non eſt. Magis *Remphah* noſtrum illuſtrant, quae de *Kiun* ad Amoſi locum eruditi interpretes annotarunt. Etſi enim tantum non omnes per *Kiun* Saturnum intelligi velint, vocem tamen ipſam eiusque originem ſic nobis quidam explicant, ut exinde luculenter appareat, idem omnino *Kiun* ſignificaſſe Arabibus et Perſis (*h*), quod *Remphah* diximus ſignificare Aegyptiis, *regem* nempe *Coeli*. Hanc etymologiam vocis *Kiun* tradit doctiſſimus *Spencerus*, de Legibus Hebr. Lib. III, Diſſert. I c. III p. 35, *Chiun et Perſarum uſu* DOMINVM MAGNVM *notis* &c. *Iohannes Braunius*, qui etymologiae iſtius mentionem nullam facit, aliunde ſuſpicatus eſt, hanc eſſe Amoſi mentem, quam vocabulum *Remphah* exhibere luculenter probavimus. Haec enim ſunt illius verba,

Sel-

(*g*) Vide *Petiti* Miſcell. I. c. et *Braunii* Selecta Sacra lib. IV c. IX p. 484.

(*h*) *Kiun* Tartarorum etiam lingua dici *Solem*, colligo ex Hiſtoria Genealogica Tatarorum p. 59.

Sel. Sac. p. 487, 488: *Enim vero, ſi accurate examinemus verba Amoſi ac Stephani, Molech et Chiun unum eundemque deum fuiſſe, primo intuitu animadvertemus — Poſtquam Propheta dixiſſet:* Tuliſtis tabernaculum regis veſtri: *explicat, qualis ſit rex, ſcilicet* CHIVN, *id eſt,* REX COELI *Patet itaque, nonniſi de uno rege, de uno deo fieri mentionem, nempe de* CHIVN, *quem Stephanus vocat* REMPHAN. *Sunt tamen, qui de duobus diis Sacros Scriptores loqui, exiſtimant, quod utatur Amoſius voce* אלהים *in plurali. Tamen nonniſi unus, nempe* כיון *Chiun, Sol,* REX COELI *intelligendus eſt.* Quis non exiſtimaret, *Braunio* de originatione noſtra Aegyptiaca aliquid conſtitiſſe, niſi Diſſertatio eius, ex qua haec deſumſi, aperte reclamaret. Attamen, quamvis vera nominis *Remphah* ratio ipſum fugeret, ex rerum connexione et aliis indiciis rem ipſam, hoc ſaltem in loco, quem produxi, bene perſpexit, licet eamdem in illa ipſa Diſſertatione, aliis obſervationibus incertis, longe petitis, et valde contortis, quaeque nonnumquam ſibi repugnant, non parum obſcuret.

§ XIV.

Solem vocare Regem Coeli, *Aegyptiis familiare fuit. Id ſignificat vox, qua Aegyptii lingua ſua Solem denotare ſolent. Idem indicat nomen Oſiridis et Iſidis. Id quoque de Oſiride et Iſide Aegyptii praedicabant. Oſiris, ſive Sol, in Aegyptiorum monumentis diſerte vocatur* Dominus Coeli. *Ab Aegyptiis cultus* Regis Coeli *ad alios propagatus eſt.*

Sed quandoquidem diximus, *Remphah* Aegyptiis *Coeli Regem* ſonare, videamus, num alia reperire

poſſimus veſtigia, Aegyptios Solem iſtiusmodi cognominibus honorare ſolitos fuiſſe. Id enim etymologiae et explicationi noſtrae confirmandae non parum inſerviet. Et primo quidem commune Aegyptiorum vocabulum, quo in uſu quotidiano Solem deſignare conſueverant, ⲣⲏ, huiusmodi notionem *Regis Coeli* iam ſic ſatis involvit. Nam uti in ſuperioribus iam obſervatum fuit, ⲡⲁⲓ et ⲣⲏ antiquitus *regem* ſignificabat, cuius vocis in nominibus compoſitis Aegyptiorum, ut in ⲣⲏⲙⲫⲉⲍ, plurima ſuperſunt indicia, quod recentiores, coaleſcente articulo indefinito ⲡⲉ cum radice, ⲡⲉⲣⲁ efferunt. Solem igitur a dominio Aegyptii dixerunt ⲣⲏ, i. e., *regem*. Idem omnino dicendum eſt de *Oſiride* et *Iſide*, quae celeberrima Aegyptiorum Numina, pro *Sole* et *Luna* habita cultaque fuiſſe, inter omnes convenit. *Salmaſius* quidem, qui aliquos in addiſcenda lingua Aegyptiaca, tum penitus ignota, progreſſus fecerat, *Oſirin* putat Aegyptiace ſcribendum eſſe ⲟⲩⲥⲓⲣⲏⲥ, quod *filium* ſignificet, *Iſin* vero ſermone Aegyptiorum dici *matrem*, et utrumque numen hiſce nominibus ab Aegyptiis inſignitum fuiſſe, eo quod Oſiris Iſidis filius haberetur. Vide librum de Annis Climact. p. 566, 567. Concedo quidem, ⲟⲩⲥⲓⲣⲏⲥ *filium* ſignificare Aegyptiis; at vero hoc eſſe nomen *Oſiridis*, ſanctiſſimum Aegyptiis, credere multae vetant rationes, quas exponere operoſum nimis foret. Conferri poſſunt, quae ſcripſi in Pantheo L. II. c. 1 §. 7. *Iſis* vero, ⲥⲥⲥ, lingua Aegyptiaca *matrem* omnino non deſignat. *Oſiris* praeterea *Iſidis* non natus, ſed frater et maritus, vulgo ab Aegyptiis perhibebatur, etſi in quibusdam Sacris, et certo tantum reſpectu my-

myſtico, etiam *Iſidis filium* appellatum eſſe ſciam. Et obſervatu certe dignum eſt, quod *Plutarchus* de Iſ. et Oſir. p. 651 memoriae prodidit, *Oſirin* in Sacris illis myſticis, in quibus filius *Iſidis* habebatur, non *Oſirin*, ſed *Arſaphen* nominari; in cuius appellationis originem et ſignificationem inquiſivi in Pantheo Lib. II cap. VII § 9, atque in Collectione voc. Aeg. MS. v. Ἀρσαφῆς [tom. I Opuſc. p. 38, 39, cum notis]. *Oſirin* compoſitum eſſe ex ϸH, quod *regem* ſonat, dubitare nos non ſinunt, quae veteres de Oſiridis et nomine et virtute ſcriptum reliquerunt, ſed quibus iam brevitatis ſtudio immorari non licet. *Iſis* porro Aegyptiorum lingua denotare *Dominam euntem*, vel *ſe moventem*, mihi quidem, quando hanc diſſertationem primum ſcribebam et edebam, videbatur certum, quod tamen tunc pluribus ex lingua et antiquitate Aegyptiorum illuſtrare, cum temporis, tum typorum Copticorum, quibus in vocabulo hoc ſcribendo opus erat, me prohibere penuriam monebam. Factum id poſtea fuit in Pantheo Lib. III cap. I § 14. Aliam tamen, eamque veriorem, ut puto, nominis etymologiam ibidem adduxi § 15. Conf. quoque Collectio MS. vocum v. *Iſis*. [tom. I Opuſc. p. 98]. Quod ipſa haec nomina Numinum, religioſiſſime ab Aegyptiis cultorum, indicant, id de iisdem quoque a ſcriptoribus praedicari, iisque aliis verbis tribui, quivis obſervare poteſt. *Oſiridem* ita deſcribit *Apuleius* L. XI Metam. p. 272 edit. Elmenh. [p. 816 c. n. *Oudendorpii*]; *Deus Deûm magnorum potior, et majorum ſummus, et ſummorum maximus, et maximorum* REGNATOR, *Oſiris*. Quid? an hoc non eſt, *rex exercituum Coeli*, cum Aegyptiorum Numina, quorum Oſiris dicitur *regnator*, pleraque reſpectum ad ſidera, exercitus Coeli, habuerint. *Plutarchi* de Oſiride haec ſunt verba: Τὸν γὰρ

ΒΑΣΙΛΕΑ καὶ κύριον Ὄσιριν ὀφθαλμῷ καὶ σκήπτρῳ γράφουσιν, de Is. et Osir. p. 632. Vbi *Plutarchus* Osiridem non modo ex mente Aegyptiorum REGEM ac Dominum appellat; sed et eumdem ab Aegyptiis, ad hoc indicandum, picto SCEPTRO REGALI, emblematice adumbrari observat. Quod ipsum emphatice, magis sic expressit *Macrobius* Saturn. Lib. 1 c. 21, p. 210: *Osirin Aegyptii, ut Solem esse asserant, quoties Hieroglyphicis suis literis exprimere volunt, insculpunt Sceptrum, inque eo speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirin monstrant, significantes, hunc deum Solem esse*, REGALIQVE POTESTATE *cuncta despicere*. Isidem, ut ad hanc quoque accedamus, REGINAM Memphiticam vocat *Martianus Capella* L. 1 pag. 2 fin., REGINAM simpliciter *Apuleius* L. XI Metam. p. 270 [p. 810]. Inprimis observatione nostra dignum est, quod idem *Apuleius*, in libro, quo se mysteriorum Aegyptiorum valde peritum ostendit, Isidem sic compellat: REGINA COELI — *ista luce foeminea conlustrans cuncta moenia, et udis ignibus nutriens laeta semina*, Metam. L. XI p. 257 [753]. Regina Coeli (*i*) est ρμμφεζ, quod vocabulum, nisi articulo distinctivo generis masculini determinetur, tam *reginam*, quam *regem Coeli* significare potest. Et sane posset *Remphah* non minus Isidem designare, quam Osiridem, nisi

Amo-

(*i*) Illius etiam Ieremias Vates bis meminit, c. VII. 18. et c. XLIV. 17, ubi numen aliquod vocatur מלכת השמים *regina Coeli*. Quod nomen *Ionathan* explicat *Stellas Coeli*; *Raschi* sic commentatur: *Stellam enim magnam, vocaverunt lingua Graeca, reginam coeli*; et *R. David Kimchi: Dicitur autem regina Coeli, lingua Graeca scilicet, stella magna in Coelo, quam Ionathas vocat stellam Coeli, Arabes Kabar.*

Amoſus, dum *Molochi*, vel *regis* Iſraëlitarum, meminit, eo ſubinnueret, ſe loqui de Numine maſculino. Ceterum cum Aegyptii Iſidem, quae *Luna* eſt, et Oſiridis uxor, REGINAM COELI nuncupent, hoc ipſo ſatis indicant, Oſiridem, qui eſt *Sol*, et Iſidis maritus, REGEM COELI cenſendum eſſe. Et ita certe aliquoties appellatur in Obeliſco, cuius interpretationem Graecam, ab Hermapione adornatam, *Ammianus Marcellinus* ſuis hiſtoriarum libris ex parte inſeruit. Namque ibi (Lib. XVII p. 102.), appellatur Ἥλιος θεὸς μέγας ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΟΥΡΑΝΟΥ, *Sol, magnus Deus*, DOMINVS COELI. Ibidem de Rameſte rege dicitur: ἐκόσμησεν Ἡλίου πόλιν, ὁμοίως καὶ αὐτὸν Ἥλιον ΔΕΣΠΟΤΗΝ ΟΥΡΑΝΟΥ, *ornavit Heliopolin, nec minus ipſum Solem*, DOMINVM COELI, et in ſequenti verſu: Ἥλιος Θεὸς ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΟΥΡΑΝΟΥ Ῥαμέσῃ βασιλεῖ δεδώρημαι τὸ κράτος, καὶ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν, *Sol Deus*, DOMINVS COELI, *Rameſtae regi robur et potentiam dono largior, et imperium in omnia.* Toties in uno monumento, etſi non magno, hoc Oſiridis cognomen ϱωμφεζ, aut aliud, quod huic aequipollet, occurrere videmus. Neque dubium eſt, quin, ſi alia vetuſta Aegyptiorum monumenta legi a nobis et intelligi poſſent, ſaepenumero *regis Coeli*, ſive *Remphah* mentionem inventuri eſſemus. *Sextus Empiricus* adverſus Mathematicos Lib. VI p. 343. edit. Fabricii: *Ceterum ſeptem quidem Stellarum praecipuas eſſe putant* Chaldaei SOLEM *et* LUNAM: *minorem autem his vim habere ad eventura effectus, quinque reliquas*, παρ' ἣν αἰτίαν καὶ Αἰγύπτιοι βασιλεῖ μὲν καὶ δεξιῷ ὀφθαλμῷ ἀπεικάζουσι τὸν ἥλιον, βασιλείᾳ δὲ καὶ ἀριστερῷ ὀφθαλμῷ τὴν σελήνην, ῥαβδοφόροις δὲ τοὺς πέντε ἀστέρας, τῷ δὲ λοιπῷ λαῷ τοὺς ἄλλους ἀπλανεῖς. Conferas cum his doctrinam Zabiorum

rum apud *Salmaſium* de Annis Climact. Praefat. p. XXXVII, ex *Maimonide*. Ab Aegyptiis cultus huius *regis Coeli* ad alias Africae gentes dimanavit. Operae pretium eſt adferre, quae *Leo Africanus* de Libybus, qui Nigri vocantur, memoriae prodidit in Deſcriptione Africae Lib I pag. 60 edit. Elzev. *Qui Numidiam, et qui Libyam incolebant Africani, planetam quemdam quisque adorabat, cui et ſacrificia et vota fiebant. Quidam ex illis, quos antea Nigri vocabulo notavimus* (*k*), Guighimo, *hoc eſt*, COELI DOMINVM, *venerabantur, fuitque illis ſanior haec mens, non a Propheta quodam aut doctore, ſed quaſi divinitus introducta. Inde Iudaicam tandem ſibi aſſumſerunt Legem, in qua et multis an-*

(*k*) Hunc locum ſine dubio illuſtrare voluit *Windetus*, de Statu vita functorum Sect. III p. 34 (in *Crenii* Faſcic. Philol. IV.) ita ſcribens: *Graecis Deus Opifex* Ζεὺς *dicitur*, *Aethiopibus* YGZIA SMAI, *id eſt*, DOMINVS COELI, (*iſtud nomen corrupte ſcribitur apud Leonem Afric. p.* 22.) *penesque illum vita. Materia* ἄδης, *penes quem mors, ſeu diſſolutio.* Utrum vero vir doctus rem acu tetigerit, aliis disquirendum relinquo. Certe *Leo Africanus* loquitur de Nigritis, ſeu Nigri fluminis accolis, quos non Aethiopicum, ſed peculiarem ſuum ſermonem habuiſſe, alibi docet, p. m. 19. Et eorumdem quosdam, ſuo etiamnum tempore, Solem orientem veneratos fuiſſe, teſtatur Lib. VII p. 636. *Sanchuniathon* apud *Euſebium* Praeparat. Euangel. Lib. I p. 22., τοῦτον γὰρ φησὶ (τὸν ἥλιον) θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοινιξὶ κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. — *In Sinaruth libris lego, ipſos iam inde ab initio ſupremum et unum Numen adoraſſe, quod ipſi coeli regem appellabant, vel alio nomine Coelum et Terram: ex quo apparet, Veteres Sinas opinatos fortaſſe Coelum ac Terram animata, eorumque animam pro ſupremo Numine coluiſſe.* Haec *Trigautius* apud *Aſſemanum* Biblioth. Orient. Vatic. Tom. III Part. II p. 507.

annis ſtetiſſe dicuntur. Poſtea et Chriſtianae Fidei aſſertores remanſerunt etc., ubi in ſequentibus narrat, eos dein ad Muhammedanorum fidem tranſiiſſe. *Leo Africanus*, ex eo, quod Nigritae REGEM COELI coluerint, benignius de iis iudicat, tamquam qui uni Deo, Creatori et Domino Coeli, ſacra fecerint. Sed ex iis, quae modo ex antiquitate Aegyptiorum attulimus, facile eſt videre, Nigritas in *Rege Coeli* nonniſi Solem, more aliorum populorum, coluiſſe, quod ipſe etiam *Leo Africanus* aliquo modo confirmat, quando eos poſthaec demum veri Dei cultum a Iudaeis accepiſſe, refert. Hinc tamen coniicere licet, quamobrem Iſraëlitae *Remphan* potius, quam aliud Aegyptiorum Numen colendum adoptaverint. Nempe nomen *Remphah* per ſe ambiguum eſt, et non minus ex mente fidelium vero Deo, qui ſe non raro *Dominum Coeli* nuncupat, quam Soli ex mente idololatrarum tribui poteſt. Placuit forte Iſraëlitis ſymbolica illa, per imagines animalium, aeternum Numen adumbrandi et colendi ratio, quam in Aegypto viderant, etſi hunc perverſum cultum ad יהוה verum Deum Iſraëlis, cuius beneficio ſe a manibus Aegyptiorum liberatos fuiſſe norant, referre cogitarent, quod ipſum Moſes, Scriptor Sacer, ſatis indicat Exod. XXXII. 4, 5. Quam depravatam in Aegypto Iſraëlitarum indolem videns, ſanctiſſimus et ſapientiſſimus Legislator, in lege decem verborum, non modo peregrinorum deorum, ſed et veri Dei peregrinum, et fictum e cerebro humano, cultum per imagines populo ſuo interdixit. Apparet ex eo, diverſam eſſe cauſam praecepti primi ac ſecundi legis Sinaiticae, Exod. XIX. 3, 4. Conf. Levit. XXVI. 1 et loca ſimilia.

§ XV.

Quaeritur, an Numinis Remphah etiam scriptores profani meminerint. Sunt nomina Aegyptiaca, quorum in unico tantum scriptore mentio superest. Exemplum est in Neith, in Athor et Besa.

Quaerere quis posset, quaenam causa sit, quod, cum *Remphah*, ut hactenus ostensum fuit, sanctissimum et celeberrimum Aegypti Numen esset, nulla tamen eius apud profanos scriptores mentio occurrat. Praeter LXX enim Seniores, quos sequitur Stephanus Martyr, nemo est, qui *Remphae* Aegyptii, sub hoc nomine, commeminerit. Huic difficultati, quae possit quibusdam non minimi ponderis videri, facile tamen me satisfacturum esse, confido. Nam, etsi veteres quorumdam Numinum Aegyptiacorum, velut *Osiridis*, *Isidis*, *Anubidis*, *Hori*, aliorumque nomina vere Aegyptiaca persaepe referant, sunt tamen etiam; quae inter ἅπαξ λεγόμενα merito numerari queant, Quis hodie sciret, sanctissimum Aegyptiorum Numen Saï cultum, quod Graeci *Minervam* interpretantur, Νηΐθ, ⲚⲎⲤⲦ sive ⲚⲎⲤⲐ, audivisse sermone Aegyptiorum vernaculo, nisi unus *Plato*, qui in Aegypto cum sacerdotibus conversatus est (*l*), id memoriae prodidisset, in Timaeo p. 474 edit.

(*l*) Fallitur *Thomas Hydeus*, doctissimus vir, qui in libro de Rel. Persar. p. 52 ait, ab interpretibus Latinis Νηΐθ in *Platone* male verti *Minervam*. Nam haec non est explicatio interpretum *Platonis*; sed ipsius *Platonis*, cuius verba sunt: Ἀιγυπτιςὶ μὲν τ' οὔνομα Νηΐθ, Ἑλλενιςὶ δὲ, ὡς ἔοικεν λόγος, Ἀθηνᾶ. Nec minus fallitur, quando putat, hanc Νηΐθ eamdem esse cum *Anaitide* Persarum, in quo tamen Celeberrimus *Relandus* ipsum se-

edit. Basil. Valder. Etsi enim huius Aegyptiorum Divinitatis (*m*) alii quoque meminerunt, apparet tamen illico, eos id ex *Platone* hausisse, et ad Timaeum eius respexisse. Postquam hoc ex *Platone* didicimus, haud difficulter *Eratosthenem* intelligimus, qui (*n*) in Catalogo regum Thebaeorum Aegypti Νίτωκριν interpretatur Ἀθηνᾶν νικηφόρον. Oblitus erat sine dubio *Salmasius* verborum *Platonis*, neque haec ipsa *Eratosthenis* verba recte pensitaverat, cum haec calamo eius excidirent: *Inde nomen* Νίτωκρις, *quod* νικηφόρον *interpretantur. Nam* νισρὼ *in plurali numero sunt victoriae, et* ἴρι *verbum significat facere. Inde* Νισρωρὶ *victorias faciens, vel ferens. Pro quo Graeci, ut duritiem vocis emollirent, dixerunt* Νιτωκρίς, de Ann. Clim. p. 614. Omisit in hac explicatione *Salmasius* interpretationem nominis Νηΐθ, vel Νηΐτ, ad quam eum manu ducebat ipse *Eratosthenes*, nomen hoc exponens ΑΘΗΝΑΝ νικηφόρον. Videtur eius rei a Clarissimo *Bocharto* admonitus fuisse *Salmasius*. Saltem postea ita semet ipsum correxit (*o*): *In Eusebia-*

secutus est, de Vet. Ling. Persar. p. 123. Confer. Dissertatio mea de Neitha, in Miscell. Lipsi. Novis vol. VI p. 447 ac seqq., Pantheon Aegypt. Lib. I cap. 3, et Collectio MS. v. Νηΐθ. [tom. I Opusc. p. 161, 162].

(*m*) *Hesychius* in Νηΐθη. *Arnobius* L. IV adv. gent. p. 137. *Proclus* in Timaeum Plat. p. 30. *Chalcidius* in versione sua Timaei p. 11, ubi legitur *Neuth*, male.

(*n*) Apud *Eusebium* p. 21 edit. Chronici Graeci Scaligeranae, qui illum Catalogum habuit ex *Syncello*, tum nondum edito. Vide dicta in annotatione ad *Eratosthenem*, quam suae Chronologiae Sacrae inseruit *A. des-Vignoles* tom. II p. 755.

(*o*) In addendis ad librum de Annis Climact. Adde *Bocharti* Opuscula, Geographiae Sacrae in novissima editione subiecta p. 831, ubi tamen bis male scribitur νηιθορωρι. Lege, ut supra correxi.

bianis, ſive potius apud Georgium Syncellum legitur, hanc vocem, Νίτωκρις, *ſignificare* Ἀθηνᾶν νικηφόρον. *Fuerit igitur Aegyptiace* νῑϑσρωρί, (ita lege) *Id eſt Minerva victoriam faciens.* De ipſa nominis Aegyptiaci interpretatione *Salmaſiana*, quae a ſcriptura nominis valde noti, Νίτωκρις, nimium quantum recedere omnibus non immerito videbitur, plura iam haud addo. Non minus hodie ignorare nos oporteret aliud Numen, ab Aegyptiis ſumma religione cultum, cuius Graeci ſub nomine Ἀφροδίτης, *Veneris*, meminiſſe ſolent, patrio Aegyptiorum ſermone Ἀθὼρ, ΑΘΩΡ, dictum fuiſſe, niſi Etymologici auctor, ut ſupra iam obſervavi, ex *Orione* id nobis retuliſſet. Praeter eum enim, qui id diſertis verbis ſcriptum reliquerit, reperire hactenus potui neminem. Et nunc tamen id ipſum multis argumentis, ex antiquitate Aegyptiorum, et beneficio linguae eius gentis, confirmare atque illuſtrare poſſumus. Vnum, quod nunc ſuccurrit, ſilentio praetermittere nolo. Meminit *Herodotus* in Proſopitide Nomo in Aegypto urbis, cui nomen fuerit Ἀτάρβηχις. Haec eius ſunt verba Lib. II c. 41: ἐκ τῆς δὲ αἱ βάρις παραγίνονται ἀναιρησόμεναι τὰ ὀξεα τῶν βοῶν. οὔνομα τῇ πόλει Ἀτάρβηχις, *Illa vero urbs* (in Proſopitide inſula), *ex qua proficiſcuntur naves ad oſſa boum auferenda, vocatur Atarbechis.* Exiſtimo, apud *Herodotum* legendum eſſe Ἀτάρβηκις. *Stephanus Byzantius* in Artic. Ἀταρβίκις, ad haec *Herodoti* verba reſpiciens, habet Ἀταρβίκις; ſed vera lectio, ut monui, eſt Ἀτάρβηκις. Ἀτὰρ, vel, ut *Orionem* Graecis literis exprimere vidimus, Ἀθὼρ, eſt nomen Divinitatis, quam Graeci *Venerem* interpretantur. Βήκις eſt vox Aegyptiaca notiſſima ΒΑΚϚ, id eſt, *urbs*. Erit igitur ΑΤΑΡΒΑΚϚ ſive ΑΘΩΡΒΑΚϚ, et cum terminatione Graeca Ἀτάρβηκις, Ἀ-

Φρο-

φροδιτόπολις, *Vrbs Veneris.* Audiamus *Herodotum* explicaturum, quod ipſe forſan non intellexit. Nam poſt verba modo recitata ſic pergit: ἐν δὲ αὐτῇ Ἀφροδίτης ἱρὸν ἅγιον ἵδρυται, *in illa* (Atarbaci) *ſanctum Veneri templum eſt. Herodotus* hic dederat Aegyptiacum illius urbis nomen. Alii ſcriptores Graece appellant Ἀφροδιτόπολιν. Cum enim plures urbes hoc nomine inſignes in Aegypto reperiundae ſint, in Proſopitide Nomo aut inſula, Aphroditopolin agnoſcit; ut urbem notatu dignam, *Strabo* Lib. XVII p. 552 [1154]: καὶ ἔτι ὁ Προσωπίτης νομός (ita legendum cum *Caſaubono*) ἐν ᾧ Ἀφροδίτης πόλις. Plura Aegyptiorum Numina proferre poſſem, quorum vera et patria nomina nonniſi ſemel, aut certe rariſſime, apud ſcriptores vetuſtos occurrunt. Sed iſta poterunt nunc ſufficere. Quid igitur mirum eſt, ſi praeter LXX interpretes, et qui eos ſequitur, Stephanum Martyrem, *Remphae* alius quisquam hoc ipſo nomine non meminerit. Si quid iudico, *Remphah* in Aegypto non fuit nomen proprium alicuius ſimulacri in certam ſpeciem efficti, certisque ritibus ſolemnibus dedicati et culti, quale eſt nomen *Oſiridis*, *Iſidis*, *Hori*, *Ammonis*, ac ſimilium; ſed fuit nomen appellativum, quod quivis Soli et omnibus ſimulacris, eum aliquo modo repraeſentantibus, Oſiridi, Api, Mnevi, céterisque pari iure tribuere poterat, quale eſt illud *regis deorum*, quo Graeci et Romani ornant Iovem ſuum, et *reginae*, vel *reginae Memphiticae*, vel *reginae Coeli*, quod Aegyptii ſuae Iſidi imponunt. Aut forſitan *Remphah* Numen fuit aliquod locale, quod in unico tantum Nomo, aut in unica tantum urbe, religioſis ritibus coleretur, qualia in Aegypto non pauca fuiſſe, novimus. Tale erat Numen *Beſae*, Abydi tantum in Aegypto ſuperiori cultum, et propterea valde obſcurum, cuius unus tantum *Ammianus Marcellinus* mentionem iniicit Lib. XIX p. 164:

Op-

Oppidum est, inquit, *Abydum*, *in Thebaidis parte situm extrema*, *hic Besae Dei*, *localiter appellati*, *Oraculum futura quondam praedicebat.* Conf. Pantheon Aegypt. Lib. v cap. vii § i. Quod si res eodem modo se habuit cum *Remphah*, multo minus mirari nos oportet, quod illum a scriptoribus profanis commemorari non videamus.

§ XVI.

Sunt tamen vestigia Numinis Remphae *in monumentis Aegyptiorum; forte in* Remphi *Rege Aegypti*, *et in urbe* Paremphi, *sed praesertim in* ⲣⲟⲙⲡⲉ, *quae vox Aegyptiis annum significat. Osirin Aegyptii tradunt esse annum. Veteres annum*, *et mensem*, *et diem*, *et noctem divinis honoribus coluerunt*, *et quidem praecipue Mystici et Theurgi; sed et gentes communiter*, *Phryges*, *Graeci*, *Armenii et Gaditani. Cum tribueretur anno cultus*, *potuit et tribui nomen Solis*, *praesertim*, *cum annus certo respectu sit ipse Sol.*

Neque tamen existimandum est, nulla omnino *Remphae* vestigia, in Aegyptiaca Antiquitate reperiunda, nobis superesse. Supra habuimus *Remphin*, Aegypti regem, quem si a *Remphah* vel *Rempheh* nomen habuisse dixero, nihil dixero a moribus Aegyptiorum alienum. Aegyptii enim ipsa Deorum suorum nomina gerere admodum frequenter solebant. *Lucianus* hunc Aegyptiorum morem salse perstringit. Nam cum de Graecis quaedam huc pertinentia commemorasset, ita pergit: ἐῶ γὰρ τοὺς Αἰγυπτίους, οἵπερ καὶ δεισιδαιμονέςατοί εἰσι πάντων, ὅμως τοῖς θείοις ὀνόμασιν εἰς κόρον ἐπιχρωμένους· σχεδὸν γοῦν τὰ πλεῖςα αὐτοῖς ἐξ οὐρανοῦ ἐςιν, *Omitto Aegyptios*, *qui*, *quamvis mortalium omnium sint superstitiosissimi*, *di-*

divinis tamen nominibus ad ſatietatem utuntur. Itaque paene omnia e coelo illis deſumta ſunt. Vide librum pro imagin. p. 44 edit. Salmur. [tom. 11 pag. 506]. Et quis ignorat, in hiſtoria Aegyptiorum continuo occurrere *Petoſirin*, *Petiſium*, *Serapionem*, *Athotem*, *Orionem*, et ſimilia. Quae omnia nomina gens illa ſervavit, etiam poſtquam Chriſti Sacra, pulſo idolorum cultu, ubique iam obtinebant. Nam et inter Monachos Aegyptios reperias, *Piamun*, *Pior*, *Anub*, *Iſidorum*, et quos non alios? Vero itaque diſſimile non eſt, a *Remphah*, regem Aegypti *Remphin* nomen accepiſſe. Vrbem etiam in Aegypto, *Paremphin* nomine, apud *Stephanum Byzantium* in Πάρεμφις, et (*p*) in nummis, memorari video, de qua idem dicendum eſt. Nulla enim fere eſt Aegypti urbs paulo celebrior, quae non a Numine quopiam nomen traxerit. Sed illud prae aliis memoratu dignum eſt, quod vox Aegyptiorum ⲣⲇⲙⲛⲥ, quo illi in communi uſu *annum* deſignant, ſi originem et etymologiam ſpectes, mihi quidem nihil aliud, quam *regem Coeli*, innuere videatur. Incolae Thebaidis, vel Aegypti ſuperioris, quorum dialectus haud dubie antiquior eſt communi dialecto, *Coelum* dicebant, non ϕⲉϫ, *pheh*, ut alii Aegyptii, ſed ⲡⲉ, *pe*, ut ex quibusdam illius dialecti fragmentis, in Bibliotheca Oxonienſi, et in Regia Pariſienſi mihi viſis, intellexi. Antiquiſſima itaque Aegyptiorum lingua ⲣⲇⲙⲛⲉ ſignificabat *regem coeli*, et hoc ipſum in dialecto Thebaidis vel Sahidis, uti ab Arabibus vocatur, anno nomen eſt, quod in communi dialecto, ut dicebam, ⲣⲇⲙⲛⲥ effertur. Ⲣⲇⲙⲛⲉ igitur, et communi dialecto

(*p*) Tales *Holſtenius* producit, in notis ad *Stephanum* p. 243. [Conf. tom. 1 Opuſc. *Iablonskii* p. 445].

lecto ρομπς, proprie significat *regem coeli*, et deinde ex usu Aegyptiorum *annum*. Nempe Solem ideo venerati quoque sunt Aegyptii, quod annum et mirabiles illius vicissitudines efficeret, atque hoc ipso omnia conservaret. Osiris itaque ab Aegyptiis, mysticam sacrorum suorum rationem tradentibus, nonnumquam explicatur *annus*, teste *Tertulliano*, Lib. I adverſ. Marcion. c. XIII: *Sic et Osiris, quod semper sepelitur, et in vivido quaeritur, et cum gaudio invenitur* — RECIDIVI ANNI *fidem argumentatur*. *Recidivus annus* est, qui et vocatur *vertens*, quem *Censorinus* ita describit, de Die Nat. c. XIX: *Annus vertens est natura, dum Sol percurrens duodecim signa, eodem, unde profectus est, redit. Censorinus* itaque annum hunc vertentem *naturam* esse ait, unde consequitur, ex sententia Gentilium, ipsum Solem, *regem coeli*, revera esse annum, vel causam efficientem, ut omnia ad pristinum statum redeant, etsi communi sermone tempus, quo Sol cursum suum conficit, annum vocare soleamus. Vetusti Gentilium Theologi ad primas et aeternas rerum omnium causas mentem suam direxere, in quibus inveniendis et describendis diversa inter se usi sunt methodo. In eo tamen fere omnes consensere, ut effectis nobilioribus harum causarum et nomina Divina et Divinos honores tribuerent, inque illis causam eorum efficientem venerarentur. Quamobrem cum Sol et Luna, motibus suis, *annum*, *mensem*, *diem* etiam et *noctem* efficiant atque temperent, temporis hasce dimensiones, ceu nobilissimos Solis et Lunae effectus, per σωματοποιΐαν pro Numinibus (*q*) apud gentes quam plu-

(*q*) Sic etiam Zeno Stoicus apud *Ciceronem* de N. D. Lib. I cap. 14.

plurimas habitas, et divinis honoribus mactatas fuisse; luculentis veterum teſtimoniis conſtat. Tempori in univerſum, quod aevi vel aeternitatis, τοῦ αἰῶνος, imaginem eſſe volunt, divinitatem tribuit Theologia Paganorum Myſtica, uti praeſertim ex (r) *Proclo*, Theologiae illius idealis doctore diſertiſſimo, addiſci poteſt. Quae is ex principiis ſubtilis illius Theologiae idealis prolixe explicuerat de Temporis Divinitate, in *Platonis* Timaeum Lib. IV, ea ſic tandem velut in compendium redigit p. 251: δύναιτο δ' ἂν τὰ ἄστρα καὶ ὄργανα λέγεσθαι χρόνου, ὡς τοῦ χρόνου ποιητικὴν ἔχοντος ἀξίαν πρὸς αὐτὰ, καὶ δι' αὐτῶν, ὥσπερ δι' ὀργάνων τὴν γένεσιν διακοσμοῦντος· ᾧ καὶ δῆλον, ὡς ἄρα ὁ χρόνος οὐκ ἔξιν ὁ μετεχόμενος μόνον, καὶ ἀριθμὸς ὢν τῆς κινήσεως, εἴπερ ὀργάνων ἔχουσι πρὸς αὐτὸν τάξιν οἱ (s) κοσμοκράτορες, ἀλλὰ θεὸς ἀφανὴς, καὶ κατ' οὐσίαν αἰώνιος ἐνεργῶν περὶ πάσας τὰς κινήσεις, καὶ τὴν ὅλην τοῦ κόσμου περίοδον, ὀργάνοις δὲ χρώμενος, ὡς μερικωτέροις μέτροις ἑαυτοῦ τούτοις τοῖς θεοῖς· *Poſſunt et Aſtra inſtrumenta temporis appellari, ſiquidem tempus ad illa relationem habet cauſae efficientis; et per illa ceu per inſtrumenta omnia producit, et efficit. Ex quo etiam apparet, tempus non modo participare* (vel aliunde procedere) *et motus omnis menſuram eſſe, ſiquidem rectores mundi, inſtrumenta illius cenſentur, ſed eſſe Numen inviſibile, ſubſtantia aeternum, circa omnem motum, totumque huius Vniverſi ambitum efficax et actuoſum, quod Diis hiſce* (Aſtris) *ut particularibus ſui ipſius menſuris utitur.* Verum hae *Procli* argumen-

(r) Vide cumprimis eius in Timaeum *Platonis* Commentar. Lib. IV paſſim, praeſertim p. 241, 246, 251.

(s) Κοσμοκράτορες, *Mundi rectores.* Ita apud Theologos Platonicos, et Aſtrologos dicuntur ſeptem Planetae.

mentationes de temporis divinitate a nemine recte intelligi poſſunt, niſi qui totam illius hac de re diſputationem bene longam perlegerit, quique praeterea Theologiam Platonicorum, et quidem recentiorum, familiarem ſibi reddiderit. Ratiocinationibus ſuis ex principiis Theologiae ſuae Platonicae petitis addit ea, quae nitebantur perſuaſione populorum, quaeque in Sacris a Theurgis fieri conſueverant: Ἀλλὰ καὶ οἱ θεουργοὶ συνάδουσι, θεὸν ἐγκόσμιον τὸν χρόνον ὑμνοῦντες, αἰώνιον, ἀπέρωντον, νέον καὶ πρεσβύτην, ἑλικοειδῆ· *Verum et*, inquit, *Theurgi hiſce concinunt, qui Tempus hymnis ſuis celebrant, tamquam Numen, quod rerum univerſitati intereſt, aeternum, infinitum, recens et antiquum, circulo ſimile* (quippe quod in ſe redit). Alibi provocat ad receptas omnium gentium ea de re opiniones: Κοινῆς οὔσης ἐννοίας, εἶναι τὰς ὥρας θεὰς, καὶ τὸν μῆνα θεὸν, ὧν καὶ ἱερὰ παρειλήφαμεν, καὶ ἡμέραν καὶ νύκτα θεὰς εἶναι φάμεν· ὧν καὶ κλήσεις (*t*) ἔχομεν ἐκδεδομένας παρ' αὐτῶν τῶν θεῶν. Πολλῷ μάλλον ἀνάγκη τὸν χρόνον αὐτὸν εἶναι θεὸν, καὶ μηνὸς, καὶ ὡρῶν, καὶ νυκτὸς, καὶ ἡμέρας ὄντα περιληπτικόν· *Cum ſit communis et recepta omnium ſententia, horas eſſe Deas, et Menſem eſſe Deum, quorum et Sacra tradita accepimus: cum Diem et Noctem Deas dicamus, quarum denominationes ab ipſis diis habemus: quanto neceſſarium magis eſt, ut tempus ipſum ſit Deus, quod menſem et horas, et diem, et noctem in ſe comprehendit*, pag. 248. Diſcrimen itaque inter Philoſophos et vulgum gentilium in eo ſitum erat, quod illi

(*t*) Κλήσεις. Videndum, an non potius hic intelligantur *invocationes efficaces*, de quibus multa Platonici recentiores et Theurgi. Sic κλήσεις ἄφθεγκτοι in Oraculo apud *Euſebium* Praepar. Evang. Lib. v c. XIV.

illi ad tempus ipſum, quod partes ſui in ſe continet, cogitatione adſcenderent, cum hi partes tantum temporis demenſas, *annum*, *menſem*, *diem* et *noctem* nominibus et honoribus divinis mactarent. Menſem divino cultu proſecutos fuiſſe Phryges, teſtatur *Lucianus* in Iove Tragoedo p. 233: Φρύγες (θύουσι) μηνὶ (ita malim legere pro eo, quod vulgo legitur μήνη) καὶ Αἰθίοπες ἡμέρᾳ, *Phryges ſacra faciunt Menſi*, *Aethiopes vero Diei* (*u*). Vides jam, ſi correctionem meam (*) admittas, verba *Luciani* aptius cohaerere. Dicit enim, quosdam Menſi, alios Diei ſacrificaſſe, quemadmodum et in verbis modo citatis *Proclus* diem et menſem coniunxit. Sed eamdem correctionem egregie inprimis confirmat *Proclus* in Timaeum Lib. IV p. 251 ſic commentatus: καὶ παρ' Ἕλλησι μηνὸς ἱερὰ παρειλήφαμεν, καὶ παρὰ Φρυξὶ μῆνα Σαβάζιον ὑμνούμενον, καὶ ἐν μέσαις ταῖς τοῦ Σαβάζιου τελεταῖς· *Etenim apud Graecos accepimus ſacra fuiſſe Menſi inſtituta*, *et Phryges* (*v*) *Sabazium*

(*u*) Αἰθίοπες ἡμέρᾳ: Haec eximie illuſtrantur ex iſtis *Euſtathii* in *Dionyſ.* Perieg. [v. 243] p. 42 fin. edit. R. Steph.: διὰ τοῦτο τοίνυν ἡῶ σωματικώτερον τὴν τοῦ Μέμνονος νοοῦσι μητέρα, τὴν ἡμέραν τὴν θεὰν, τὴν πρὸς τοῖς Αἰθίοψιν, εἰς οὓς καὶ ἡ τοῦ Δέλτα ὀξύτης ἀφορᾷ. ἧς ἡμέρας ἐν ταῖς νοτίαις Θήβαις ἀνέῳγεν ἄγαλμα.

(*v*) Verba haec duplicem habere poſſunt ſenſum: nam 1) id ſignificare poteſt *Proclus*, menſem unum ex XII *Sabazium* dictum, divinis honoribus cultum fuiſſe. Et certe non eſt, quod dubitem, quin Phryges habuerint menſem, quem ipſi ſermone patrio *Sabazium* appellarunt. Bithyni enim, quos eamdem cum Phrygibus linguam habuiſſe, monui iam in Diſquiſit de lingua Lycaon. § XIV, quod-

que

(*) Μηνὶ in textum recepit *Moſes Solanus*, Μήνῃ revocavit *Reitzius* tom. II p. 690.

-zium *Menſem hymnis celebraſſe, etiam quando ipſa Sabazii myſteria peraguntur.* De Phrygibus idem refert, quod *Lucianum* commemorantem audivimus. De Graecis, quorum in verbis citatis mentionem *Proclus* fecerat, ex aliis monumentis id facile confirmari poteſt. *Diogenes Laërtius*, ubi ſymbolum illud Pythagorae, *Gallo albo eſſe abſtinendum*, explicat, hanc etiam rationem adfert, ὅτι τῷ μηνὶ ἱερός, vel potius, ut habet antiqua lectio, ὅτι ἱερὸς τοῦ μηνός, *eo quod* (x) *Men-*

que pluribus facillime probari poteſt, menſes ſuos a Diis cognominarunt. Nomina horum Menſium ex Cod. MS. *Joſ. Scaliger* edidit, de Emend. Temp. Lib. 1 p. 50. Sed illa Graeca ſunt, ex ſermone Bithynorum converſa, excepto Βενδιδίῳ. Hic ſolus ſervat typum vetuſtum Bithynorum. Graeci hunc menſem dixiſſent Ἀρτεμίσιον. Nam Ἄρτεμιν interpretantur, i. e. *Dianam*, quam Phryges Βένδιν vocabant. Occurrit in his etiam Menſis Διονύσιος. Hic procul dubio Phrygibus et Bithynis vernaculo ſermone audiebat Σαβάζιος. Nam Phryges Numen illud, quod Graeci Διόνυσον vocant, dixiſſe Σαβάζιον, referunt veteres. Ariſtoph. in Avibus p. 402, edit. Graec. Baſil. [v. 874], ubi conſulendus omnino Scholiaſtes vetus; ex quo emendari poteſt facile Etymologici auctor, in Σαβάζιος. Namque illic pro ἐν βαδίζειν, legendum omnino eſt ἐνάζειν. Adde *Euſtath.* in *Dionyſ.* Perieg. [v. 704] p. 147, edit. Rob. Steph. Aut 2.) id ſignificare poteſt *Proclus*, Sabazium ſanctiſſimum apud Phrygas Deum, in myſteriis etiam haberi pro Menſe. Sabazius enim a Thracibus et Phrygibus, qui eiusdem originis ſunt, nil aliud, niſi Sol eſſe credebatur. Vide *Marcrobium* L. 1 c. 18 Saturnal. p. 201. Solem autem et a Phrygibus quidem vocari etiam *Menotyrannum*, i. e. *regem menſium*, ex eleganti inſcriptione intelligitur, quam vide apud *Reineſium* in Syntagm. Inſcript. p. 64.

(x) Obſervavit *Salmaſius* in *Spartiani* Caracall. *Plinium* reſpicientem ad hoc Pythagorae ſcitum, Gallum Gallinaceum τοῦ μηνὸς ἱερὸν fuiſſe, vertiſſe *Menſi ſacrum*, quod ſi verum foret, magnum ſententiae *Salmaſii* pondus adiecturum eſſe, *Cuperus* largitur. Locus *Plinii* hactenus reperiri non potuit. Quidſi *Salmaſius* veterem *Diogenes Laërtii* in-

Menſi ſacer eſt, in vita Pythag. L. VIII Segm. 34, quae repetita videbis a *Iamblicho* in vita Pythag. c. XVIII p. 70 edit. Kuſteri. Equidem *Iſ. Caſaubonus*, vir harum rerum periti[ſ]ſimus, μῆνα non putat hoc loco ſignificare *Menſem*, ſed *Lunam*, ſigno tantum Maſculini generis elatam, uti Latini etiam *Lunum* ſua lingua dici poſſe volunt. Vide ad *Spartiani* Caracall. c. VII. Et quamvis *Salmaſius* poſtea in eumdem *Spartiani* locum docuiſſet, haud dubie non modo Lunae, ſed et Menſi apud Graecos et Barbaros ſacra fieri conſueviſſe, celeberrimus tamen *Cuperus*, in Harpocrate p. 16, *Caſauboni* ſententiam veriorem eſſe ratus, multis oſtendere laboravit, in omnibus veterum locis, quae indicant μηνὶ ſacra facta eſſe, per μῆνα non intelligendum eſſe *Menſem*, ſeu orbem, quem menſtruo curſu Luna abſolvit, ſed ipſam *Lunam* ſub habitu tantum Maſculino repraeſentatam, aut *Deum Lunum*, et ingenioſis ſuis obſervationibus, eruditos (*y*) tantum non omnes in ſuas partes pertraxit. Verum ea, quae ex *Proclo* hactenus iam adduximus, quaeque in eamdem rem adhuc ſumus allaturi, de eo nos dubitare non ſinunt, Graecos praeter Lunam, ſingulari etiam cultu Menſem proſecutos fuiſſe. De Deo Μηνὶ, extat etiam obſervatio *Io. Alb. Fabricii* in Menologio p. 2. Armeniis eumdem cultum tribuit *Strabo* L. XII p. 383 [835] Ἔχει δὲ καὶ τὸ ἱερὸν Μηνὸς, Φαρνάκου καλούμενον, *Eſt et* (*Cabiris*) *tem-*

interpretem, quem *Caſaubonus* ad *Laërtium* adducit, cum *Plinio* confuderit? Nam ille vertit *Menſi ſacratus eſt*. Ceterum puto, rationes, quas in medium attuli, non minoris fore ponderis, quam verſionem *Plinianam* ſciti Pythagoraei.

(*y*) Ipſe *Menagius* argumentis *Cuperi* a priſtina ſententia abduci ſe paſſus eſt. Vide eius notas in *Laërtium* p. 369. Vide et *Vitringae* Comment. in Iſ. LXV. comm. II, et quos ille praeterea viros doctos illic nominat.

templum Menſis, quod dicitur Pharnacis. Addit inſignis ille auctor, moris fuiſſe regibus, ut iurarent μῆνα Φαρνάκου, *per menſem Pharnacis*; ſic enim locum hunc intelligo. Ea, quae ſequuntur de templis et ſacris Lunae et Menſis, cum *Strabo* hic perbrevis ſit, nosque alia monumenta deſtituant, mihi obſcura ſunt. Ibidem templi meminit in Phrygia, quod et Lunae et Menſi ſacrum fuerit. In eodem loco, unico verbo tangit templum Ἀσκαίου *Aſcaei* apud Antiochiam Piſidiae, quod ſacris hiſce celebritatem ſit conſecutum. De hoc ipſo alibi in deſcriptione Phrygiae p. 397 [864, 865] hunc in modum loquitur: Ἦν δὲ ἐνταῦθα καὶ ἱερωσύνη τὶς Μηνὸς Ἀρκαίου, πλῆθος ἔχουσα ἱεροδούλων, καὶ χωρίων ἱερῶν, *Fuit ibi etiam ſacerdotium Menſis Arcaei, multitudinem hierodulorum habens et ſacrorum locorum* (z). In Phrygia pariter diligentiſſimus hicce ſcriptor obſervat, inter Carura et Laodiceam ſitum fuiſſe ἱερὸν Μηνὸς Κάρου καλούμενον, τιμώμενον ἀξιολόγως, *Fanum Menſis, Cari cognominatum, quod magna veneratione cultum fuerit*, p. 399 [869]. Quae omnia pariter ea, quae ex *Luciano* et *Proclo* de cultu menſis apud Phryges ſupra obſervavimus, non leviter confirmant. Si hoc nondum ſufficeret ad probandum, praeter Lunam, orbem quoque illum, quem curſu ſuo menſtruo Luna conficit, quem vocamus menſem, per σωματοποΐαν divinis honoribus cultum fuiſſe, id certe dubium omne tollit, quod μῆνα *menſem* cum *anno* con-

(z) Qui hic vocatur Ἀσκαῖος, et mox Ἀρκαῖος, a *Plutarcho* in libro de Paſſionibus corporis et animae in fin. p. 891 edit. Steph. dicitur Ἀσκραῖος, quem interpretatur Iovem Lydorum. Verba ita ſonant: οὐκ Ἀσκραίῳ Διὶ Λυδίων καρπῶν ἀπαρχὰς φέροντες. *Apollonius* Hiſtoriae commentitiae cap. XIII: Ἐν τῷ κατὰ τόπους μυθικῷ, ἐν Ἀλικαρνάσσῳ θυσίας τινὸς τῷ Διὶ τῷ Ἀσκραίῳ τελουμένης κ. τ. λ.

coniungi, et utrumque ab Ethnica antiquitate in Deorum cenſum referri videmus. Eximia hanc in rem verba ſunt (*a*) *Aeliani*, de Gadibus ita referentis: ὅτι ἐν Γαδείροις βωμὸς ἐνιαυτῷ ἵδρυται, καὶ μηνὶ ἄλλος, εἰς τιμὴν χρόνου βραχυτέρου τε καὶ μικροτέρου, ubi pro μικροτέρου, haud dubie legendum eſſe μακροτέρου per ſe quivis facile intelligit, *Gadibus aram unam anno, alteram menſi erectam eſſe, in honorem temporis cum brevioris, tum longioris.* Et de Theurgis in univerſum *Proclus* obſervat in Timaeum Lib. IV p. 251: Οὐ τὸν χρόνον μόνον ὡς θεὸν ὑμνήκασιν, ἀλλὰ καὶ ἡμέραν αὐτὴν, καὶ νύκτα, καὶ μῆνα θεὸν, καὶ ἐνιαυτόν. *Non tempus tantum ut Deum celebrant, ſed et diem ipſum, et noctem, et menſem dixerunt Deum, et annum.* Quid poſt haec opus eſt, plura addere? Si igitur, ut prolixe hactenus oſtendimus, anno potuerunt tribui honores; quos re ipſa Soli, cauſae efficienti circuli annui decernebant Gentiles, quidni et nomen, Soli tribui ſolitum, anno ſimiliter adhaerere potuit? Annus certe, ut ſupra ex *Cenſorino* obſervabamus, eſt ipſe Sol, *rex Coeli*, curſu ſuo abſoluto, omnia ad priſtinum ſtatum reducens. Hunc igitur plenum perfectumque annum, quem ſerius ab Aegyptiis inventum eſſe novimus, videntur nomine ipſius Solis *regem Coeli* cognominaſſe. Auctor eſt *Cenſorinus* de Die Nat. c. XVIII, *Magnum annum* (*b*) i. e. plenum et perfectum, *a quibusdam dici*

(*a*) In libro iam deperdito de Providentia, apud *Euſtathium* in *Dionyſ.* Perieget. [v. 453] pag. 75 edit. Rob. Steph. Cauſam iſtius cultus non difficulter aſſequetur, qui *Strabonis* de Gadibus diſputationem expenderit Lib. III, praeſertim p. 119, 120 [262, 263].

(*b*) Conſtantem diebus 365, et ſex horis, quem ab Aegyptiis paulatim inventum et perfectum fuiſſe, cum antea annos minus accurate computaſſent, notum eſt omnibus.

dici ἡλιακὸν (annum ſolarem) *et ab altis τὸν θεοῦ ἐνιαυτόν.* (*annum Dei*). Ex quo ſuſpicio oboriri poſſet, Aegyptios annum magnum ſolarem ſermone ſuo dixiſſe ΠΑΡΔΩΠΕ, quod ſignificaret *τὸν τοῦ βασιλέως οὐρανοῦ* (ſubintell. *ἐνιαυτὸν*) *annum regis coeli*, quae vox poſtea ſucceſſu temporis, abiecta compendii cauſa priori ſyllaba, in ΡΔΩΠΕ abire potuit. Nihil in his definio. Id tamen dubio omni carere mihi videtur, Numinis *Remphah*, cuius, ex LXX Seniorum verſione, apud Lucam Stephanus mentionem facit, in voce Aegyptiaca ΡΔΩΠΣ, vel ΡΔΩΠΕ, veſtigia ſupereſſe luculenta et obſervatu non indigna. Forſitan eruditorum quispiam, ex iis, quae de iſthoc argumento huc usque delibavimus, occaſionem aucupabitur, rem hanc, quae operae pretium feret, pluribus illuſtrandi.

DISSERTATIONES ACADEMICAE OCTO

DE TERRA GOSEN.

INDEX

DISSERTATIONVM.

I. De variorum circa ſitum Terrae *Goſen* opinionibus.

II. De rationibus, quibus variae illae opiniones nituntur.

III. De vero ſitu Terrae *Gòſen* prima, oſtendens, Goſen in tractu Heracleotico eſſe quaerendam, idque adſtruitur ex praeſtantia illius regionis.

IV. De vero ſitu Terrae *Goſen* ſecunda, in qua quaedam ad Geographiam Aegypti Moſaicam ſpectantia explicantur et illuſtrantur.

V. De vero ſitu Terrae *Goſen* tertia, in qua adſtruitur, *Goſen* eſſe tractum Heracleoticum, ex huius ſitu, itemque exitu Iſraëlitarum ex Aegypto.

VI. De

VI. De vero ſitu Terrae *Goſen* quarta, qua ſitus illius Terrae, a nobis indicatus, ex vetuſtis Aegyptiorum traditionibus confirmatur et illuſtratur.

VII. De nomine Terrae *Goſen* prima, qua oſtenditur, *Goſen* Aegyptiorum ſermone idem ſonare, quod Graecis *Heracleopolis*, videlicet *terram Herculi ſacram*.

VIII. De nomine Terrae *Goſen* ſecunda, qua de ſtatu Idololatriae apud Aegyptios, tempore Ioſephi Patriarchae, vetuſtiſſimo, ac ſpeciatim de cultu *Herculis* diſſeritur.

DIS-

DISSERTATIO I,

QVA

OPINIONES ALIORVM PROPONVNTVR.

§. I.

Scopus et Oeconomia huius commentationis declaratur.

Fatebuntur facile omnes, qui ad inveſtigandam paulo accuratius memorabilem illam hiſtoriam, quam de Ioſephi et ceterorum Iſraëlitarum, in Aegypto, vita, ſtatu, ac rebus geſtis, ſcriptor omnium vetuſtiſſimus, idemque Θεόπνευστος, Moſes, literis conſignavit, animum ſuum appulerint, multa illic etiamnum ſupereſſe ſcitu iucundiſſima et digniſſima, cum ad hiſtoriam vetuſtiorem Iudaeorum et Aegyptiorum illuſtrandam, tum ad antiquitatem et αὐθεντίαν librorum Moſis egregie confirmandam, ſed quae ex tenebricoſa antiquitatis nocte nondum ſatis evoluta et in lucem protracta fuerint. Cuius rei hanc praecipuam cauſam fuiſſe reor, quod lingua Aegyptiaca, ſive, ut communi uſu, tracta ab Arabibus pronuntiatione, nuncupari ſolet, Coptica, vel ſola antiquitate ſua venerabilis, et ad recte intelligendas antiquitates Aegypti omnino neceſſaria, ab eruditis tam diu neglecta et inculta iacuerit. Quemadmodum enim in Geo-

LIBRARY

Geographia Terrae Sanctae, et in omnibus aliis, quae ad antiquitates Gentis Iudaicae ſpectant, parum proficiet, qui linguae Hebraicae notitiam nullam habeat, ita quis eſt, qui dubitare poſſit, quin eadem plane ſit ratio antiquitatum Aegypti, quas is demum in certam et ſplendidam lucem proferet, qui linguam Aegyptiorum patriam ubique in conſilium adhibere, huiusque beneficio ex multis denſisque tenebris feliciter eniti didicerit. Poſſemus id, quod paucis tetigimus, magna exemplorum copia comprobare; verum, ne, dum Diſputationes Academicas ſcribimus, inſtituti noſtri modum excedamus, contenti ſimus, huic rei nunc unico, ſed illuſtri profecto, exemplo fidem feciſſe. Animus nempe eſt, de *Terra Goſen*, Abrahamidis a Deo in Aegypto conceſſa, quaedam Exercitationibus hiſce commentari, idque non ignobile argumentum, in quo illuſtrando multorum induſtria ſeſe iam exercuit, ex lingua et antiquitate Aegyptiorum, nova quadam luce perfundere. Qua quidem in re eo modo verſabitur atque procedet noſtra opera, ut I. exponamus, quaenam de ſitu Terrae *Goſen* veterum et recentiorum fuerint opiniones. II. in fundamenta et rationes iſtarum ſententiarum inquiramus. III. verum Terrae illius ſitum oſtendamus, noſtramque ſententiam ex lingua Aegyptiaca, aliisque idoneis argumentis, confirmemus. IV. de ſtatu et fatis Iſraëlitarum in *Goſen* quaedam ſubiiciamus. Quibus omnibus V. meditationes Theologicae de *Goſen* coronidem imponent.

§ II.

Compendium eorum, quae Moſes de Terra Goſen memoriae prodidit.

Goſen regio eſt Aegypti, cuius apud exoticos Scriptores nullam quidem expreſſam mentionem fieri vi-

de-

demus, ſed quam tanto celebriorem, noſtraque attentione digniorem reddidit Hiſtoria Moſaica. Illa enim *Goſen* nobis repraeſentat, ut partem Aegypti longe fertiliſſimam et beatiſſimam, Gen. XLV. 18, XLVII. 6, 11. Cum autem ipſa Aegyptus, quam late Nili fluentis irrigatur, omnes fere totius orbis regiones, praeſtantia ſoli, foecunditate, et rerum omnium abundantia ſuperet, hinc ubertatem Terrae *Goſen* aeſtimare licet, quae alias Aegypti partes antecelluit, uti Aegyptus reliquum orbem terrarum. Ex eadem Moſis hiſtoria et hoc diſcimus, *Goſen* fuiſſe regionem, quam Deus poſteris Abrahami, omnium primam ac veluti propriam ſuam poſſeſſionem inhabitandam tradidit, ut ipſis eſſet pignus aliquod terrae amplioris et melioris, quam ex benigniſſima promiſſione Dei praeſtituto tempore olim occupaturi eſſent. Hanc enim Aegypti, ſive regionem, ſive Praefecturam, Ioſephus, Aegypti Prorex, Patri ſuo Iacobo, ex conſilio Dei, deſtinaverat, hanc ei obtulerat, ut eum cum familia ſua in Aegyptum ad ſe pelliceret, Gen. XLV. 10, XLVI. 28. Quam conditionem ſibi oblatam cum Iacobus non illibenter acceptaſſet, Rex Aegypti ratam eam eſſe iuſſit, et conſenſu regio confirmavit, Gen. XLVII. 6. A quo tempore familia Iſraëlitarum *Goſen* inhabitavit, multis confeſtim poſſeſſionibus donata et locupletata, Gen. XLVII. 11, 12, 27, ex qua in Terram Canaanis quidem, ad ſepelienda Patris ſui Iacobi oſſa, aliquando exiit, ſed ita tamen, ut in eamdem, utpote iam ſuam, protinus rediret, Gen. L. 8. In eadem Aegypti regione Iſraëlitae, poſt id temporis, tam numeroſa prole aucti fuere, ut ipſis indigenis pertimeſcendi iam viderentur, Exod. I. 7, 9, 10. Illo enim tempore, de quo in verbis modo citatis ſermo eſt, gentem Abrahamidarum adhuc Terram *Goſen* incoluiſſe et poſſediſſe, dubium minime eſſe poteſt. Id enim Scriptor ſa-

ſacer, Exod. VIII. 22, et IX. 26, conceptis verbis teſtatur. Ex quo non abſurde colligimus, Iſraëlitas, quorum iam in immenſum excreverat numerus, et quibus, propter religionis et morum ingentem diſcrepantiam, cum avitis Aegypti incolis non bene conveniebat, tum fere ſolos, et a reliquis Aegyptiis ſegregatos, *Goſen* inter ſe diviſiſſe, exceptis forte iis, qui nomine regis ius dicebant, ſupremaeque eius, etiam inter Iſraëlitas, auctoritatis regiae vindices erant. Quare cum *Goſen* eſſet terra Iſraëlitarum peculiaris, ſicuti Iſraëlitae populus erant Dei peculiaris, eam etiam videmus, Divinis et iucundiſſimis quidem miraculis, ſingularem in modum, fuiſſe colluſtratam, iisque beneficiis et privilegiis ornatam, a quibus reliqua Aegyptus tota excluſa erat. Nam cum univerſa Aegyptus, iuſto Dei iudicio, muſcis caninis, veluti colluvione quadam, inundata et vehementiſſime afflicta eſſet, ſola *Goſen*, in qua Deus cum populo ſuo habitabat, mali huius graviſſimi nihil omnino ſenſit, Exod. VIII. 21, 22. Conſimiliter, cum pars maxima animalium, quae alebant Aegyptii, una die periiſſet, ac brevi poſt horrida grando agros Aegyptiorum omnes devaſtaſſet, neque minus homines et pecudes in agris ad necem usque percuſſiſſet, unicam *Goſen* ab hac calamitate exceptam eſſe voluit Deus, Exod. IX. 4, 6, 23, 24, 25, 26. Cum ſpiſſae tenebrae, per integrum triduum, totam Aegyptum preſſiſſent, Iſraëlitae tamen, in habitationibus ſuis, iucunda lucis uſura, ut antehac, interea fruiti ſunt, Exod. X. 22, 23. Quando media nocte omnes omnino Aegyptiorum primogeniti, mandatu Divino, ſimul moriebantur, Iſraëlitici benigne in vita conſervabantur, Exod. XI. 4, 5, 6, 7. Hoc de quinque Aegyptiorum plagis obſervaſſe Moſen videmus. Sed ambigi non poteſt, quin eadem Iſraëlitarum in *Goſen* ratio fuerit, dum aliis malis et plagis re-

reliqui Aegyptii caſtigarentur. Recte *Bochartus*, poſtquam in aliis, quas modo memoravimus, plagis diſcrimen Aegyptios inter et Iſraëlitas in *Goſen* obſervaſſet, haec ſubiungit (*a*): *Quod ipſum de reliquis Aegyptiis plagis ſupplendum eſt, quamvis non expreſſe dicatur.* *Goſen* igitur, quemadmodum ex dictis luculenter perſpicitur, Terra fuit, quam Deus populo Iſraëlitico in anteceſſum habitandam dedit, in qua eos voluit augeri, inque tam numeroſum et potentem populum excreſcere, qui exercitus robuſtos adverſus Cananaeos ducere, vi armorum terram, a Deo promiſſam, ſibi ſubiicere, et populum Canaanis maledictum internecione delere poſſet.

§ III.

Situs Terrae Goſen, hactenus ab eruditis ei aſſignatus, dubio non caret.

Quae cum ita ſint, et Deus ipſe Terram hanc tot illuſtribus notis ac characteribus inſigniverit, et in hiſtoria populi ſui nobilem eſſe voluerit, quis vitio nobis vertet, aut quis vanae cuiusdam curioſitatis nos accuſabit, ubi in verum ſitum regionis adeo memorabilis paulo attentius inquirere in animum induximus? Neque enim obſcurum eſt, ſitu huius regionis certo et accurate conſtituto, hiſtoriam (*b*) et commorationis Iſraëlitarum in Aegypto, et eorumdem exceſſus ex Aegypto, hinc inde novam accipere eamque non contemnendam lu-

(*a*) Hierozoic. Part. II L. IV cap. XVI col. 557.

(*b*) Monuit vir doctus in Bibliotheca Germanica, tom. XXXVIII pag. 197, hic negligi non oportuiſſe animadverſionem *Lakemacheri* Part. I Obſervat. p. 297 et ſeqq. Quam igitur conſulas, velim.

lucem. Neque etiam ceteroquin opera haec noſtra, argumento tam nobili impenſa, otioſa et fructu omni vacua cenſeri poterit, eo praeſertim, quod nomen Terrae *Goſen*, uni tantum Moſi memoratum, ſcriptoribus autem exoticis omnibus ac Geographis Aegypti pariter ignoratum, ſcrupulos movere poſſet. Equidem fateor, ſi viros eruditiſſimos audimus, negotium hoc omne dudum confectum, ſitum Terrae *Goſen* certo aſſignatum et demonſtratum eſſe. Ita enim ſcribit vir ſummus, *Camp. Vitringa* (*c*): *Situs eius* (Goſen) *non eſt incertus: iacebat in ora Nili orientali*, etc. Verum hae Exercitationes, niſi fallor, palam facient, ſitum huius regionis nondum ita certo fuiſſe deſcriptum, quin certiora oſtendi et idoneis argumentis comprobari queant. Et ipſe profecto eruditorum, in aſſignandis et definiendis terminis Terrae *Goſen*, inter ſe diſſenſus, indicio luculento eſt, ea, quae hucusque de hoc argumento diſputata fuere, omnibus haudquaquam ab omni parte ſatisfacere. Etenim ſi Iudaeos quosdam excipiamus, qui, *Hieronymo* teſte (*d*), *Goſen* in Thebaide, vel Aegypto ſuperiori, collocant, reliqui, quantum meminiſſe hunc poſſum, in eo conſentiunt, ſitum Terrae *Goſen* nonniſi in magno Delta, ſive Aegypto inferiori, quaerendum eſſe; ſi autem quaeras, quasnam Aegypti inferioris partes vel Praefecturas *Goſen* complexa ſit, aliud huic, aliud illi placere deprehendes. Non abs re erit, varias eruditorum ſententias hic diſtinctius proponere, ne quid videamur diſſimulaſſe, et ut, collatis diverſis inter ſe opinionibus, et ſingularum fundamentis et rationibus, lectori optionis liberum arbitrium relinquamus.

§. IV.

(*c*) In *Geogr. Sacra*, opere poſthumo, cap. VIII § 2.
(*d*) Ita de re prolixius diſputabitur in Exercitationibus ſecuturis.

§. IV.

Plerique Terram Goſen ponunt in extremis Aegypti inferioris finibus, qui Arabiam et Syriam contingunt.

Quando ſitum Terrae *Goſen* accuratius definire aggredimur, praemonendum atque ſupponendum eſt, totum Aegypti regnum dividi ſolere in duas partes, in Aegyptum *inferiorem*, quam Nilus, poſtquam Memphim, vel tractum illum regionis, in quo hodie Cairo, urbs ambitu longe maxima, aedificata eſt, tranſiit, duobus alveis, quorum alter prope Canopum, hodie Roſettum, alter penes Peluſium, hodie Damiatam, ſeſe in mare exonerat, alluit et circumfluit, et *ſuperiorem*, quae a Memphi usque ad Cataractas Nili, id eſt, confinia Aegyptiorum et Aethiopum, porrigitur. Haec Aegypti diviſio, quam ex Geographis multi ſequuntur, ad inſtitutum noſtrum nunc ſufficere nobis poteſt; eſt eadem diviſio quoque antiquiſſima, et temporibus, de quibus hic ſermo eſt, inprimis accommodata (*e*). Qui de *Goſen* diſputare ſolent, tantum non omnes, fines eius in Aegypto inferiori ponunt, ſed tamen non eodem modo. Plerique autem in orientali inferioris Aegypti parte, quae Arabiae et Syriae finitima eſt, ſedes Iſraëlitarum quaerendas eſſe, certo ſibi perſuadent. Non pauci ex vetuſtis Iudaeorum magiſtris, *Goſen* in extremis Aegypti inferioris finibus, circa Peluſium, quae nunc Damiata nuncupatur, ſitam eſſe, memoriae tradiderunt. *Targumiſtae Ionathan* et *Hieroſolymitanus* Gen. XLVII. 11, ubi in Hebraico eſt ארץ רעמסס *Terra Rhamſes*, quae eadem eſt cum Ter-

(*e*) Vid. *Bocharti* Phaleg. Lib. IV cap. 24.

Terra *Goſen*, et cuius nomen ſuo loco explicabimus, vertunt ארדעא דפילוסין *Peluſium*, vel *Terram Peluſiacam*. Similiter Exod. I. 11, ubi mentio eſt urbis רעמסס, iidem Targumiſtae, hanc urbem putantes eamdem eſſe cum Terra *Rhamſes*, eam in Paraphraſi ſua appellant טאנין et פילוסין, *Tanin* et *Peluſium* (*f*). Hi itaque *Goſen* collocant in inſula, quam Nilus efficit ſupra Praefecturam, quam *Ptolemaeus* vocat Arabiae, inter oſtium Peluſiacum et Taniticum. In eadem ſententia videntur fuiſſe, qui expeditiones Chriſtianorum, pro recuperanda Terra Sancta, in Syriam et Aegyptum, ſeculis XII et XIII ſuſceptas, commemorarent. Ita *Wilhelmus Tyrius* Lib. XIX cap. 23 (*g*): *Nam Terra Geſſen, quae fratribus Ioſeph data fuiſſe legitur, in ea parte Aegypti eſt, quae Syriam reſpicit, ſicut ex lectione libri Geneſeos eſſe deprehenditur.* Quamvis verba iſta latius accipi poſſint de toto illo Aegypti tractu, qui a mari mediterraneo usque ad Aegyptum ſuperiorem porrectus, littus Nili Orientale reſpicit. Diſertius ad ſententiam illam Targumiſtarum accedit *Iacobus de Vitriaco*, Acconenſis Epiſcopus, Hiſtor. Orient. L. III, ubi de Damiata Urbe in haec verba ſcribit (*h*): *Civitas haec inter Rameſſe et campum Taneos ſita, in terra, ut coniicere poſſumus, Geſſen* (*i*), *quae paſcualis eſt, quam petierunt filii Iſraël.* Si-

(*f*) Confer *Druſium* in Gen. XLVII. 11, *Fagium* in Exod. I. 11, *Lightfooti* Chorographiam Marco praemiſſam cap. I § 2.

(*g*) In Collectione, quam *Bongarſius* edidit, inſcriptam, *Geſta Dei per Francos*, Tom. I p. 969.

(*h*) In eadem Collectione Tom. I p. 1141. Vide et p. 1143. fin. et ſeq.

(*i*) Apud *Oliverium de captione Damiatae*, qui ſua totidem verbis deſcripſit ex *Iacobo de Vitriaco*, in eadem Collectio-

Similia habet (*k*) *Marinus Sanutus*, Patricius Venetus; ut alios praeteream. Horum ſententiam probavit *Chriſtoph. Furerus*, qui ſeculo XVI Aegyptum perluſtravit, et in Commentario de Itinere ſuo haec annotavit (*l*): *Superius paulo, ad dextram Nili, Taphnis, ſive Tanis, et Bubaſtus urbes ſunt. Atque haec terra illa Goſen eſt, quam Iacobus Patriarcha a Pharaone dari ſibi petiit.* Verum ille, ut alii ante ipſum quoque fecerunt, *Tanim* cum *Taphni*, ſeu *Daphnis Peluſiacis*, confundit, adeoque eam extra magnum Delta ad lacum Serbonidem collocat. Haec denique ſententia arriſit etiam viro rerum Aegyptiacarum peritiſſimo, *Io. Marshamo* (*m*), qui ad hanc quaeſtionem, *Verum ubi terrarum fuit Ghoſen?* ita reſpondet: *Certe in inferiore Aegypto, et habitatio Iſraëlitarum, Syriae et Arabiae finitima.* Et quibusdam interiectis: *Neque eſt veriſimile, illos unquam ad interiora Aegypti verſus Occaſum aut Auſtrum penetraſſe.* Ut (*n*) alios iam praetermittam.

§ V.

Alii Goſen in tractu Nomi Heliopolitani quaerunt.

Video, rationes eorum, qui *Goſen* in extremis Aegypti inferioris finibus, qui mare mediterraneum a Septentrione, et ab oriente Arabiam et Syriam reſpiciunt, col-

lectione p. 1191, legitur *quia*, ut nempe indicetur ratio et fundamentum coniecturae.

(*k*) In eadem Collectione Tom. II p. 171.

(*l*) In Itinerario Aegypti etc. p. 45.

(*m*) In Canone Chronico ad ſec. VII p. 90. edit. Franeq. vid. et p. 25.

(*n*) Inter quos ſunt *Ioh. Lightfootus Op. Poſth.* p. 126 et *Io. Fr. Buddeus Hiſt. Eccl. V. Teſt.* Tom. I p. 336.

collocandam esse putant, displicuisse, nec immerito, *Christophoro Cellario*, viro doctissimo, cui Geographia vetus plurimum debet (*o*). Negat enim, cum hoc situ Terrae *Gosen* conciliari posse, quod Moses commemorat Gen. XLVI. 28, 29, *Iosephum Patri suo obviam processisse in Gosen*, ubi Graeci interpretes, explicandi causa, addiderunt, κατὰ Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμεσσῆ, *iuxta Heroopolim in terram Ramesse*, quos sequitur *Iosephus* Antiq. L. II c. VII § 5, κατὰ Ἡρώων πόλιν αὐτῷ συνέβαλε, *iuxta Heroopolim ipsi obviam factus est*. His itaque perpensis, vir eruditus putat, a mari altius progrediendum et adscendendum esse, atque veram sedem Terrae *Gosen*, nos circa Heliopolin, quae a Mose (*p*) *On* vocatur, quaerere iubet: ubi illud tantum observamus, Praefecturam Heliopoliticam positam quidem esse extra alveum Nili, et extra illud, quod vocatur magnum Delta, sed omnium tamen consensu, Aegypto inferiori accenseri. Idem, iam ante *Cellarium*, ut ipse observat, in mentem venerat eruditissimo *Constantino l'Empereur*, qui (*q*) pariter censet

(*o*) Notit. Orbis antiqui Tom. III p. 51, 52.

(*p*) Genes. XLI. 45, 50, XLVI. 20, in quibus locis LXX interpretes urbem אֹן interpretati sunt Ἡλιούπολιν. Memorabile est, interpretem Aegyptium Pentateuchi, Londini ante quatuor annos [1731] a Reverendo et Celeberrimo *Wilkinsio* editum, quique versionem suam, non ex textu Hebraico, sed ex interpretatione Graeca LXX virali adornavit, locis illis vetus huius urbis nomen Aegyptium ΩN restituisse.

(*q*) In notis ad *Beniaminis Tudelensis Itinerar.* pag. 224, et ante *Constantinum* hunc, eadem opinio placuit *Tremellio* ad Genes. XLV. 10, qui, *ego potius*, inquit, *Heliopolitanum et Aphroditopolitanum esse Nomum ex coniecturis certis putaverim*. Sic et *Spanhemius* in Geographia Sacra, Tom. I Opp. p. 12, ubi notandum, eius et similium aliorum sententiam a mea non ita remotam esse.

ſet in tractu Heliopolitano tutiſſime poni terram, quam Iſraëlitae inhabitarunt in Aegypto. Eaque in ſententia fuit ipſe *Beniamin Tudelenſis*, quem erudito commentario vir ille doctiſſimus illuſtravit, ut qui terram, ab Iſraëlitis in Aegypto poſſeſſam, vocet עין אלשמש *fontem ſolis*, i. e. Ἡλιούπολιν. Ita etiam cenſuit *Ioſephus*, nobiliſſimus Antiquitatum Iudaïcarum ſcriptor, qui Lib. II c. VII §. 6, ait, *regem Aegypti conceſſiſſe Iacobo*, Patriarchae, ζῆν μετὰ τῶν τέκνων ἐν Ἡλιουπόλει· ἐν ἐκείνῃ γὰρ οἱ ποιμένες αὐτοῦ τὰς νομὰς εἶχον. Quin imo generatim Iudaeorum hanc eſſe opinionem, innuit *Petrus Vallenſis* in Itinerario (*r*): *Iudaei volunt*, inquit ille, *Villam Bilbeis, quae ſupra* (ſcribendum erat *infra*) *Mataream et Chamicam, verſus Septentrionem, ſita eſt, illam ipſam Goſen eſſe, quae fratribus Ioſephi quondam conceſſa fuit.* In illo autem tractu, quem deſcribit *Petrus Vallenſis*, fuiſſe olim Nomum vel Praefecturam Heliopolitan, nemo ex eruditis dubitat. Addi his poteſt, iſtam virorum doctorum ſententiam, ex ipſis vetuſtis Aegyptiorum traditionibus confirmari aliquo modo poſſe. *Apion* certe, Aegyptius gente, *rerum Aegyptiacarum* Lib. III de Moſe ſcripſerat: Μωϋσῆς, ὡς ἤκουσα παρὰ τῶν πρεσ-

(*r*) Itiner. Part. I p. 132, verſion. Germanicae, vel Tom. I p. 293 edit. et verſ. Gallicae. Urbis *Bilbeis* mentionem iam facit ſeculo XIII *Guilielmus Tyrius* Lib. XIX, eamque ait finitimam eſſe Caheri, cap. 7 p. 959, 960, cenſet autem cap. 13 p. 963 eam eſſe veruſtam Peluſium. Et ſic quoque Lib. XX cap. 5 p. 978. Nec aliter *Iacobus a Vitriaco* Hiſtor. Hieroſolymit. cap. 39 p. 1070. Conf. le Chevalier *Jauna* dans l'Hiſtoire générale de Ieruſalem Tom. I p. 577. Meminit eiusdem urbis, ſed quam a Peluſio diſtinguit, *Marinus Sanutus* Lib. III p. 169, 170, vir tamen Geographiae Aegyptiorum antiquae omnino imperitus, quod ubique prodit.

πρεσβυτέρων τῶν Αἰγυπτίων, ἦν Ἡλιουπολίτης, *Moſes, ut accepi à grandioribus natu Aegyptiis, Heliopolitanus erat* (*s*).

§ VI.

Sententiae Camp. Vitringae et Herm. ab Hardt.

Iſtae ſunt praecipuae virorum eruditorum de ſitu Terrae *Goſen* ſententiae. Ab his parum diſcedit vir ille doctiſſimus, cuius iudicio multum tribuo, *Camp. Vitringa*, niſi quod utrique partis ſententias, nonnihil diſcrepantes, conciliaverit et coniunxerit. Ita ipſe ſententiam ſuam concepit (*t*): *Conſtat, Iſraëlitas conſediſſe in Terra Goſen. Situs ejus non eſt incertus: iacebat in ora Nili orientali. Totus tractus a Daphnis Peluſiacis ad Memphim, Goſen vocatur. Petrus Vallenſis, qui iter fecit in hoc tractu, deſcribit eum, dicitque eſſe agrum paſcuum, graminoſum, latum. Favent et omnia alia.* De rationibus et fundamentis harum ſententiarum poſtea videbimus. Antequam verò Diſſertationi huic finem imponam, operae pretium eſſe duxi, uno adhuc verbo monere, me haud ita pridem incidiſſe in opinionem plane ſingularem viri et eruditione et ingenio florentiſſimi, *Hermanni van der Hardt* (*u*); qui non modo Terram, ſed et nomen

(*s*) Apud *Ioſephum contra Apion.* L. II § 2, Opp. Tom. II p. 469. edit. noviſſ.

(*t*) Geogr. Sac. cap. VIII § 2. In eadem ſententia deprehendo etiam *Richardum Cumberlandium* in Obſervationibus ad *Sanchoniathonis* Hiſtoriam Phoenicicam p. 403 ſqq., et 418 edit. Germanicae.

(*u*) In Magno Halkel, ſeu Commentario in Pſ. CXXXVI, ex quo tamen excerpta tantum vidi, collecta in *Actis Eruditorum* Germanicis Part. XIII num. XI.

Terrae *Goſen*, ſibi viſus eſt reperiiſſe in Nomo Arabiae, et quidem in urbe *Phacuſa*, ſive *Phaccuſa*, quam *Strabo* [lib. XVII p. 1158, ubi ἀπὸ κώμης Φακκούσης] et *Stephanus Byzantius* κώμην *vicum* appellant. Doctiſſimo viro hoc primarium argumentum fuiſſe putem, quamvis ipſius huius libri inſpiciendi copia non fuerit, quod LXX interpretes גשן ארץ, ut in Hebraico legitur, tranſtulerint γῆν Γεσὲμ Ἀραβίας. Vide *Chriſt. Muller* Saturam Obſervat. p. 107, 108. Iam vero *Phacuſa* eſt in Nomo Arabiae. Et praeterea *Phacuſa* quaedam veſtigia ſervat nominis *Goſen*. Nempe *Cuſa* non multum abludit a *Goſen*, et *Pha* poteſt fuiſſe praefixum, uti re vera ΦΑ in Aegyptiorum ſermone praefixum aliquod eſt, quod ſeſe habet inſtar articuli, aut pronominis maſculini. Tacere tamen non poſſum, ſententiae huic viri eruditi, quantumvis ingenioſae, plurima obſtare. Namque 1. quando LXX interpretes *Goſen* nuncupant Γεσὲμ Ἀραβίας, non ſequitur, Nomum Arabiae exiguum intelligendum eſſe, cum gens illa, quae, in Aegypto ſuperiori, loca deſerta, inter Nilum fluvium et mare rubrum intermedia, incoluit, pariter nomine Arabum apud Geographos veteres veniat. *Syncellus* Chorograph. p. 110: Ἰακὼβ δὲ κατελθὼν πρὸς τὸν Ἰωσὴφ εἰς Αἴγυπτον — κατῴκησεν ἐν γῇ Γεσὲμ, ἥτις ἐστὶν ἡ πρὸς τῇ Αἰγύπτῳ Ἀραβία. Vbi tamen intelligit Arabiam Aegypto ſuperiori conterminam, id eſt, inter Aegyptum ſuperiorem cultam et mare rubrum ſitam. Et certe ibidem apud *Stephanum* videas locari *Caſſanitas* gentem. Verba *Stephani* ſunt: Κασσανῖται ἔθνος ἐν τῇ παραλίᾳ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. Sed ex *Ptolemaei* Geographia conſtat, *Caſſanitas* hos collocandos eſſe ab altero latere maris rubri in Arabia Felice. 2. Nomen *Phacuſa*, vel, uti Graece ſcribitur, Φακοῦσα, eſt nomen non Aegyptiacum, ſed Graecum, multis poſt Moſen

ſen ſeculis, a Graecis urbi huic impoſitum, ἀπὸ τοῦ φακοῦ, i. e. *lente*, qua tractus ille abundabat, quaeque incolis in deliciis erat (*v*), ut viri in his rebus exercitatiſſimi probatum dederunt. Ex hac Aegypti Provincia diffundebantur *lentes* magna copia per totam Aegyptum, in qua incolis cibum praebebant communem valde et gratum. *Palladius* Hiſt. Lauſ. de Antonio refert, quod Macario praeceperit ποιήσον αὐτοῖς φακὸν, καὶ δὸς αὐτοῖς φαγεῖν; c. XXVI; p. 939 (in Biblioth. Patrum Magna T. XIII.). *Lentem* vero Aegyptii, ſermone ſuo patrio, longe aliter, nempe ⲁⲣⲫⲩⲥⲛ, nuncuparunt. Niſi id ſciremus ex antiquorum teſtimonio, poſſet quis ſuſpicari Φακοῦσαν eſſe vocabulum Aegyptiacum, a Graecis ad indolem ſermonis ſui detortum et inclinatum. In Scala Coptico-Arabica *Kircheri* p. 194 legitur, Ⲡⲥⲫⲁⲕⲥ Aegyptiis dici *Seſamum*, uti nec minus *oleum Seſaminum*; ubi tamen poſteriori loco malim legere Ⲡⲁⲫⲁⲕⲥ. Nam ſi Ⲡⲥⲫⲁⲕⲥ ſignificat *Seſamum*, Ⲡⲁⲫⲁⲕⲥ ſignificabit *Seſaminum*, ſubintellige *oleum*. 3. *Goſen* fuit nomen non urbis, ſed regionis, quod ubique Hiſtoria Moſaica docet. Φακοῦσα viciſſim non fuit regio, ſed urbs, eaque, ut videtur, non admodum celebris. Neque uſpiam mentio reperitur Terrae aut regionis *Phacuſae*. Et 4. deniqne, ſuo loco oſtendemus, *Goſen* revera procul a *Phacuſa* diſſitam fuiſſe. Quare non firmiori talo niti facile intelligitur, quae vir eruditus ibidem de via, qua Iſraëlitae egreſſi ſunt ex Aegypto, non per mare rubrum, ſed per lacum Serbonidem, diſſeruit. Sed de his iam ſatis.

(*v*) *Bochartus* Geogr. Sac. Part. I Lib. IV c. 3. *Berkelius* in *Steph. Byzant.* voce Φάκουσσα.

DIS-

DISSERTATIO II,

QVA

IN RATIONES INQVIRITVR, QVIBVS ALIORVM OPINIONES NITVNTVR.

§ I.

Iis, qui Goſen in Aegypto inferiori collocant, rationes non deſunt.

Quae ſit plurimorum eruditorum de ſitu Terrae *Goſen* ſententia, ſuperiori Disputatione oſtendimus. Illi autem, quos nominavimus, omnes atque ſinguli, ſitum illius regionis intra fines Aegypti inferioris collocandum eſſe, contendunt. Et fatendum omnino eſt, rationes ab illis proferri, quae non exigua ſpecie ſeſe commendent, quasque hanc ob cauſam tacitus praeterire non poſſum. Quaedam deſumtae ſunt a natura et indole Terrae *Goſen*, qualem Moſes depingit: aliae a ſitu Terrae *Goſen*, reſpectu cum Palaeſtinae, tum etiam aliarum Aegypti regionum: aliae denique a diſceſſu Iſraëlitarum ex Aegypto, et via, quam in exitu tenuerunt. Rationes has aut omnes,

aut

aut certe praecipuas, ſic in medium adferre animus eſt, ut ſimul, quid reſponderi poſſe putemus, ſingulis ſubiiciamus.

§ II.

Reſpondetur, ad primam rationem, petitam a ſoli fertilitate.

Prima ratio nobis nunc illa erit, quam viri eruditi ab indole et natura Terrae *Goſen* deſumunt. Conſtat namque teſtimonio Moſis, Terram *Goſen*, ubertate ſoli, rerum omnium abundantia, ac cumprimis paſcuis herbofis laetiſſimam fuiſſe, ita quidem, ut aliis Aegypti regionibus non immerito praeferretur, Gen XLVI. 18, 34, XLVII. 6, 11. Hoc vero tractui illi, qui in Aegypto inferiori ad orientem Nili ſitus eſt, finesque Arabiae et Syriae reſpicit, egregie prorſus convenire, viri illi eruditi urgent. Ita magnus *Vitringa* (*a*): *Totus Tractus a Daphnis Peluſiacis, ad Memphim, Goſen vocatur. Petrus Vallenſis, qui iter fecit in hoc tractu, deſcribit eum* (*b*), *dicitque eſſe agrum paſcuum, gramino-ſum, latum.* Quod ipſum a *Iacobo de Vitriaco* iam antehac animadverſum fuiſſe, ſupra monuimus Diſput. I § IV. Accedant ad teſtimonium *Petri Vallenſis* antiquiorum obſervationes, quos inter eſt *Diodorus Siculus*, Lib. I [cap. 34] p. 30 ſcribens: Ἡ δὲ νῆσος αὕτη πολλαῖς διώρυξι χειροποιήτοις διείληπται, καὶ

(*a*) *Geogr. Sac.* cap. VIII § 2.

(*b*) Videtur reſpicere locum, qui legitur Tom. I p. 132 fin. verſ. German. *Itinerarii.* Conferri poſſunt *Menochii* et *Bonfrerii* notae in Geneſ. XLV. 10, in *Poli* Synopſi Criticorum. Adde omnino Itinerarium *Cornelii de Bruin* Tom I p. 180—182.

καὶ χώραν περιέχει καλλίςην τῆς Αἰγύπτου. Ποταμὸς χωρος γὰρ οὖσα καὶ κατάρρυτος πολλοὺς καὶ παντοδαποὺς ἐκφέρει καρποὺς, τοῦ μὲν ποταμοῦ διὰ τὴν κατ' ἔτος ἀνάβασιν νεαρὰν ἰλὺν (ita lege) ἀεὶ καταχέοντος, τῶν δ' ἀνθρώπων ῥᾳδίως ἅπασαν ἀρδευόντων. διά τινος μηχανῆς, ἣν ἐπενόησε μὲν Ἀρχιμήδης ὁ Συρακούσιος, ὀνομάζεται δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος κοχλίας. Equidem uti hoc negare non poſſum, ita tamen ex veterum et recentiorum omnium relationibus non minus certum eſt, hanc non eſſe praerogativam Aegypti inferioris, aut illius tantum tractus, qui Memphim inter et Daphnas Peluſiacas iacet, ſed privilegium hoc toti Aegypto conceſſum eſſe, quam Nilus alluit, quamque exundatione ſua fertiliſſimam omnium orbis regionum efficit. Quod non tantum de agris frugum feraciſſimis, ſed et de paſcuis, graminis et herbarum pleniſſimis, verum eſt. *Plinius* igitur hunc in modum de Aegypto iudicat Lib. XXI cap. 15: *Aegyptus frugum quidem fertiliſſima, ſed, ut prope ſola iis carere poſſit, tanta eſt ciborum ex herbis abundantia.* Nullo vero hactenus argumento comperire potui, tractum illum Aegypti inferioris, de quo nunc loquimur, aliis Aegypti partibus iure praeferendum eſſe; quinimo rationes non deſunt, quibus probari poſſe videtur, tractum iſtum, bonitate et praeſtantia terrae, aliis Aegypti regionibus aliquanto inferiorem fuiſſe. Notum eſt, lentem Peluſiacam olim in magna exiſtimatione fuiſſe. Vid. *Martialis* Lib. XIII Epigr. 9, cuius haec verba: *Accipe Niliacam, Peluſia munera, lentem: Vilior eſt alica, carior illa faba.* Iungatur hoc *Auli Gellii* Lib. XIII cap. 8: *eius coenae fundus et fundamentum omne erat aula* (olla) *una lentis Aegyptiae, et cucurbitae inibi minutim caeſae.* Vnde *Virgilius* L. I Georg. 228: *Nec Peluſiacae curam aſpernabere lentis*, ad quae verba *Servius* ita commentatur: *Peluſium unum eſt de ſeptem oſtiis Ni-*

li,

li, ubi primum lens inventa dicitur, vel ubi optima naſcitur. Equidem alio modo *Hieronymus* iſta Poëtae verba interpretatus eſt (*c*): *Vnde et Poëta Peluſiacam appellat lentem: non quod ibi genus hoc leguminis gignatur vel maxime: ſed quod e Thebaide et omni Aegypto, per rivum Nili, illuc plurima deferatur.* Verum profecto mihi dubium non eſt, quin *Hieronymus* hic quidem ſibi impoſuerit. Lentem enim in illo tractu tam copioſe proveniſſe ſcimus, ut urbs Φακοῦσα, quemadmodum (*d*) alio loco iam monuimus, inde nomen ſuum traxerit. Hoc vero, ſi *Plinium* audimus, indicium eſt agri tenuioris. Ita enim ille (*e*): *Lens amat ſolum tenue magis, quam pingue, coelum utique ſiccum.* Sed miſſis his, ad alia tranſeamus.

§ III.

Examinatur ratio ſecunda, deſumta a vicinia Terrae Goſen et Canaanis.

Videndum iam porro eſt, utrum ex ſitu Terrae *Goſen*, tum reſpectu Syriae et Arabiae, tum reſpectu aliarum Aegypti regionum, quem ex Hiſtoria Moſaica eruunt viri eruditi, ſententiae ſuae certius firmiusque praeſidium conciliare poſſint. Cenſent nempe, quae *ſecunda* nobis erit *ratio*, ſupponi in Hiſtoria Moſaica, Terram *Goſen*, inter ceteras Aegypti provincias, Canaani fuiſſe maxime propinquam, et veluti vicinam, quod tractui illi, quem pro *Goſen* haberi volunt, omnium optime conveniat. Ita *Gui-*

(*c*) *In Ezech.* Lib. IX col. 912. vel in cap. XXX.
(*d*) Diſp. I § VI.
(*e*) Lib. XVIII c. 12.

Guilielmum Tyrium (*f*) collegiſſe, iam vidimus: *Terra Geſſen, quae fratribus Ioſeph data fuiſſe legitur, in ea parte Aegypti eſt, quae Syriam reſpicit, ſicut ex lectione libri Geneſeos eſſe deprehenditur, quod diligens facile lector inveniet.* Et hoc *Guilielmi Tyrii* argumentum (*g*) aliis etiam bene multis maiorem in modum placuiſſe video, ut in eo non minimum ſententiae ſuae robur ponerent. Sed profecto nuſpiam in Hiſtoria Moſis ſacra legitur, *Goſen* Arabiae et Syriae, adeoque Canaani, vicinam extitiſſe ac veluti conterminam. Moſes tantum refert, *Goſen* fuiſſe regionem totius Aegypti fertiliſſimam, et Ioſephum hac ratione pellexiſſe Iacobum patrem ſuum, ut Terram adeo abundantem habitatum veniret. Si vero perpendimus viam, quam in exitu ſuo ex Aegypto tenuerunt Iſraëlitae, aperte ſatis illa convellit eorum opinionem, qui *Goſen* Syriae et Arabiae adeo vicinam fuiſſe, ſibi perſuadent. Sunt tamen quaedam, quae viri eruditi ex Hiſtoria Moſis ſibi eruiſſe viſi ſunt, quibus vicinia illa Terrae *Goſen* cum Syria et Arabia adſtrui poſſit. Hanc enim viciniam vel ex eo colligi poſſe putant, quod Ioſephus patri ſuo in Aegyptum adventanti obviam proceſſerit usque ad Terram *Goſen*. Ex quo ſequi videtur, regionem *Goſen* Syriae propinquiorem utique fuiſſe, quam urbem Aegypti regiam, in qua habitabat Ioſephus, quamque volunt fuiſſe *Tanin*, celebrem in Aegypto minori urbem, non ita procul a mari mediterraneo diſſitam, a qua *oſtium* Nili *Taniticum* nomen habet. Nam cum Moſes, Gen. XLVI. 28, narraſſet, Iacobum in Terram *Goſen* adveniſſe, haec

(*f*) Lib. XIX c. 23. *In Geſtis Dei per Francos T.* I *p.* 969.

(*g*) Ita *Henr. Ainsworth* Annot. in Genes. XLV. 10. *Vitringa* l. c. *Marshamus Canon. Chron.* pag. 90.

haec addit v. 29, וַיֶּאְסֹר יוֹסֵף מֶרְכַּבְתּוֹ וַיַּעַל לִקְרַאת יִשְׂרָאֵל אָבִיו גֹּשְׁנָה, *Iunxitque Ioſeph currum ſuum, et adſcendit obviam Iſraëli, patri ſuo, Goſenam.* Poterimus autem difficultati huic nobis obiectae facile ſatisfacere, ſi obſervemus 1) viros eruditos hic ſupponere, Ioſephum habitaſſe Tani, atque ex illa urbe obviam iviſſe Iacobo, quod nondum liquido demonſtratum eſt, quodque mihi probabile non videtur. Sed ea de re in ſequentibus plura. 2) Proprie loquendo, Ioſephus non obviam venit Iacobo, ut eum deduceret in Terram promiſſam. Nam Iacobus in Terram *Goſen* iam appulerat. Nihil aliud itaque ſignificat ſcriptor ſacer, quam, Ioſephum, poſtquam de adventu Iacobi certior factus eſſet, feſtinaſſe ad ipſum ſalutandum, et in eius amplexus ruiſſe, ubicumque terrarum Iacobus fuerit. Quinimo *Chriſtoph. Cellarius* ex illo ipſo argumento coniecit, *Goſen* non in finibus Aegypti, quae Syriae et Arabiae finitima eſt, ſitam eſſe, ſed in partibus Aegypti auſtralioribus, verſus Aegyptum ſuperiorem, quaerendam omnino eſſe. Ita autem ille (*h*): *Si vero iter Patriarchae et Ioſephi occurſum ſecundum eosdem* ſeptuaginta *interpretes conſideremus, alia nobis via, alia regio oſtendetur. Ioſephus patri obviam ivit in Goſen, Gen.* XLVI. 28, 29, *quod* Graeci interpretes *tranſtulerunt*, κατ' Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμεσσῆ, iuxta Heroopolin in Terram Rameſſe; *et Ioſephus quoque hiſtoricus* Lib. II Antiq. c. IV, κατ' Ἡρώων πόλιν αὐτῷ συνέβαλε, iuxta Heroopolin ipſi obviam factus eſt, *quod oppidum ad intimum Arabici ſinus eſt poſitum: quo conceſſo, oportet terram Goſen multo auſtraliorem fuiſſe, quam regio, Ta-*

(*h*) Geogr. Antiq. Part. III p. 51, 52.

Tanitícae urbi appoſita; et quibusdam interpoſitis: *Hoc ita tenemus, quia non apparet, cur neceſſe fuiſſet, patriarcham Sinum Arabicum adire, niſi in ulteriora ille, ex promiſſo filii Genes.* XLV. 10, *deſtinaſſet progredi.* Haec eo tantum attuli, ut intelligatur, quam diverſa ſint eruditorum de hoc argumento iudicia. Quia vero *Cellarii* haec argumentatio, uti *B. Buddeum* (*i*) iam monuiſſe video, auctoritate *LXX interpretum* et *Ioſephi* unice nititur, nimium illi tribuere nolim. Forſitan tamen 4) attentionem in verbis ſacri ſcriptoris paulo ante adductis merebitur, quod ibi legamus, וַיַּעַל *et adſcendit* Ioſephus, ut in amplexus Iacobi rueret. Hebraei enim vocem עָלָה, uti Graeci *ἀναβαίνειν*, *adſcendere*, adhibere ſolent, ubi ſermo eſt de itinere, quod a mari in interiora alicuius regionis procedit, quemadmodum viciſſim utuntur voce יָרַד, ſicut Graeci *καταβαίνειν*, *deſcendere*, quando iter deſcribitur verſus mare inſtituendum. Et certe, qui ex Aegypto ſuperiori in inferiorem contendit, recte dicitur *deſcendere*, ſicut, qui in partes ſuperiores progreditur, dicetur *adſcendere* (*k*). Ex quo ſequi videtur, Ioſephum, ut patri ſuo obviam iret, in ſuperiores Aegypti partes profectum fuiſſe.

§ IV.

Examen ſecundae rationis continuatur.

Alio argumento 11. viri eruditi viciniam Terrae *Goſen* cum Syria et Arabia eliciunt, ex eo nimirum,

(*i*) *Hiſt. Eccleſ. V. Teſt.* Tom. 1 p. 336.

(*k*) Sed vide tamen eiusdem capitis XLV comma 31, quod videtur argumentum illud, quo hic uſus eram, enervare. Conſule vero in utrumque locum notas magiſtrorum Hebraeorum.

rum, quod habitatio Iosephi propinqua fuerit Terrae *Gosen*. Sic enim ipse Iosephus fratres suos patri nunciare iubet, Gen. XLV. 10, *ut habites in Terra Goschenis, et sis vicinus mihi, tu et filii tui.* Hoc tamen argumento parum probari, nemini obscurum est. Nam 1) rursus hic supponitur, Iosephum habitasse Tani, ut in vicinia huius urbis *Gosen* quaeratur, quod minime concedendum esse putamus. 2) verba illa Patriarchae sunt generaliora, et hoc commode satis significare possunt, Iacobum, cum hactenus in Canaane habitasset, et regionum intervallis a se separatus fuisset, nunc in Aegypto eamdem patriam, eamdem civitatem, habitaturum, sibique propinquum futurum esse.

§ V.

Tertia ratio, fundata in interpretatione LXX virorum excutitur.

Tertium Argumentum, pro illo, quem eruditi viri, etiam *Christ. Mullerus* in Satura Observationum p. 107, mente sua conceperunt, Terrae *Goschenis* situ, depromtum est ex testimonio LXX interpretum. Illi enim verba Mosis Gen. XLV. 10, וישבת בארץ גשן, *et habitabis in Terra Gosen*, ita reddiderunt, *καὶ κατοικήσεις ἐν γῇ Γεσὲμ Ἀραβίας, et habitabis in Terra Gesem Arabiae.* Vid. et XLVI. 34 (*l*). Existimarunt itaque LXX interpretes, *Gosen* sitam esse in finibus Arabiae. Et sane reperitur in Aegypto inferiori *Praefectura Arabiae*, inter Pelusium et Heliopolin intermedia, cui *Gosen* con-

(*l*) Vide et hic *Rich. Cumberlandii* observationes ad *Sanchoniathonis* Hist. Phoenic. p. 404 sqq.

conterminam fuiſſe, putant viri eruditi. In illa Praefectura urbs occurrit *Phacuſa*, quam veram et propriam fuiſſe Iſraëlitarum in Aegypto ſedem, vir quidam doctus adſtruere annisus eſt, ut (*m*) alio loco monuimus. Sed nec hoc argumentum quemquam merito poteſt morari. Nam 1) ex illa LXX interpretum verſione aut additione potius, qua verba textus Hebraici interpolarunt; id quidem perſpicitur, eos in hac fuiſſe ſententia, Terram *Goſen* non procul a finibus Arabiae remotam eſſe, verum illa LXX ſeniorum opinio aliis praeiudicare non poteſt, qui ob rationes idoneas aliter ſentire coguntur. 2) Neque etiam illa ipſa LXX ſeniorum interpretatio, aut aliorum opinioni valde patrocinatur, aut noſtrae vehementer adverſatur. Etenim praeter Praefecturam Arabiae, in Aegypto inferiori, Arabes etiam vocantur, quicunque extra illam Aegypti partem, in quam Nilus ſeſe effundit ad Orientale Nili latus, ſedes ſuas habebant, praecipue in Aegypto ſuperiori. Quod, quia a (*n*) *Cellario* animadverſum iam video, pluribus non perſequar. Res ex veterum Geographorum monumentis dilucide probari poteſt. *Strabo* Lib. 1 p. 29 [71] de Troglodytis ſcribit: οὗτοι δέ εἰσιν Ἀράβων οἱ ἐπὶ θάτερον μέρος τοῦ Ἀραβίου κόλπου κεχλιμένοι, τὸ πρὸς Αἴγυπτῳ καὶ Αἰθιοπίᾳ. Coptum, Thebaicam alibi dictam [lib. XVI p. 1128], appellat *Strabo* p. 560 [lib. XVII p. 1169] communem Aegyptiorum et Arabum urbem. De Peluſio haec ille monet p. 522 [lib. XVII p. 1155]: ἐκ τῆς Ἀραβίας δὲ τῆς Ναβαταίων, ἥτις [in Cod. Mediceo ἥπερ] ἔξι προσεχὴς, διὰ τούτων ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον ἡ ὁδός. Ἡ δὲ μεταξὺ τοῦ Νείλου καὶ τοῦ Ἀραβίου κόλπου, Ἀραβία μέν ἐξι, καὶ ἐπί γε

(*m*) Diſput. 1. § ult.
(*n*) Geograph. Vet. Africae p. 52, 53.

γε τῶν ἄκρων αὐτῆς ἵδρυται τὸ Πηλούσιον· ἀλλ' ἔρημός ἅπασα ἐστὶ, καὶ ἄβατος στρατοπέδῳ. Heliopolin et Praefecturam Heliopolitanam ſcribit ſitam eſſe in Arabia, nempe Aegyptiaca, p. 555 et 556 [lib. XVII p. 1160]. Hinc illuſtrandus *Plinius* Lib. VI c. 29: *Iuba accolas Nili a Syenon* (lege *Syene non*) *Aethiopum populos, ſed Arabum eſſe dicit usque ad Meroen. Solis quoque oppidum — Arabas conditores habere.* Confer hic omnino de Heliopoli *Artapanum* apud *Euſebium* Lib. IX de Praepar. Euang. c. 27, ubi forte Abrahamidae, qui illic Arabes dicuntur, confunduntur cum Arabibus antiquioribus, qui Aegyptum occupaverant, Heliopolinque condiderant. *Ariſtides* in Aegyptio fol. 93. b. ait, apud Elephantinem concurrere fines Aegypti, Arabiae, Libyae et Aethiopiae; atque fol. 94. a. mentionem facit τῆς Ἀσσόρου τῆς Ἀραβικῆς. Ita lege. Intelligit autem Arabiam Aegyptiacam. *Ptolemaeus* Lib. IV Geogr. c. 5 p. 121 edit. *Bertii* ſcribit: Τὴν δὲ παρὰ τὸν Ἀράβιον κόλπον ὅλην παραλίαν κατέχουσιν Ἀραβαιγύπτιοι, ἰχθυόφαγοι, ἐν οἷς ὀρειναὶ ῥάχεις; et p. 122: ſupra Syenen ἀπ' ἀνατολῶν εἰσὶν Ἄραβες, καλούμενοι Ἄδεοι. Comparentur haec *Marciani Heracleotis* verba in Periplo, in Geographis Minoribus Hudſoni Vol. I, p. 11: τούτῳ, Sinui nempe Arabico, παροικοῦσιν Ἀραβαιγύπτιοι, ἰχθυόφαγοι· Μετὰ δὲ ταύτην ἡ Τρωγλοδυτικὴ ἐπὶ πλεῖζον ἐκτεινομένη. Recte igitur in Apophthegmatibus Patrum memoratur Ἀραβία τῆς Αἰγύπτου. Nec omittas *Diodorum Siculum* collocare Antaeopolin ἐν τῷ κατὰ τὴν Ἀραβίαν μέρει, p. 18 [Lib. I c. 21, c. n. Weſſelingii]. De hiſce Arabibus loqui mihi videtur *Diodorus* p. 49 et 57 [I. 53. ac 63]. An huc forte referendae lapidicinae montis Arabici? Meminit earum *Herodotus* Lib. II c. 124. Tantum nunc addam teſtimonium *Plinii* Lib. XIX cap. 1: *Superior*

pars

pars Aegypti, in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui gossipion vocant. Conf. *Dioscoridem* Lib. II cap. 213.

§. VI.

Inquiritur in argumentum quartum, cuius haec est summa, Tanin *fuisse Metropolin Aegypti.*

Pergo iam (*) ad *quartum* idque praecipuum *argumentum*, quo eruditi viri evincere moliuntur, situm Terrae *Gosen* nonnisi in Aegypto inferiori ostendi posse. Censent nempe illi, dubitandum non esse, quin sedes regia in Aegypto tempore Israëlitarum *Tanis* fuerit, urbs inter celebriores Aegypti numeranda, quam § III iam descripsimus, quae cum, omnium Geographorum consensu, in Aegypto inferiori, et quidem extremis eius finibus, posita fuerit, consequi videtur, ab illis finibus Terram *Gosen* remotam esse non potuisse. Video certe, in hoc argumento (*o*) omnes propemodum haerere, quare opera omnino danda nobis est, ut illud diluamus, antequam meditationes nostras, in diver-

(*o*) Vide *Marshami* Canonem p. 25. *Cellarii* Geogr. Africae p. 51, 52. *Vitringae* Geogr. Sac. cap. VIII § 2. *Buddei* Hist. Eccles. V. Test. p. 335, 336. Prae aliis argumentum hoc pluribus ornavit *Lakemacherus* Observation. Philol. Part. VI p. 316, 317.

(*) Margini codicis sui adscripserat *Iablonskius*: „Omnia haec in nova editione possunt omitti, et in peculiarem Dissertationem de *Tani* reiici". Quae dissertatio, si umquam a *Iablonskio* conscripta, ad me non pervenit. Nolui igitur in nova editione omittere aut omnia ea, quae quondam hoc loco legebantur, aut etiam, et adeo multo minus, annotationes uberiores, manu Auctoris huic § VI additas, quamvis exigua earum pars inserta legatur Collectioni vocum Aegyptiacarum, tom. I Opuscul. p. 339, 340.

48642

verſum tendentes, proferamus. Moſen ipſum, in ſua hiſtoria, Taneos, ceu regiae Aegyptiorum, mentionem nullam facere, ab omnibus libenter conceditur. Verum auctor Pſalmi LXXVIII innuere ſatis clare videtur, tempore Moſis, reges Aegypti ſedem ſuam habuiſſe Tani. Ita enim legimus vſ. 12, *coram majoribus eorum fecerat miracula, in Terra Aegypti, in agro Tanis*, et v. 43, *diſpoſuit in Aegypto ſigna ſua, et prodigia ſua in agro Tanis.* In textu Hebraico urbs haec ſcribitur צֹעַן *Tſoan*, LXX interpretes in verſione ſua habent Τάνιν. Interpres vero Aegyptiacus, typis hactenus nondum deſcriptus, in Bibliotheca Regia Berolinenſi, nomen illius urbis expreſſit ϮⲀⲚⲒⲤ, unde colligimus, id fuiſſe vetuſtum et patrium urbi huic nomen in Aegypto. Iidem tamen Interpretes, quod mirere, in Pentateucho, nuper a Ven. *Wilkinſio* Londini edito, Num. XIII. 23 ubi pariter in Hebraico legitur צֹעַן, et in Graeco Τάνις, verterunt ⲦⲀⲚⲒⲤ, veluti addubitantes, quaenam Aegypti urbs vere intelligenda veniat. Et profecto, fuiſſe plures in Aegypto urbes conſimilis fere nominis, vel ex Scala illa Coptico-Arabica, quam *Ath. Kircherus* edidit (*p*), ſatis intelligere licet. Sed concedam haud gravate, intelligi ab auctore Pſalmi LXXVIII *Tanin*, Graecis et Latinis ſcriptoribus percelebratam, quae oſtio Tanitico nomen dedit, ne ſic quidem id, quod volunt, viri docti conſequentur (*q*). Etenim 1) in Pſalmo LXXVIII mentio eſt miraculorum a Moſe et Aaro-

(*p*) In *Kircheri Lingua Aegyptiaca reſtituta* pag. 207, 208, 209.

(*q*) Ad hanc obiectionem, et argumentum a *Tſoan* deſumtum, reſpondent etiam *Sicardus* dans les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. VI p. 63—67 et *Iac. Kochius* in dem beleuchteten Hiob Part. II p. 401.

Aarone, ultimo anno commorationis Iſraëlitarum in Aegypto, editorum, anno nempe ducenteſimo decimo quinto, poſtquam in Aegyptum familia Jacobi pedem intulerat. Potuit alia Aegypti Metropolis fuiſſe, quo tempore Jacobus cum familia ſua in Aegyptum concedebat, de qua hic potiſſimum quaeritur, alia, quo tempore Aegyptum Iſraëlitae reliquerunt. Verum 2) per *Tſoan* ſine dubio intelligenda eſt tota Aegyptus, ac ſi Propheta dixiſſet, *in campis Aegypti.* Ita iudicat etiam *Shaw* dans les obſervations Geographiques ſur la Syrie, l'Egypte &c. chap. 11 p. 26. Quae autem alia ibidem in ſequentibus obſervat vir eruditus, ſententiam meam inſigniter confirmant. Simile iudicium tulit et *Bochartus* in Hierozoico Part. 11 Lib. v cap. 18 fin. Tſoan antiquitus (*r*) ex inſignioribus Aegypti urbibus, et aliquamdiu totius regni caput extitit; hinc toti regno nomen illud adhaeſit. Sic Eſa. XIX. 11, *Principes Tſoanis* ſunt *Principes* ſive *Magnates Aegypti*, unde illico additur, *Conſiliarii Pharaonis*, etſi omnium conſenſu, non Tanis, ſed Memphis tum fuerit Aegypti metropolis, quare Propheta eod. cap. verſ. 13 rem eamdem ſic exprimit, *ſtulte agunt Principes Tſoanis, decipientur Principes Noph*, i. e. Mempheos. Videtur tamen hic excipi poſſe, hoc pacto agnoſcendam eſſe tautologiam in loco, de quo agitur, Pſalmo LXXXVIII. 12, *fecerat miracula, in Terra Aegypti, in agro Tanis*, et ſic etiam vſ. 43. Si enim *ager Tanis*, et *Terra Aegypti* idem ſunt, difficile videtur locus ille a tautologia liberari poſſe. Ad objectionem illam reſpondeo 1) Pſalmum LXXVIII eſſe canticum Poëticum, in quo non mirum eſt, ſi res eadem diverſis loquendi modis exprimatur

(*r*) *Stephanus de Vrbibus*, in voce Τάνις. Τάνις πόλις μεγάλη Αἰγύπτου.

primitur. Id Enthuſiasmo Poëtarum proprium eſſe, nemo neſcit. In eo ſaepenumero maieſtas et ſublimitas Poëtarum ſita eſt. Ita etiam *Sicardus* l. c. p. 65. Sed tamen etiam addendum id 2) eſt, inter *Terram Aegypti*, et *agrum Aegypti* aliquam utique diſcrepantiam obſervari poſſe. Nam *Aegyptus* מצרים ſtylo Hebraeorum totam quidem Aegyptum, deſignat ſuperiorem et inferiorem, ſed ſtrictius tamen ſuperiorem, quaſi diceretur מצור, *anguſta*, *coarctata*. Et ſic etiam re ipſa in S. Literis vocatur. Aliter tamen *Perizonius* in Origin. Aegypt. cap. v p. 67, 68, 69. Totam vero Aegyptum ſuperiorem, etiam reſpectu inferioris anguſtam valde, et arctis finibus circumſcriptam eſſe, ab omnibus obſervatur, omnibusque ſatis notum eſt. Vide *Bocharti* Phaleg. Part. 1 Lib. IV cap. 24, *Vitringae* Commentar. in Ieſaiae cap. XIX p. 535, et eiusdem Geographiam Sacram c. VII § 3. Ita etiam *Iſ. Voſſius* in *Pomponium Melam* p. m. 64 obſervat: *Inferiorem Aegyptum, ne Aegypti quidem nomine, aut vix certe, dignati ſunt Graeci vetuſtiores.* Erat igitur Aegyptus et מצרים propriè Aegyptus ſuperior, a qua tamen adhuc diſtincta erat Thebais. *Tſoan* vero commodiſſime deſignat Aegyptum inferiorem, cuius aliquando fuit metropolis, et cuius etiam tempore Moſis urbs erat illuſtriſſima et praeſtantiſſima. Ea cauſa eſt, ob quam mentio fiat *agri Taneos*. Tota enim Aegyptus inferior, *agri* inſtar humilis, plana atque depreſſa erat. Vide *Diodorum Sicul.* Lib. 1 p. 27 [cap. 31]. Id ipſum *Tſoan*, Aegyptiace ϮΑΝΗ, deſignat, nempe ταπεινόν, vide Matth. XI. 8, ut ſuſpicari pronum ſit, antiquiſſimis temporibus, *Tanin*, ϮΑΝΗ, non tantum *urbis*, ſed etiam totius Aegypti inferioris nomen fuiſſe. Poſtea nomen Metropoli peculiariter adhaeſit, quale quid etiam Thebis contigiſſe ſtatim

di-

dicetur. Eodem modo Pſ. LXXXVII. 4, per *Rahab*; uti et Pſ. LXXXI. 11, deſignatur univerſa Aegyptus; etſi *Rahab* (*s*), uti viris doctis placet, proprie ſit *Athribis*, urbs Aegypti inferioris, ex praecipuis, quae primum Praefecturae Athribiticae, et ſucceſſu temporis toti Aegypto inferiori nomen dedit. Nec ab iſto more Graeci quoque alieni fuere. Scimus enim a Thebis, Metropoli Aegypti ſuperioris, totam Aegyptum Thebas audiviſſe. Conceptis verbis id docet *Ariſtoteles* (*t*), Τὸ ἀρχαῖον, inquit, ἡ Αἴγυπτος Θῆβαι καλούμεναι. Et ante eum *Herodotus* (*u*), πάλαι αἱ Θῆβαι Αἰγύπτος ἐκαλέετο. Et quis tandem neſcit, Scriptores Graecos et Latinos, Poëtas cumprimis, cum nominant Alexandriam, Memphim, Bubaſtum, aliasque celebriores Aegypti urbes, totam ſubinnuere Aegyptum? Vide *Ianum Vlitium* ad *Gratii* Cynegeticon verſ. 42, *Valerium Flaccum* Lib. v. verſ. 421. Conferatur etiam *Cudworth*, the true Intellectual Syſteme p. 341. Vt hoc unum adiungam; *Henricus Dodwellus*, in his Diſcourſe concerning Sanchoniathon ex *Seldeno*, exiſtimat, Iudaeos de Alexandria loquentes, perſaepe intelligere totam Iudaeorum gentem per Aegyptum diſperſam. Vide p. 95.

§ VII.

Epilogus huius Diſputationis.

Alia quaedam a Viris eruditis praeterea ſolent in

(*s*) *Bochartus* in *Phaleg et Canaan* part. I Lib. I. c. XV et Lib. IV c. XXIV. *Vitringa Geog. Sac.* cap. VII § XI.

(*t*) *Meteorol.* L. I c. 14. adde ibi Commentatorem Graecum *Olympiodorum* p. 26, et *Is. Voſſium* in *Pompon. Melam.* p. 79.

(*u*) L. II c. 15.

in medium proferri, ſed minoris utique momenti. Tale eſt, quod *Rameſſes* et *Pithom* partem fecerint Terrae *Goſen*, quod tamen liquido oſtendi nondum potuit. Sed ea de re commodius infra agendi locus erit. Eo pertinet pariter, quod ex rationibus itineris Iſraëlitarum ex Aegypto, pro ſe concludi poſſe putant. Verum, quia et hoc argumentum in ſequentibus paulo diſtinctius pertractabitur, nunc quidem manum de tabula aufero.

DISSERTATIO III,

QVAE

EST DE VERO EIVS SITV PRIMA.

§ I.

Tranſitur ad oſtendendum verum ſitum Terrae Goſen.

Hactenus aliorum de ſitu Terrae *Goſen* ſententias ſub examen vocavimus, quae, quia et a viris ſummis non ſine fiducia prolatae, et argumentis ſpecioſis adſtructae, et a plurimis denique cum plauſu exceptae fuerunt, a nobis utique ſilentio obtegi non potuere. Idque tanto libentius fecimus, ut non modo diverſae opiniones, ſed earum etiam fulcra et praeſidia, contendi inter ſe et recte expendi poſſent. Tempus iam eſt, ut, quia ſententiae virorum eruditorum, in ſuperioribus allatae, nobis non ſatis faciunt, Lectori indicemus, in quanam Aegypti regione nos Terram *Goſen* commodius et certius collocandam eſſe putemus. Alii Terram hanc quaerunt in Aegypto inferiori; nos (a) eam,

(a) Adverſus meam hancce ſententiam disputat cum pri-

eam in ſuperiori, aut potius in Heptanomide, ſive illa Aegypti parte, quae inter Thebaidem et Aegyptum inferiorem, intermedia eſt, vere ſitam fuiſſe, nunc oſtendemus.

§ II.

Goſen fuit Inſula Heracleopolitica, et tractus, qui illam ambit.

Regio illa, quam ſcriptor ſacer Moſes, nomine avito et patrio ארץ גשן *Terram Goſen* nuncupat, eadem fuit, ut mihi perſuadeo, quae a ſcriptoribus Graecis Νομὸς Ἡρακλεώτης, a Latinis *Nomus Heracleopolites*, vel *Praefectura Heracleopolitica* appellari conſuevit. Erat autem Nomus Heracleotes, Inſula ſatis magna, quam Nilus efficit, ſupra Memphim, inter Nomum Arſinoiten et Aphroditopoliten ſita, cujus accuratior deſcriptio ex Geographis, *Cellario* (*b*) praeſertim, petenda erit. *Plinius* de illo Nomo ita ſcribit (*c*): *Heracleopolites eſt Inſula Nili, longa passuum quinquaginta* M. *in qua et Oppidum Herculis appellatum.* Quando autem Terram *Goſen* illam Aegypti regionem fuiſſe cenſeo, quae

primis et prolixe *Matth. Haſius*, in *Regno Davidico* [*]; nec minus ſerio *Iacobus Kochius* im beleuchteten Hiob Part. II p. 402, 403, in notis, et *Christianus Mullerus* in Satura Obſervationum p. 107, 108, 188, 189.

(*b*) Geograph. Antiq. Part. III p. 63.

(*c*) Lib. V cap. 9.

[*] *I. M. Haſius* in Deſcriptione Regni Davidici p 179—181 minime probat ſententiam *Iablonskii*, cuius tamen diſſertationes de *Goſen*, ingenii et doctrinae profundae ſpecimina habere haud diffitetur. De aliorum diſſenſu monui tom. I Opuſc. p. 57, 462.

quae, in Geographia Aegypti, *Praefectura Heracleopolitica* vocari ſolet, id non de ſola illa inſula, quae ſigillatim *Heracleopolis*, et *Nomus Heracleopolites* audit, intelligi volo, ſed de toto illo (*d*) regionis tractu, qui Inſulam illam ab omni parte ambit, atque Praefecturam *Arſinoiticam* non minus, quam *Aphroditopolitanam* ex parte, et alias forte verſus Thebaidem, complectitur. Hodie regio illa, quam nunc deſigno, ab Arabibus, uti ex Geographis Arabibus et Itinerariorum ſcriptoribus intelligitur, *Fioum* vulgari uſu appellatur. Totus ille tractus, antiquiſſimis temporibus, de quibus Moſes loquitur, Aegyptiis videtur dictus fuiſſe *Goſen*, Graecis poſtea Ἡρακλεώτης, quamvis nomen hoc, ſecutis temporibus, inſulae illi, de qua dixi, adhaeſerit. Invenio etiam apud Graecos Latinosque ſcriptores, de Heracleopolitica Praefectura loquentibus, veſtigia antiquae illius ſignificationis, qua *Goſen*, ſive, quod mihi nunc idem eſt, regio Heracleotica, latius accipitur, et plus omnino comprehendit, quam Nomum ſtricte ſic vocatum, ab Arſinoite et Aphroditopolite diſtinctum. *Agatharchides*, qui ſub Ptolemaeo Philometore et deinceps vixit; inter Memphim et Thebaidem, *quinque* tantum *Nomos* numerat (*e*), *Heracleopoliten*, *Lycopoliten*, *Oxyrinchiten*, *Hermopoliten*, *et Schediam*, adeoque ſub Nomo Heracleopolite complectitur Nomum Arſinoiten et Aphroditopoliten, ut qui non nominantur. Ita etiam interpretor *Plinii* verba, loquentis de Labyrintho (*f*): *Durat etiam nunc in Aegypto, in Heracleopolite Nomo,*

(*d*) Ita etiam *Perizonius* in Origin. Aegypt. p. 351 cenſet, *Goſen* occupaſſe regionem terrae ſatis amplam.

(*e*) De mari rubro apud *Photium*, in Biblioth. Cod. CCL et in *Hudſoni* Geographis Minor. Tom. I p. 21.

(*f*) Lib. XXXVI cap. 13.

mo, Labyrinthus, qui primus factus eſt, ante annos, ut tradunt, III MDC, *a Peteſucco rege, ſive Tithoë.* Labyrinthum *Plinius* collocat in Heracleopolite Nomo, cum tamen, ſi accurate loquimur, in Nomo Arſinoite prope Lacum Moeridis ſitus fuerit. Ita etiam vulgo (*g*) Geographi meliores. Idque conſpectus Tabularum Geographicarum omnium confirmat. *Plinius* itaque ſub Nomo Heracleopolite comprehendit etiam Arſinoiten, quod praeterea ex nomine Regis *Peteſucci*, cuius mentionem facit, illuſtrare et confirmare poſſem, niſi hoc me nimium a via abduceret. Non citra rationem tamen id hoc loco monendum et adſtruendum erat. Provincia enim illa, quam Arabes *Fioum* nominant, quaeque ex mea ſententia reſpondet *Goſen* Moſaicae, a quibusdam (*h*) habetur quidem pro tractu Heracleote, ſed ad Arſinoiten magis, quam ad Heracleoten Nomum ſolet referri. Certe urbs ipſa *Fioum*, a qua Provincia nomen id accepit, a ruderibus Arſinoës vetuſtae prope abeſſe exiſtimatur. Ex iis quae nunc diſputavimus, ſatis luculenter perſpici arbitror, Nomum Heracleopoliten, ab antiquis Aegyptiis, uti quidem cenſeo, *Goſen* appellatum, latioris fuiſſe ambitus, quam vulgo a Geographis circumſcribitur. Et ſane fines illius adhuc latius extendit *Martianus Capella*, ſcriptor pererunditus, et rerum Aegypti gnariſſimus: *Heracleopolis*, inquit, *inſula Nili eſt, in qua Oppida Herculis, Arſinoita et Memphita, quae ad ſummum Delta perveniunt* (*i*). Ne quid tamen diſſimulem, videtur *Capella* verba mutuatus eſſe ex *Plinio*, qui Lib. v cap. 9 hunc in modum ſcribit: *Heracleopo-*

(*g*) Vide *Cellarii* Geographr. Antiq. P. III p. 64.
(*h*) Vide imprimis *Herbeloti* Bibliothecam Orientalem, artic. *Fioum.*
(*i*) In Satyrico Lib. VI p. 218. ed. *Grotii.*

polites eſt in inſula Nili — Herculis appellatum. Arſinoitae duo ſunt. Hi et Memphites ad ſummum Delta perveniunt. Vbi videas Arſinoen non poni urbem Heracleopoliticae Praefecturae, uti nec Memphim, ſed utriusque Nomum a Nomo Heracleopolitico diſtingui.

§ III.

Haec ſententia aliis etiam in mentem venit.

Illa igitur Aegypti regio, quam nunc deſcriptam dedi, quam Graeci, nomine ex ſua lingua deſumto, Ἡρακλεώτην appellant, nomine patrio antiquo Aegyptiis audiebat *Goſen*, et illa domicilium Iſraëlitarum fuit, dum in Aegypto peregrinarentur. Deprehendi, cum omnia, quae argumento huic lucem affundere poſſunt, diligenter verſarem, et undecumque excuterem, in hanc, quam propoſui, ſententiam, etiam alios incidiſſe. *Iudaeos* quosdam olim ita cenſuiſſe, fidem facit *Hieronymus*, cuius verba (*k*) adſcribimus: *Nonnulli Iudaeorum aſſerunt, Goſen nunc Thebaidem vocari. Et id, quod poſtea dicitur*, dedit eis, ut poſſiderent optimam terram in Ramaſſe, *Pagum Arſenoitem ſic olim vocatum autumant.* Equidem *Marshamus* (*l*) hanc Iudaeorum opinionem *imperitiae* accuſat, ſed quo iure, ipſe viderit. Ex *Hieronymo* habuit *Alcuinus*, quae in eumdem ſenſum ſcribit (*m*): *Ramaſſe pagum olim Arſenatem dictum putant.* Vbi recte *Druſius*, pro *Arſenatem*, voce currupta (*n*), *Arſinoiten*

(*k*) Quaeſtion. Hebr. in Geneſin fol. 102. b. edit. *Erasmi.*
(*l*) Canone Chron. p. 90.
(*m*) Quaeſtion in Geneſin.
(*n*) Not. Maior. in Geneſ. XLVII. 12.

ten legendum cenſet. Prope ad hanc ſententiam illi accedunt, quorum meminit *Nicolaus* Princeps *Radzivilius*, his verbis (*o*): *Nam ultra Deltam, quae regio viginti millia villarum complectitur, ſunt plurimae in Aegypto, infra et ſupra Cayrum, villae, quarum campos et agros Nilus inundat. Volunt nonnulli, totum hunc circuitum eſſe Terram Geſſem.* Sed de huiusmodi auctoritatibus parum quidem ſollicitus ero, qui malo hoc negotium idoneis argumentis et rationibus conficere. Oſtendam igitur, et naturam atque indolem Provinciae Heracleoticae, et illius ſitum, ex quo illuſtrari etiam poteſt exitus Iſraëlitarum ex Aegypto, et nomen huius Provinciae, mirum in modum noſtrae ſententiae patrocinari, et eidem traditionem vetuſtam non parum favere.

§ IV.

Nota praecipua characteriſtica Terrae Goſen eſt eius, prae aliis Aegypti regionibus, maxima fertilitas.

Hiſtoria Moſaica notam aliquam characteriſticam Terrae *Goſen* nobis ſuppeditat, eamque luculentam adeo et inſignitam, ut iure ſuo, inter argumenta, quibus uti conſtituimus, illa primum locum ſibi vindicet. Moſes namque *Goſen* nobis deſcribit, ut Terram Aegypti praeſtantiſſimam et beatiſſimam. Gen. XLV. 18. Ioſephus ita fratres alloquitur: *Et dabo vobis* את טוב ארץ *bonum terrae*, id eſt, uti *Hebraeorum Magiſtri*, atque ex illis *Druſius*, exponunt, *praeſtantiam Terrae*, vel, *quod in Aegypto prae-*

(*o*) Peregrinat. Hieroſol. p. 176.

praeſtantiſſimum eſt. Pergit Ioſephus, ואכלו את חלב הארץ, *Comedetis adipem*, vel *medullam Terrae*, nempe Aegypti. Quod *Ionathan* hunc in modum παραφράζει: *Pinguedinem i. e. partem eius fertiliſſimam.* Gen. XLVII. 6, Pharao ſic fatur ad Ioſephum: *Terra Aegypti expoſita eſt tibi. collocabis patrem tuum et fratres tuos* במיטב הארץ, *in optimo terrae, in terra Goſen.* Ita et v. 11 legimus de Ioſepho: *Dedit eis poſſeſſionem in terra Aegypti, in optimo loco eius terrae, quemadmodum praeceperat Pharao.* Ex his igitur certiſſime colligitur, *Goſen* non modo regionem fuiſſe praeſtantem, fertilitate agrorum et paſcuorum laetitia conſpicuam, quod de tota Aegypto, quam Nilus inundat, merito dici ſcimus, ſed bonitate et fertilitate illam ceteras etiam Aegypti regiones antecelluiſſe. Quare ſatis mirari non poſſum impudentiam *Celſi*, Philoſophi Epicurei, calumniatoris vaniſſimi, qui, adverſus Chriſtianos ſcribens, Iudaeis haec etiam exprobrat (*p*): Ἰουδαίων γένος ἐπὶ πλῆθος ἐν Αἰγύπτῳ ὄπαρξεν, ἔξω που παροικεῖν, καὶ ποιμαίνειν ἐν τοῖς ἀτίμοις ἐκελεύσθη: *Iudaeorum genus in Aegypto numeroſa ſobole auctum, ſeorſim inquilinorum iure habitare, et paſturis vacare iuſſum eſt in locis vilioribus.* Quae undenam potuit (*q*) haurire Graecus ille mendax, niſi ex Iudaeis et Moſe? qui tamen contrarium conceptis verbis plus ſemel teſtantur, quemadmodum ex locis citatis et univerſa narratione Moſaica abunde apparet.

§. V.

(*p*) Apud *Origenem* contra Celſum, Lib. IV p. 195 [539].
(*q*) Poterit tamen id conciliari cum aliqua antiqua traditione, de qua p. 67, 68 [Diſſ. VI de Goſen § IV].

§ V.

Notam hanc competere Heracleopoli, probatur teſtimonio Strabonis.

Quaerendus igitur eſt aliquis Aegypti tractus, cui character ille Moſaicus recte conveniat, id eſt, qui praeſtantia ſoli, fertilitate, omniumque rerum laetiſſima copia emineat, et alias ipſius quoque Aegypti partes vincat. Hunc iam, ſi *Plinium*, auctorem diligentem, audimus, in Aegypto potius ſuperiori quaeremus, quam in inferiori, ubi tamen complures eruditi viri *Goſen* collocant. Ita enim ille (*r*) iudicat: *Excellentius Thebaidis regionis frumentum, quoniam paluſtris Aegyptus. Plinio* aſſentitur *Iohannes Leo Africanus*, qui quidem in deſcriptione Africae L. VIII p. m. 666, ita ſcribit: *Sahidica Provincia* (quae ab Alcairo usque ad Nubiam ſecundum hunc auctorem extenditur) *reliquas partes, omnis generis leguminum, animalium, pullorum, linique copia antecellit, Errifia fructibus et oryza, Maremma goſſypio et ſaccharo foecundior.* Obſervare operae pretium eſt, per *Aegyptum* ſimpliciter, a *Plinio*, uti etiam ſaepe ab aliis, intelligi ſigillatim Aegyptum inferiorem, *Thebaidem* vero hic ſignificare, quicquid ſupra Memphim ſitum eſt, atque Heracleopoliten Nomum ſimul complecti. Hodie plerique teſtantur, Aegyptum inferiorem fertilitate vincere ſuperiorem, quia tota Nilo circumdata eſt. Vide *Jean Coppin*, le Bouclier de la Foi Liv. II chap. 18 p. 124, qui tamen ibidem ſcribit: *Il n'y a aucune pairie des ſains foins.* Cuius vero rei contrarium videtur apparere ex *Vanslebio*, Deſcription de l'Egypte p. 27, 28. *Maillet*

Part.

(*r*) Lib. XVIII c. 18.

Part. II p. 123, 124 ait: *Les plus beaux* chevaux *ſe tirent de la haute Egypte, autrement le Saidi, ou les paturages ſont plus abondans, qu'en aucun autre canton de ce pais.* Sed audiamus potius *Strabonem*, nobiliſſimum Geographum, qui ipſe Aegyptum peragraverat, inque ea omnia viſu digna ſollicite exploraverat, et qui, quod Moſes de *Goſen* commemorat, totidem fere verbis de Heracleopoli praedicat. Ita autem ſonant ejus verba (*s*): Εἶθ' ὁ Ἡρακλεώτης Νομὸς ἐν νήσῳ μεγάλῃ — — ἔστι δ' ὁ Νομὸς οὗτος ἀξιολογώτατος τῶν ἁπάντων, κατά τε τὴν ὄψιν, καὶ τὴν ἀρετὴν, καὶ τὴν κατασκευήν· ἐλαιόφυτός τε γὰρ μόνος ἐστὶ μεγάλοις καὶ τε-

(*s*) Lib. XVII p. 556 edit. *Caſauboni* Genev. [1163]. *Iacobus Elsnerus* in Diſſertatione de praeſtantia et excellentia Soli in Palaeſtina § XVI p. 425 edit German. ita loquitur: das Land (Paleſtina) liegt in einem glückſeeligen Himmelſtrich, (Clima) in eben demſelben mit Delta, dem allerfruchtbahrſten Theil Egyptens, wie ſchon *Strabo* angemercket, Buch 17 ſeite 1173. Verum locus ille *Strabonis*, qui in mea edit. p. 563 legitur, non ſibi vult, Delta eſſe praeſtantius Nomo Heracleotico, alioquin ſibi ipſe contradiceret. Et ſi vel Delta dici poſſet in univerſum praeſtantia vincere Aegyptum reliquam, hoc tamen de temporibus poſterioribus intelligendum tantummodo eſſet. Vide, quae ipſe hac de re obſervavi, pag. 68, [Diſſ. VI de Goſen § 4.] Quod *Elsnerus* ex *Strabone* probare volebat, et quod ille tamen re ipſa non dixit, conceptis verbis affirmat *Diodorus* L. I [cap. 34] p. 30. Sed hoc intelligendum de tempore recentiori, et cum certa limitatione. Reſponſionem pete ex *Mailleto* Tom. II p. 41, 42. — Alia ratione *Rich. Cumberlandus* probare voluit, Terram *Goſen* extra Delta ſitam eſſe, ſed ad oram Arabiae Aſiaticae deſertae, quia nempe maior fuerit fertilitas Delta, quam ut Terrae *Goſen* convenire poſſit. Vide eius Obſervationes in Sanchoniathonem p. 404 ed. German. Sed haec eius exceptio pro mea ſententia militat. Vide, quae infra a me obſervata ſunt Diſſert. VI p. 66 ſqq. [§ 4].

τελείοις δένδρεσι καὶ καλλικάρποις, εἰ δὲ συγκομίζοι καλῶς τις, καὶ εὐέλαιος.... Ἡ δ' ἄλλη Αἴγυπτος ἀγέλαιος.... οἶνον δὲ οὐκ ὀλίγον ἐκφέρει, σῖτον τε καὶ ὄσπρια, καὶ τ' ἄλλα σπέρματα πάμπολλα· *Sequitur Heracleotica Praefectura, in magna inſula.... Haec Praefectura ceteras omnes antecellit, et adſpectu, et virtute et apparatu. Sola enim oleas perfectas et pulchris fructibus conſpicuas profert. Ac ſi quis bene colligat, optimum etiam oleum fit. At Aegyptus reliqua oleo caret.... Praeterea vini non parum fert, frumentum quoque, legumina, et alia ſemina omnis generis.* Qualia auctor ille de alia Aegypti Praefectura ſane non obſervavit. Inter ea, quorum iacturam deplorarunt Iſraëlitae poſt exitum ex Aegypto, ſunt etiam *piſces*, Num. XI. 5. Illi in tota Aegypto abundant, ſed praecipue tamen circa lacum Moerin in Provincia, quae hodie dicitur Fioum. Ex illo enim lacu piſces ditabant reges reditibus inſignibus. Vide *Herodotum* L. II c. 149, L. III, c. 91, et inprimis *Diodorum Sic.* p. 48 [cap. 52].

§. VI.

Strabonis Teſtimonium ex quibusdam Scripturae locis illuſtratur.

Mihi igitur, neque citra rationem, verba haec *Strabonis* allata in memoriam revocarunt, non modo, quae Moſes de indole Terrae *Goſen* in literas retulit, ſed et querulas Iſraëlitarum voces, quibus dolorem ſuum de tot, quibus in Aegypto fruiti fuerant, bonis amiſſis teſtantur, Numer. XI. 5, *Recordamur piſcium, quos edebamus gratis in Aegypto, cucumerum et peponum, et porrorum, et ceparum et alliorum*, et XX. 5, *Quare feciſtis, ut adſcenderemus ex Aegypto? ad adducendum nos in locum hunc malum? Non eſt locus ſe-*

sementis, aut ficuum, aut vitium, aut malogranatorum. Notare hic non abs re erit 1.) *Strabonem* in Nomo Heracleopolitico, et quidem in illo solo totius Aegypti, collocare Oliveta. Consule hic les Nouveaux Mémoires des Missions Tom. II Part. I p. 135, 136. Haec vero Deus Israëlitis, ut veluti desiderium Aegypti ex mentibus ipsorum evellat, aut leniat, promittit in Canaane, Deut. VI. 11; *Introducet te Deus ad vineas et oliveta, quae non plantasti*, et VIII. 8; *Deus te introducet in terram feracem tritici, et hordei, et vitis, et ficus, et malogranati, terram feracem oleae oleosae et mellis.* Quinimo, quod observatu dignum est, deprehendas, Hebraeos et Aegyptios, uno fere eodemque vocabulo, Oleam designare. Hebraeis dicitur זַיִת, Aegyptiis ϫⲟⲓⲥⲧ, *Soit.* Nempe, quia Olea in ea tantum Aegypti parte (*t*) proveniebat, quam possederunt Israëlitae, factum fuisse videtur, ut aut Aegyptii nomen ab Hebraeis arbori illi inditum retinuerint, aut Hebraei nomen arboris sibi familiaris (*) Aegyptiacum et consuetum postea conservaverint. Recentiores quidam putant, copiosas circa Saïn, in Aegypto inferiori, olim proveniisse oleas. Vide *P. Lucae* Itinerar. tertium Tom. II pag. 254, 255, *Pluche* Histoire du Ciel, Tom. I p. 64, 185 sqq., *Guichart* Harmonie des Langues p. 241. Sed haec sunt mera somnia recentiorum, qui

(*t*) Nimis generatim scribit Anonymus in Expositione totius mundi (in Geographis Minor. Hudsoni Tom. III) p. 7. de Aegypto: *fructuum feret omnia, sine oleo*, quod in notis sic exponitur: omnis generis frugum frugifera est, oleo tantum excepto.

(*) Comparetur annotatio tom. I horum Opusc. p. 432.

qui ut tanto luculentiorem inter Minervam Aegyptiorum et Graecorum conſtituerent convenientiam, Minervae Aegyptiorum, non ſecus atque Graeci Minervae ſuae, inventionem oleae attribuerunt, eoque Saïn, ubi praecipue colebatur Minerva Aegyptiorum, dictam putarunt a זית *olea*. Hac de re copioſe diſputavi in Pantheo Aegyptiorum Lib. I cap. III. Sed habemus diſertum teſtimonium *Strabonis*, ſcriptoris accuratiſſimi, et qui ipſe Aegyptum peragravit, monentis, oleam provenire tantum in Praefectura Heracleopolitica, reliquam Aegyptum eſſe ἀγέλαιον, *olea privatam*. Idque confirmat *Herodotus* Lib. II cap. 94, ubi obſervat, Aegyptios, qui paluſtria accolunt, in Aegypto inferiori, non ita procul a Saï, uti oleo ex ſillicypriis confecto, quia nempe olivis carent. Vide et *Plinium* Lib. XV cap. 7. Expende etiam notam *Dalechampii* in *Plinium* Lib. XXVII cap. VII lit. m. Hinc dicitur Hoſeae XII. 1, Iſraëlitas *oleam* שמן *in Aegyptum eſſe deportaturos*. Adde ibi Commentar. *Pocockii* p. 636 ac 637, et, quem is laudat, *Joh. Druſii*. In Thebaide tamen ſuperiori circa Abydum urbem olim Oleas fuiſſe non infrequentes *Theophraſtus* auctor eſt in Hiſt. Plantar. Lib. IV cap. 3 p. 74. Idem Lib. IV cap. 8 memoriae prodidit, in Sinu Arabico naſci arbores oleis et lauris ſimiles. 2) Attentione indignum non eſt, Iſraëlitas in deſerto conqueri de Ficubus, quibus, poſt exceſſum ex Aegypto, carendum ſibi ſit. Etſi enim fructu hoc tota Aegyptus abundaverit, et etiamnum abundet, inſignis tamen illius copia in provincia Fioum, i. e. Heracleopoli reperiri, teſtatur *Paulus Lucas*, qui provinciam illam vidit. *Ficus*, inquit (*u*), *illic praecipue magna copia proveniunt, ſolumque tam praeſtans eſt, ut arbores*

(*u*) In Itinerario tertio, Anno 1714. Tom. II p. 296.

flores illae cito excreſcant, ac ingentem fructuum multitudinem edant. Novimus praeterea, Ficus in Aegypto diſtingui ſolere (*v*) in Ficus communes, et illas, quas provincia Fioum producit, quaeque propter praeſtantiam hodie Cairum, Aegypti Metropolin, transferri ſolent. *Cato* de Re Ruſtica cap. VIII. I ſcribit: *Ficos mariſcas in loco cretoſo et aperto ſerito; Africanas et Herculanas.* Vide, an forte *Cato* ad ficos *Heracleopoliticas* digitum intendat. Neque 3) illud omittendum, Judaeos non ſine moerore recordari Vitium, in Aegypto a ſe cultarum. Vide hic etiam *Rich. Pococke's* Obſervations on Egypt L. I c. 7 p. 65. Ex *Strabone* autem jam audivimus, Nomum Heracleopoliten vini non parum producere. Quinimo novimus ex teſtimoniis Scriptorum recentiorum, quae poſtea producemus, vineas non reperiri, in tota Aegypto, excepta provincia Fioum, ſive antiqua Heracleopoli. Et vinum, quod illic provenit, generoſum eſſe teſtatur *Vanslebius* p. 256, 260. Non ignoro teſtimoniis his opponi poſſe teſtimonia ſcriptorum antiquorum, qui vini haud ignobilis, in aliis Aegypti provinciis creſcentis, meminere. *Virgilius* (*w*) *uvas Mareoticas* inter praeſtantiores numerat,

Sunt Thaſiae vites, ſunt et Mareotides albae (*x*).

Meminit earumdem *Horatius* (*y*), ad quem *vetus commentator* ita ſcribit: *Mareotis in Aegypto palus eſt, iux-*

(*v*) *Vanslebius* in Relatione Itineris Aegyptici p. 97.
(*w*) *P. Lucas* Lib. cit. p. 206, 207, 251.
(*x*) Georg. Lib. II v. 91. Mareotides albae *Graeculis vitibus* accenſentur a *Columella* de R. R. Lib. III cap 2 § 24 p. 482; ex quo non abſurde colligas, eas a Graecis demum in Aegyptum fuiſſe translatas. Et ſane non procul aberant ab Alexandria, Graeca civitate.
(*y*) Carmin Lib. I od. XXXVII v. 14.

iuxta quam vinum optimum naſcitur. Meminerunt eiusdem vini etiam *Strabo* (*z*) et alii. *Vinum Sebennyticum* (*a*) inferioris Aegypti a *Plinio* (*b*) commendari reperimus. *Diodorus Sic.* Lib. I p. 32 [c. 36 p. 43] de tota Aegypto affirmat, regionem vitibus conſitam vino abundare, ἥ τε ἀμπελόφυτος ὁμοίως ἀρδευομένη, δαψιλείαν οἴνου τοῖς ἐγχωρίοις παρασκευάζει. *Athenaeus* (*c*) cumprimis differens de vinis Aegypti, laudat quidem vinum Thebaidis vel Aegypti ſuperioris, quippe quod tam facile digeratur, ut etiam febri laborantibus citra noxam praebeatur, ſed multa tamen alia Aegypti vina praeterea memorat, *Mareoticum*, *Taenioticum*, *Antyllaeum*, *Copticum*, et haec etiam addit, Ἡ δὲ περὶ τὸν Νεῖλον ἄμπελος, πλείστη μὲν αὐτὴ, ὅσος καὶ ὁ ποταμὸς, καὶ πολλαὶ τῶν οἴνων αἱ ἰδιότητες· *Sunt etiam circa Nili decurſus, et quacumque fluvius labitur, vineae creberrimae, et ſunt vinis his multa propria et peculiaria.* Vinis hic enumeratis *Clemens Alexandrinus* addit *Mendeſium*, Lib. II Paedagog. p. 156 extrema [185]. Haec teſtimonia veterum utique agnoſco. Sed videntur tamen vineae hae a Perſis primum, ac deinde Graecis, poſtquam illi Aegypto potiti eſſent, ſerius, ac velut invita Minerva, plantatae et cultae fuiſſe. *Herodotus* certe, omnium hiſto-

(*z*) Lib. XVII P. 550 (*).
(*a*) Vide et nummum Sebennyticum apud *Vaillantium* in Hiſt. Ptolemaeorum p. 215.
(*b*) Lib. XIV cap. VII.
(*c*) Deipnoſ. Lib I p. 33 [126 ſqq. ed. nov.].

(*) Verba *Strabonis* ſunt p. 1150, 1151, εὐοινία τέ ἐστι περὶ τοὺς τόπους, ὥστε καὶ διαχεῖσθαι πρὸς παλαίωσιν τὸν Μαρεώτην οἶνον, ubi Μαρειώτην legendum, praeeunte *Caſaubono*, monet *Almeloveenius*, et plura adiungit de vino Mareotico. — De vineis aliis Aegyptiacis dixi tom. I Opuſc. p. 432, 472.

hiſtoricorum Graecorum, qui ad manus noſtras pervenerunt, antiquiſſimus, quique de Aegypto ea narrat, quae ipſe oculis ſuis ſubiecit, ſua adhuc aetate (*d*) teſtatur, Οἴνῳ δ' ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται, οὐ γάρ σφι εἰσὶ ἐν τῇ χώρῃ ἀμπελοι, *Vino utuntur ex hordeo: deſunt enim in ea regione vites. Ex myxis in Aegypto et vina* fieri, ſcribit *Plinius* Lib. XIII cap. 5. Ante Pſammetichi tempora in Aegypto vinum nemo bibebat, idque nitebatur traditionibus quibusdam ſacris, quae Diis etiam vinum libare vetabant, teſte *Plutarcho* de Iſ. et Oſir. p. 629 ed. Stephani. Ex his non abſurde colligi poſſe puto, Moſis tempore (*e*) vitem in ſola Heracleopoli, vel *Goſen*, utpote ad hunc uſum prae aliis Aegypti regionibus commoda et opportuna, ſatam fuiſſe, uti etiam in ho-

(*d*) Lib. II cap. 77.

(*e*) Cogitandum eſſet de removenda obiectione ſpecioſa, quae peti poſſet ex Geneſ. XL. 9—12, et huic ſimilis in hiſtoria Aſenethae, in *Fabricii* Cod. Apocr. V. T. Vol. II p. 91 fin., ſi exiſtimarem, eam meae ſententiae repugnare. Non nego, alicubi et aliquando extitiſſe vineas in Aegypto, ſed ubique eas inventas eſſe atque ſemper. Notum eſt hoc *Martialis* Lib. XIII Epigr. 122,

Amphora Niliaci cum ſit tibi vilis aceti,
Eſſet cum vinum, vilior illa fuit.

Obſerva hunc *Hellanici* locum apud *Athenaeum* Lib. I p. 34 [128, 129], Ἑλλάνικος δέ φησι ἐν τῇ Πλινθίνῃ πόλει Αἰγύπτου πρώτῃ εὑρεθῆναι τὸν ἄμπελον· διὸ καὶ Διωνύσῳ ὁ ἐξ Ἀκαδημίας, φιλοίνους καὶ φιλοπότας τοὺς Αἰγυπτίους γενέσθαι· εὑρεθῆναί τε βοήθημα παρ' αὐτοῖς, ὥς τε τοὺς διὰ πενίαν ἀπορουῦντας οἴνου, τὸν ἐκ τῶν κριθῶν γενόμενον πίνειν καὶ οὕτως ἥδεσθαι τοὺς τοῦτον προσφερομένους, ὡς καὶ ᾄδειν, καὶ ὀρχεῖσθαι, καὶ πάντα ποιεῖν, ὅσα τοὺς ἐξοίνους γινομένους. Compara haec verba cum iſtis, quae ex *Herodoto* adduxi. Ex illis enim horum petenda interpretatio.

hodiernum usque diem, ſolus ille in Aegypto tractus vini ferax eſſe perhibetur. Poſtquam enim Aegyptum occuparunt Muhammedani, quibus vino indulgere illicitum eſt, induſtria operoſa, quam Graeci in cultura vini poſuerant, ceſſavit, et res ad primaevum ſtatum rediit. Vide les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. VII p. 109, et *Nicolai Radzivilii* Peregrinationem p. 160.

§ VII.

Teſtimonium Plinii aliorum conſimilibus teſtimoniis confirmatur.

Ne quis vero mihi obiiciat, haec omnia, quae de eximia Provinciae Heracleopoliticae fertilitate adſtruxi, niti auctoritate et fide unius *Strabonis*, qui forte in laudanda hac regione paulo liberalior fuerit, teſtimonium *Strabonis* conſenſu aliorum ſcriptorum, qui id ipſum teſtantur, corroboremus. Et poſſemus ſane multa, tam ex ſcriptis Arabum, quam e Commentariis auctorum Chriſtianorum, qui medio aevo floruerunt, hic congerere. Sed quem in uſum? Contenti eſſe poſſemus teſtimoniis duorum ſcriptorum celebrium, *Mich. Vanslebii* et *Pauli Lucae*, qui noſtra memoria Aegyptum adierunt, atque illam ſigillatim Aegypti Provinciam, quae Fioum nuncupatur, accuratius, quam ab aliis factum fuit, deſcripſerunt. Alter eorum haec de Provincia Fioum refert (*f*), quae et hic legiſſe non poenitebit: *Provincia Fioum ſemper numerata fuit inter celebriores Aegypti Provincias, non tantum propter agrum fertilem, eximiam rerum abundantiam,*

(*f*) *Vanslebius, Relation d'un Voyage fait en Egypte*, pag. 245, 246.

tiam, qua re omnes alias huius regni provincias antecellit, verum etiam propter admiranda, quae ibi visuntur, opera. Et alio (*g*) loco: *Solum huius Provinciae est et fertilissimum et amoenissimum. Quaecunque illic crescunt, sapore suo se commendant prae iis, quae in aliis Aegypti regionibus proveniunt. Reperiuntur integri campi rosis consiti et Ficubus, quod in aliis Provinciis non videas. Horti repleti sunt arboribus fructiferis omnis generis, pyris, malis, malogranatis et aliorum generum. .... Fioum est sola totius Aegypti regio, in qua reperiuntur vineta.* Alter, qui de ea Provincia non pauca memoriae prodidit, hucusque minus nota, inter alia, quae apud ipsum auctorem legi possunt, et haec observat (*h*): *Phioum est ex Provinciis Aegypti fertilissimis et felicissimis.* Et plusculis interiectis (*i*): *Provincia illa non continet nisi* CCCLXVI *vicos, verum proverbio iactatur, unumquem-*

(*g*) Ibid. p. 255.

(*h*) *Paulus Lucas* in *Descriptione Itineris secundi* in Orientem Tom. II cap. VI init. p. 40.

(*i*) Ibid. p. 45. Ceterum dissimulare hic nolo, *Lucam* ea, quae de CCCLXVI. vicis narrat non tam vidisse, quam ex Scriptoribus Arabibus hausisse. *Wilhelmus Tyrius*, scriptor seculi XII, ita de hac Provincia scribit, *Hist. Orient.* Lib. XIX c. 23: *Est autem regio non inodica, imo* CCCLXVI *tam urbes, quam suburbana, finibus suis dicitur coërcere.* At *Vanslebius*, *Paulo Luca* nonnihil antiquior, et praeterea scriptor satis accuratus, sua aetate numerum illum vehementer diminutum fuisse testatur. Haec sunt eius verba: *Provincia Fioum olim* CCCLXVI *urbes et vicos continuit. Verum hodie nonnisi* LXII *supersunt*; in *Descriptione Itineris* p. 257. De Provincia Fioum potest etiam consuli Descriptio tertii itineris eiusdem *Lucae* Tom. II p. 205, 206, 207, quo postremo loco ita scribit: *Cum ager, qui urbem Fioum ambit, omnium totius Aegypti sit praestantissimus et optime cultus, videas etiam hortos repletos arboribus fructiferis omnis generis*, quae ibi ex parte enumerantur. Id vero in reliqua Aegypto raro admodum cernitur. Ligni in Aegypto magna inopia est.

quemque horum vicorum ſatis habere frumenti, ut (*k*) *ex eo, quod incolis ſupereſt, cives urbis Cayri, per integrum diem commode ſuſtentari poſſint..... Lina, quae regio haec producit, putantur eſſe praeſtantiſſima citra controverſiam totius Aegypti..... Cumque ex omnibus Aegypti Provinciis, ſola Phioum vineas habeat, coniicere liceret, eam eſſe* (*l*) *Sebennytum, a vini praeſtantia veteribus laudatam.* Et in ſequentibus: *Solum urbis Phioumi non modo eſt egregie foecundum, verum et quae illic Terra producit, guſtu excellentiora ſunt iis, quae in aliis Aegypti regionibus creſcunt.* Scriptores hi, quod mirari poſſes, olearum nullam mentionem faciunt, quas *Strabo* Provinciae Heracleoticae proprias fuiſſe teſtatur. Suppleamus itaque hoc teſtimonio ſcriptoris Latini, quamquam Muhammedani, qui ſub initium Seculi XVI Aegyptum peragravit, et de Provincia Phioum haec memoriae prodidit (*m*): *Magnam fructuum et olivarum producit abundantiam, quae eſui accommodae oleo exprimendo prorſus habentur inutiles.* Quae poſtrema ex *Strabone* ſunt corrigenda. Ita enim auctorem illum optimum et iudicioſiſſimum ſcripſiſſe ſupra vidimus: *Sola* Heracleopolis *oleas perfectas et pulchris fructibus conſpicuas profert. Ac, ſi quis bene colligat, optimum etiam oleum fit.* Quia vero teſtimoniis

Vans-

(*k*) Poteſt addi *Maillet* Part. 1 p. 126. Id hauſtum eſt ex ſcriptoribus Arabicis. Vide *Murtadum* p. 203.

(*l*) Hoc iudicium non magnam veteris Geographiae peritiam oſtendit. Ita tamen etiam *Maillet* Part. 1 p. 125 et 294, et *Lucas* quoque, niſi fallor, in Itiner. ſecundo, tom. II chap. 6 p. 45, ut itaque coniicere pronum ſit, errorem hunc eſſe ſatis antiquum et communem, forte ex eo natum, quod *Goſen*, i. e. *Terra Herculi dicata*, et *Sebennytus* vel *Samanuti* fere idem ſignificat.

(*m*) *Ioh. Leo Africanus, in Deſcriptione Africae* p. 722. De Provinciae huius excellenti indole et praeſtantia vide etiam *Maillet*, Deſcription d'Egypte p. 293, 294.

Vanslebii et *Lucae* nunc aliud addidi *Leonis Africani*, temperare mihi non poſſum, quin illi etiam aliud adiungam, ſcriptoris non illaudati, *Wilhelmi Tyrii*, cuius de Provincia Phioum, verba haec ſunt (*n*): *Eſt quaedam alia regio, ad eandem pertinens Aegyptum, a Cahere diſtans itinere diai unius, per terram inhabitabilem, quae eiusdem fluminis beneficio* (*o*) *per quosdam meatus viſitata, optimum et fertile nimis habet ſolum, agrorum et vinearum multa gaudens opulentia. Hanc Aegyptii* (intelligit Arabes in Aegypto) *lingua ſua Phioum vocant.* Adiungantur praeterea haec teſtimonia. *Maillet*, Deſcription d'Egypte Part. 1 p. 125: *La Province du Fioum — la plus abondante et la plus fertile de tout ce charmant pays.* *Murtadi* Muhammedanus in Libro de admirandis Aegypti, ex verſione Gallica Vattierii, p. 203, 204: *Il n'y a au monde, que ce pays, qui ait été bati & cultivé par révélation Divine. Il n'y a point ſur la terre, de Province plus petite & plus fertile tout enſemble, n'y plus abondante en toutes ſortes de biens, n'y mieux fournie de rivières &c.* Vide et p. 213: *dans toute l'Egypte il ne s'en trouvoit point de pareille, n'y d'égale.* Denique *Grangier*, Voyage d'Egypte p. 159, commemorat *la Province de Faioum, qui étoit ſous les Pharaons, comme elle l'eſt encore aujourd'huy le Jardin de l'Egypte à cauſe de ſes arbres fruitiers, de vignes, & de la grande quantité de roſiers.* Opus autem non eſt, ut, quod facile fieri poſſit, iſtiusmodi teſtimonia plura congerantur. Cuinam igitur dubium eſſe poteſt, quin Fioum, ſive Heracleopolis, illa ipſa ſit Aegypti Provincia, de qua Moſes teſtatur, eam in ſinu ſuo fovere *bona, pinguedinem, et adipem totius Aegypti?*

DIS-

(*n*) *Hiſt. Orientat.* Lib. XIX cap. 23 p. 969.

(*o*) Ita videtur legendum eſſe. In editione mea legitur *benefici.*

DISSERTATIO IV,

QVAE

EST DE VERO EIVS SITV SECVNDA.

§ I.

Tranſitur ad argumenta, quae capiuntur ex ſitu Terrae Goſen.

Pergamus iam ad illa argumenta, quae ex ſitu Terrae *Goſen* capi poſſunt, et ex indiciis a Moſe in hiſtoria ſubminiſtratis oſtendamus, illa omnia cum ſententia noſtra quam commodiſſime conciliari. Argumentum hoc, quia nomina quaedam urbium et regionum, in hiſtoria Moſaica occurrentium, paulatim perierunt, et oblivioni mandata ſunt, arduum omnino, et difficultatibus non levibus expoſitum eſſe fateor; verum enimvero, ſuperſunt tamen in illa hiſtoria veſtigia quaedam extantiora, quae ubi eruta et in apricum prolata fuerint, viam nobis aliquam patefacient ad ſitum regionis, quam quaerimus, inveniendum, et certis quibusdam limitibus circumſcribendum.

§ II.

§ II.

Praemittuntur quaedam, et primo quidem quaeritur, quaenam fuerit Metropolis Aegypti, tempore Iſraëlitarum.

Antequam autem ad evolvenda paulo attentius veſtigia illa, ex quibus de ſitu Terrae *Goſen* coniecturam facere poſſumus, accedamus, ab argumento hoc noſtro alienum non eſt, ut de ſede regum Aegypti, deque urbibus, a Jacobidis in Aegypto, aut aedificatis, aut inhabitatis, quarum Scriptor hiſtoriae Sacrae meminit, quaedam praemittamus, quae partim ad ſtabiliendam ſententiam noſtram, partim ad convellenda aliarum opinionum praeſidia, aliquid omnino conferent. Et primo quidem omnes facile intelligunt, ad diiudicandum verum Terrae *Goſenis* ſitum, plurimum momenti accedere poſſe, ſi, quaenam fuerit tempore commorationis Iſraëlitarum in Aegypto regni huius metropolis, oſtendi et certo conſtitui poſſit. Equidem hactenus tantum non omnes, quod ſupra (*a*) iam monui, credidere, Tanin fuiſſe tempore illo ſedem regiam, quamobrem *Goſen* quoque in vicinia eius, adeoque in Aegypti inferioris regionibus, collocarunt. Verum paucis iam, cum ſententiae huius virorum eruditorum mentionem facerem, ſubindicavi, roboris infirmi et ponderis exigui eſſe, quae pro illa adducuntur. Quia tamen ſentio, dubia, quae hic lectori ſagaci ſeſe offerre poſſunt, nondum penitus eſſe ſublata, totum hoc argumentum, peculiari (*) Diſſertatione, *de Tani*,

(*a*) Diſſert. II § VI.

(*) Vide tamen annotationem p. 101 huius partis.

Tani, ſub calcem huius noſtrae commentationis, paulo diligentius excutiam. Ego, ſi et indicia, in hiſtoria Moſaica reperiunda, et veterum ſcriptorum de Aegypto teſtimonia perpendo, ac inter ſe confero, aliter cenſere non poſſum, quam Metropolin Aegypti, quo tempore Iſraëlitae in Aegypto peregrinati ſunt, fuiſſe vel Heliopolin, vel Memphim, urbes antiquas, magnitudine et magnificentia praecellentes, et haud ita magno intervallo a ſe invicem diſiunctas. Quod ne gratis dixiſſe videar, argumenta iam promam, quibus, ut ita ſentirem, me adduci paſſus ſum.

§ III.

Rationes pro Heliopoli.

Quod ad *Heliopolin*, ſive, ut patrio et antiquiſſimo nomine, ab Aegyptiis appellatur (*b*), *On*, attinet, ipſe Moſes non obſcure ſubinnuit, eam ſedem extitiſſe illius Aegypti regis, qui Joſephum ad maximos honores evexit. Nam cum Geneſ. cap. XLI narraſſet, quomodo Joſephus, memorabile regis ſomnium interpretando, ſummo eius favore potitus fuiſſet, et quomodo eum rex totius Aegypti Praeſidem ac Prorege creaſſet, haec adiicit vſ. 44, 45, 46: *Denique Pharao Ioſepho dixit, ego ſum Pharao:* (i. e. *rex*, nam (*c*) *Pharaonem* lingua Aegyptiorum dici re-

(*b*) Videri poſſunt, quae de hoc nomine obſervata fuere Diſſert. I § V in notis, et quae dicentur infra § VIII. *Marſhamus* Can. Chr. p. 29: *Priſcis autem hiſce temporibus Heliopolis videtur eſſe regni huius metropolis*, Arabiae conterminum claritatis magnae Solis oppidum. (Plin. Lib. V cap. 9.) *Sub Paſtoribus autem* Tanis, *unde reges Tanitae.*

(*c*) Conferatur Epiſtola *Ludovici Picques*, quondam Doctoris Sorbonici, viri rara eruditione ornati, in *Iordani*

regem, a multis, et veteribus et recentioribus, iam diu obſervatum eſt) *attamen ſine te non attollet quisquam manum ſuam, aut pedem ſuum, in univerſa terra Aegypti. Vocavit autem Pharaoh nomen Ioſephi Tzophnath-pahaneach, deditque ei Aſenetham, filiam Potipherahi* (*d*), *Sacerdotis Onii* (vel Heliopoleos), *uxorem. Poſtea egreſſus eſt Ioſeph ad Terram Aegypti.... Et circumivit omnes regiones Aegypti.* Duxit igitur Ioſephus uxorem, filiam Sacerdotis Onii, vel Heliopoleos, cum primum ad ſummam totius Aegypti dignitatem admotus fuiſſet, et antequam relicta regia Pharaonis, in qua hucusque vitam egerat in Aegypto, ad rite obeundum munus ſuum in alias regni eiusdem provincias excurriſſet. Ex quo, profecto non citra rationem, colligimus, contigiſſe hoc in ea ipſa urbe, quam rex praeſentia ſua dignari conſueverat, in qua Ioſe-

dani Hiſtoria Vitae *La Crozii* Part. II p. 292, 293. Aegyptii, loquentes de regibus ſuis, eos non nomine unicuique proprio deſignabant, ſed appellativo omnibus communi; de quo Orientalium more vide les Voyages de *Chardin* Tom. VI p. 214, 215. Iunge dicta in Collectione MS. Vocum Aegyptiacarum v. Φαραώ [tom. I p. 374—376, c. n.]. In Hebraico Codice vox haec exprimitur פַּרְעֹה *Pharoh*. Apud Aegyptios vero communi dialecto ϕⲇⲁⲣⲟ *regem* ſignificat, et dialecto Thebaidis, quae eſt antiquiſſima, ⲡⲣⲣⲟ, quaſi dicas, *Parro*, vel quod Aegyptiis plane idem eſt, ϕⲣⲣⲟ, *Pharro*.

(*d*) Secutus hic ſum verſionem LXX Seniorum, qui habent ἱερέως Ἡλιουπόλεως. Sic etiam interpres vulgatus Latinus. In Hebraeo eſt כֹּהֵן אֹן, quod *Tremellius* reddidit, *Praeſidis Oniorum*, cuius verſionem ex eruditis multi probant. Ego in aliqua ex ſequentibus Diſſertationibus rationes dabo, ob quas verſionem Graecam praeferendam putem.

Ioſephus moratus fuerat, in qua finem malorum, et fortunae ſuae mutationem inſperatam viderat. Hoc ſine dubio *Fl. Ioſephum* (*e*) compulit, ut Heliopolin fuiſſe tum temporis regiam Aegypti ſibi perſuaſerit. Et ſic video etiam rationes iniviſſe *Eman. Tremellium*, emunctae naris interpretem, utpote qui *Goſen* fuiſſe cenſet (*f*) *regionem, non multum ab Oniis, regia urbe, et Ioſephi domicilio diſſitam.* Accedit, quod (*g*) aliunde compertum ſatis ac exploratum nobis ſit, antiquiſſimis temporibus reges Aegypti ſedem habuiſſe Heliopoli; atque in ea exornanda ſtudii et operae plurimum conſuliſſe.

§ IV.

Rationes pro Memphi.

De *Memphi* vero, cujus *Moſes* quidem mentionem expreſſam nullam facit, ut tamen ſuſpicer, extitiſſe et hanc Aegyptiorum regiam, quo tempore Iſraëlitae in regno illo habitarunt, rationes quaedam me adegerunt non ſpernendae. Namque 1) de eo inter omnes convenit, Memphim inter antiquiſſimas et clariſſimas totius Aegypti urbes iure ſuo referendam eſſe, qua forte, ſi Thebas excipias, antiquior in Aegypto oſtendi non poterit. Eamdem, ſi non omnino prima regum Aegypti ſedes fuit, primis tamen regiis annumerandam eſſe, mihi quidem probaſſe (*h*) *Marshamus* videtur. *Euſebius* in Chronico ex verſione *Hieronymi* Lib. I p. 12, *Memphis in Aegypto ab Ape condita*, idque poni-

(*e*) Antiquit. Lib. II cap. VII § 6.
(*f*) Annotat. in Geneſ. XLV. 10.
(*g*) Vide *Marshami* Canonem Chron. p. 315.
(*h*) In Canone Chron. p. 28.

ponitur ante Iacobi Patriarchae adventum in Meſopotamiam et ſervitutem in domo Labanis. Idem p. 15, *Epaphus filius Ius Memphim condidit, quum in ſecunda Aegypto regnaret.* Vide et Lib. II p. 67, 78. Teſte *Diodoro Sic.* L. I p. 46 [cap. 50], *Uchoreus*, octavus ab Oſymandua, Memphim condidit. Si vero *Herodoto* (*i*) credimus, ipſi Meni, omnium Aegypti regum antiquiſſimo, Memphis originem ſuam debet. Probare tamen non poſſum, quod (*k*) *Marshamus*, ubi de antiquitate illius urbis diſſerit, coniectat, ipſum *Mempheos* nomen veſtigia conditoris ſui *Menis* ſervare. Certiſſima potius eſt *Plutarchi* nominis illius interpretatio, quam is ab Aegyptiis accepit, quamque praeter rationem *Marshamus* repudiat. Ita autem *Plutarchus* (*l*), τὴν πόλιν Μέμφιν.... ὅρμον ἀγαθῶν ἑρμηνεύουσιν, *urbem Memphim* Aegyptii *interpretantur portum bonorum.* Et hoc profecto Μέμφις ſermone Aegyptiorum ſignificat. ⲙⲉϩ (*Meh*) Aegyptiis dicitur *plenus*, ⲛⲟⲩⲫⲓ (*nuphi* vel *enuphi*) *bonus.* ⲙⲉⲛⲟⲩⲫⲓ igitur Aegyptiorum lingua ſonat *plenam bonorum.* Id vero eſt ὅρμος ἀγαθῶν. Mihi etiam dubium nullum ſupereſt, quin verum inſignis illius urbis nomen Aegyptiacum fuerit *Menuphis*, quod Graeci Μέμφιν extulerunt. Hodie ab Arabibus *Menf* appellatur, ut (*m*) viri eruditi obſervarunt. Copti vero vel Aegy-

(*i*) Lib. II c. 99.

(*k*) L. c. Eius coniecturam non improbat *Vitringa* in Ieſaiae XIX, Tom. I p. 565, in notis.

(*l*) De Iſ. et Oſir. p. 639 edit. Stephani, ſive p. 359.

(*m*) *Renaudotus* Hiſtor. Patriarch. Alexandr. in Praefat. p. XXXI: *Nam* Menf *adhuc appellatur urbs, quae ab altera parte Nili ſupereſt.* *Herbelotus* in Biblioth. Orient. artic. MESR. p. 579 fin. obſervat ex ſcriptoribus Orientalibus,

Aegyptii hodierni Chriſtiani, et in libris, et in communi ſermone, eamdem *Menuph* nuncupant, quod a *Mich. Vanslebio* (*n*) accepimus, quodque teſtimonio Scalae Coptico-Arabicae, a *Kirchero* editae, confirmatum vidimus, etſi illic non ⲙⲉⲛⲟⲩⲫ legamus, quod verum urbis huius nomen fuiſſe diximus, ſed (*o*) ⲡⲁⲛⲟⲩⲫ, vel quod idem eſt, abiecto nempe articulo, ⲛⲟⲩⲫ. *Balmis* apud *Kircherum* in Oedipo tom. 1 p. 19: *Noph nomen urbis in Aegypto, barbare dicta Monph.* Nam haec nomina eodem redeunt, et re ipſa idem ſonant, niſi quod prius ⲙⲉⲛⲟⲩⲫ ſit paulo plenius, poſterius ⲡⲁⲛⲟⲩⲫ ſit contractius, quemadmodum urbis cuiusdam in Graecia incolas, modo Θῶαϛ, modo etiam Ἀχροθοϊτὰϛ appellari deprehendimus. Hinc iam ratio peti poteſt, quamobrem urbs iſta a Scriptoribus Sacris aliquoties נֹף, aliquando etiam מֹף appelletur; quod (*p*) viris quibusdam eruditis difficile explicatu viſum eſt, aut cuius ſaltem veram rationem non reddidere (*). (2) Si porro fidem ad-

Aegyptios quosdam urbem hanc ſuo ſermone dixiſſe Menf, *unde Graeci* Μέμφιν *fecerint.* Conf. *Maillet*, Deſcription d'Egypte Part. 1 p. 275, Part. II p. 19 edit. in 8vo.

(*n*) Vid. eius *Itiner.* p. 10. Adde eiusd. *Hiſtoire de l'Egliſe d'Alexandrie* p. 23.

(*o*) Vide *Kircheri* Linguam Aegyptiacam reſtitutam p. 207.

(*p*) Vid. *Grotium* in Ieſai. XIX. 13, *Bochartum* Geogr. Sac. Part. 1 Lib. IV. c. 27, *Vitringam* in Ieſaiam, Tom. 1 p. 564, *Hornium* ad *Sulpicium Severum* p. 56, 418, 438.

(*) De nominibus Μέμφις, נֹף, מֹף, comparetur *Iablonskius* tom. 1 Opuſc. p. 137, 150, 179, 180, et quae illic notavi.

adhibemus traditionibus, ab antiquo inde tempore, in hodiernum usque diem, inter Aegyptios receptis, in illo regionis tractu, qui olim complectebatur Memphim, plurima monumenta Iosephi, Aegypti Proregis, et Israëlitarum in Aegypto commorantium, visenda erant quondam, et hodieque visuntur. Sed argumentum hoc peculiari dissertationi reservamus.

§. V.

Dictorum ad praesens institutum applicatio.

Quodsi iam ea, quae in superioribus disputavimus, recte expendantur, consequi mihi quidem videtur, alterutram antiquissimarum harum urbium, aut Heliopolin, aut vero Memphim (*q*), regiam sedem illo tempore fuisse, quo Israëlitae vixerunt in Aegypto. Forsitan caput regni Heliopolis erat, cum Iosephus toti Aegypto praeficeretur, sed quae ipsa praerogativa potuit tempore Mosis transiisse ab Heliopoli in Memphim. Quid vero prohibet dicere, uno eodemque tempore, et Heliopolin, et Memphim, regibus Aegyptiacis domicilium praebuisse? Si enim regibus Persarum, ut veterum (*r*) permulti memoriae prodiderunt, in moribus positum erat, ut ver Susis, aestatem Ecbatanis, hyemem Babylone agerent, quidni idem regibus Aegypti licuit? Ita certe feciisse *Salatin*, primum inter *Pastores*, vulgo sic dictos, regem, testatur *Manetho* apud *Fl. Iosephum* Lib. 1 contra Apionem § 14. Vtram vero urbium harum eligas, sive Heliopo-

(*q*) Ea ipsa fuit sententia *Merceri*. Vide *Hornium* ad *Sulpicium Sev.* p. 56.

(*r*) Vide *Ez. Spanhemii* Obsevat. in *Iuliani* Orat. 1. p. 125, 126.

pólin, ſive Memphim, omnia recte ſe habebunt, neque occurret in hiſtoria Moſaica quidquam, quod non, admiſſa hac hypotheſi, explicari commode et conciliari queat.

§. VI.

De Ramſes et Pithom. Illae in Goſen non fuerunt urbes.

Tranſimus iam ad alias urbes, quarum mentio in hiſtoria commorationis Iſraëlitarum in Aegypto occurrit, *Rameſſen* videlicet et *Pithom*, quas negligere tanto minus convenit, quod, ſi viros quosdam eruditiſſimos audimus, partem Terrae *Goſen* illae fecerint. *Vrbes Rameſſes et Pithom in Goſen fuere*, *Exod.* I. 11, inquit *Camp. Vitringa* (*s*). Nec abludit *Marshamus* (*t*). Sed, quod pace tantorum Virorum dixerim, Rameſſes et Pithom urbes, memoratae Exod. I. 11, ad regionem *Goſen* omnino non pertinuerunt; nihil ſaltem in hiſtoria Moſis deprehendo, quod me, ut ita ſentiam, cogat. Non nego quidem, *Goſen* ipſam (*) vocari ארץ רעמסס *Terram Ramſes* Gen.

(*s*) Geogr. Sac. cap. VIII § 2.
(*t*) Canon. Chron. p. 107—109.

(*) In margine codicis ſui *Iablonskius* haec appoſuit, ſed quo conſilio, non ſignificavit: „ Graecus Textus libri Iudithae cap. I v. 9, καὶ τοῦ ποταμοῦ Αἰγύπτου καὶ Ταφρὰς, καὶ Ῥαμισσῆ, καὶ πᾶσαν γῆν Γοσίμ, v. 10, Ἕως τοῦ ἐλθεῖν ἐπάνω Τάνεως καὶ Μέμφεως, κ. τ. λ. In verſione vulgata, multa hic omittuntur.“ De notatione nominis urbium *Raamſes* ſ. *Ramſes*, *Pithom* et *On* dixi in auctario Gloſſarii, t. I Opuſc. p. 447—449, et in annotatione ad ipſum Gloſſarium p. 184, 185, non immemor eorum, quae h. l. § 6—9 a *Iablonskio* obſervantur, non omnia ea ſatis explorata. Ad initium § VII adſcripſit

Gen. XLVII. 11, in quam cum familia ſua habitatum conceſſit Iacobus Patriarcha. Sed quis dicat, *regionem* illam cum *urbe Rameſſe*, quam diu poſt aedificarunt Iſraëlitae, fuiſſe eamdem? Itaque duae hae Ramſes, vel Rameſſae probe ſunt (*u*) diſtinguendae, ſicut etiam in utroque nomine diverſa adhiberi puncta cernimus. Priori enim nomini, Gen. XLVII. 11, puncta haec addita legimus, רַעְמְסֵס, quando provinciam ſignificat. Poſterius nomen, Exod. I. 11, רַעַמְסֵס punctatum videmus, quando ſermo eſt de urbe, ab Iſraëlitis diu poſt mortem Iacobi et Ioſephi exſtructa. Hoc argumento nihil tamen probari, fruſtra exiſtimat *Chriſt. Mullerus*, contra ea, quae hac et ſequente §§ de Rameſſis duabus diſtinguendis dicuntur, diſputans in Satura Obſervationum p. 188 et 189, cum quia Maſorethae fluctuant in nominibus Aegyptiis exprimendis, tum quia Graeci interpretes hanc permutationis differentiam ignorant. Neque vero ſequitur, poſtremam iſtam urbem, quia ab Iſraëlitis aedificata fuit, ſitam quoque fuiſſe in *Goſen*. Ex illa potius, ut penſa perage-

(*u*) Fecerunt hoc ex veteribus *Kimchi* et *Abenezra* in Gen. XLVII. 11. et Exod. I. 11, quibus adſtipulantur ex recentioribus interpretum doctiſſimi, et *Cellarius* Geograph. Afric. p. 53.

ſcripſit *Iablonskius*: „ *Murtadi*, auctor Muhammedanus Arabs, de admirandis Aegypti p. 110 ait, *urbem Masre* (quae hodie *Cairo* audit) *diſtam quondam fuiſſe Emſos*. Vide et eumdem p. 10, 32. Haec ſententia non magnopere abit ab illa Iudaeorum, de qua ego p. 45 [§ VIII]. Vide et *Vanslebium* ex *Macrizio* in relatione itineris ſui p. 10." Malui hanc et paucas alias animadverſiones, quas Auctor ſuo exemplo Diſſertationum de Goſenitide alleverat, annotationi meae inſerere, quam eas aut prorſus omittere, aut loco alieno, et contra mentem *Iablonskii*, in ipſa oratione ponere.

agerent, per totam Aegyptum Iſraëlitas diſcurriſſe, obſervatur Exod. v. 12. Et urbes illas Rameſſen et Pithom non ſibi erexerunt, ſed Aegyptiorum regibus, Exod. I. 11.

§ VII.

Speciatim de Terra Ramſes, quae fuit ipſa Goſen.

Poſſent haec ſufficere. Sed quia in eo iam ſumus, de omnibus hiſce nominibus agamus nonnihil diſtinctius, eaque explicemus. Forte hinc aliis occaſio praebebitur in rem ulterius inquirendi. Quantum igitur ad ארץ רעמסס *Terram Ramſes* ſpectat, crediderim ego, id nomen Terrae *Goſen*, poſt adventum Iſraëlitarum, ex re ipſa adhaeſiſſe. ⲣⲉⲙⲛϣⲓⲥ Aegyptiace dicuntur *homines vitam paſtoritiam agentes.* ϣⲓⲥ enim, lingua Aegyptiorum, ac ſpeciatim dialecto Thebaidis, dici *paſtorem*, praeſertim *ovium*, etſi vox illa, in monumentis hactenus editis, non occurrat, commodiori loco, in ſequentibus (*) demonſtrabo. Id etiam obſervavit *Ludovicus Picques*, eruditionis exquiſitae fama celeberrimus, in epiſtola ad *B. Iacquelotum*, inſerta *Iordani* relationi de Vita *La Crozii* Part. II p. 297. ⲣⲉⲙ vero eſt ex ⲣⲙⲙⲓ, *homo*, et in compoſitione cum aliis nominibus, ita, ut hic expreſſimus, centies adhibetur. Nemo igitur ſermonis Aegy-

(*) Fidem liberavit *Iablonskius*, non quidem in Diſſertationibus de Goſenitica regione, ſed in Gloſſario v. Ὑκσως, t. I Opuſc. p. 262, 363, ubi notavi. In prima harum diſputationum editione p. 43 et 44 male ⲥⲙϣ legitur pro ϣⲓⲥ. Errorem ſuum vidit et ipſe correxit Vir Cl. in literis ad *La Crozium*. Vide Theſaurum Epiſtolicum tom. I p. 206, 207.

Aegyptiaci gnarus dubitabit, quin ⲣⲉⲙⲛⲩⲙⲓⲥ ſint *homines vitae paſtoralis.* Ab his, Iſraëlitis nempe, *Goſen* dicta eſt גשם, quaſi dicas, *regionem Paſtorum*, ſicut ἀπὸ τῶν βουκόλων, *bubulcis*, qui in paluſtribus Aegypti habitabant, et ex latrocinio vivebant, aliam Aegypti regionem, Βουκολίαν dictam fuiſſe (*v*), ſcriptores memoriae prodiderunt. Huic argumento preſſius inſiſtendum. Magna enim inter hos et Iſraëlitas eſt convenientia. Vide inprimis *Strabonem* Lib. XVII p. 545 [1142]. Illorum videtur fuiſſe poſſeſſio *Racotis*, quae poſtea *Alexandria* dicta. Conf. *Strabo* l. c. et p. 552 [1161]. Hinc *Stephanus Byzantius*, Ἡρακλεοβουκόλοι, Αἰγυπτιακὴ συνοικία.

§ VIII.

De urbe Rameſſe, quam putamus eſſe Heliopolin.

A regione *Ramſes* utique diverſa fuit urbs רעמסס, quam LXX interpretes vertunt Ῥαμεσσῆ, quamque ab Iſraëlitis aut aedificatam, aut certe ornatam, Moſes memorat, Exod. I. 11 (*w*). Illam autem urbem aliam,

(*v*) Vide *Heliodori* Aethiopica Lib. I. p. 11 ed. Bourdel., *Strabonis* Lib. XVII p. 545 [1142], *Capitolinum* in vita M. Antonini Philoſ. Cap. 21, et adde ibi notas *Caſauboni*. Poterit ex locis hiſce citatis corrigi et ſuppleri *Cellarii* Geographia Africae p. 20. Confer praeterea notas *Valeſii* ad *Euſebium* Lib. VII Hiſt. Eccleſ. cap. XI p. 132, *Renaudotum* Hiſt. Patriarch. Alexandr. p. 59, et ante omnes *Gaulminium* in Vitam Moſis, p. 147, 148 edit. Fabricii.

(*w*) Obſerva in textu Hebraico eſſe, *aedificavit — Pithom et Raamſes.* Graecus vero habet, ᾠκοδόμησαν — τὴν τε Πειθὼ, καὶ Ῥαμεσσῆ, καὶ Ὼν, ἥ ἐστιν Ἡλίου πόλις. Coptus haec fideliter ita reddidit, ⲁⲩⲥⲱⲧⲙ — ⲡⲉⲑⲱⲙ ⲛⲉⲙ ⲣⲁⲙⲁⲥⲥⲏ ⲛⲉⲙ ⲱⲛ ⲉⲧⲉⲑ ⲃⲁⲕⲥ ⲙ̀ⲫⲣⲏ ⲧⲉ.

aliam, quam Heliopolin, non fuiſſe, mihi quidem certum eſt. Primum et antiquiſſimum urbis illius nomen videtur fuiſſe אֹן, ſic enim appellatur Geneſ. XLI. 45, 50, XLVI. 50. Interpretes Aegyptiaci, ſermone ſuo, quod iam monui, nomen illud exprimunt ⲰⲚ, quod contractum crediderim ex ⲞⲨⲈⲒⲚ ſive ⲞⲨⲞⲈⲒⲚ (*x*). Ita dialecto Thebaidis, vocatur *lux*. Adeoque proprie accipiendum non eſt, quod *Cyrillus Alexandrinus*, ut me aliquando monuit Celeberrimus *La Crozius*, alicubi (*) ſcriptum reliquit, *On* Aegyptiis dici *Solem*. Si *Lucem* metonymice *Solem* appelles, verum eſt; ſed *On*, uti ego exiſtimo, proprie *lucem* deſignat. Succeſſit huic antiquiſſimo urbis illius nomini, niſi me opinio fallit, nomen רַעַמְסֵס, Ῥαμεσσῆ, quod, ſi Aegyptiacum ſermonem in conſilium adhibeas, *ager Solis* ſonabit. ⲢⲀ Aegyptiis dici *Solem*, hodie ignotum non eſt, et huic urbem illam, uti et Praefecturam totam, ab Aegyptiis

(*x*) Obſerva, in hac voce ⲞⲨⲞⲈⲒⲚ primam ſyllabam ⲞⲨ, quae nominibus praeponi ſolet, generis et maſculini et foeminini, ceu nota generis indefiniti, ſine dubio cum radice ipſa coaluiſſe, quale quid in permultis aliis vocabulis Aegyptiacis uſu venire, certiſſimum eſt. ⲞⲈⲒⲚ igitur eſt ipſa radix, *lucem* ſignificans, ex qua facile potuit contrahi ⲰⲚ. Sed ſine dubio intelligendus *Sol*, ut Iobi cap. XXXI. 26, per אוֹר *lucem* omnes interpretes intelligunt *Solem*. Vide *Voſſium* de Orig. Idolol. Lib. II c. 3 p. 161 ſqq.

(*) Locum *Cyrilli*, quem fruſtra a ſe quaeſitum *Iablonskius* teſtatur in Gloſſario, indicavi tom. I Opuſcul. p. 184.

ptiis conſecratam fuiſſe, vel ipſum Graecum nomen Ἡλιούπολις ſatis teſtatur. ⲣⲁⲙⲥⲏⲥ, ſi analogiae rationem habeamus, antiquitus videtur Aegyptiis *agrum* ſignificaſſe; certe derivatum ex hoc ipſo vocabulo, ⲣⲁⲙⲥⲏⲥⲧⲏⲥ, idem prorſus ſignificans, in verſione Bibliorum Aegyptiaca, ſaepiuscule legitur. Eſt igitur ⲡⲣⲁⲙⲥⲏⲥ, Ῥαμεσσῆ, *ager* (*y*) Deo *Soli* ſacratus; uti regiones Aegypti cunctae, atque urbes praeſtantiores, Deo cuipiam nuncupatae erant. Itaque Hebraei, vim vocabuli Aegyptiaci expreſſuri, urbem illam accurate (*z*) appellant בֵּית שֶׁמֶשׁ *Domum Solis*, Ierem. XLIII. 13, uti Graeci conſtanter Ἡλιούπολιν. Eamdem, quam nunc protuli de Ῥαμεσσῆ ſententiam, foviſſe olim alios etiam Iudaeos, colligo ex *Beniamine Tudelenſi*, qui in *Itinerar.* p. 213 commemorat, ſe in Aegypto *perveniſſe ad* עֵין אֵלְשֶׁמֶשׁ *fontem ſolis, quae eadem ſit Rameſes, iam devaſtata* (*a*). Quod nunc ex ipſa ſignificatione nominis Aegyptiaci confirmatum vidimus. Addere his non inutile erit; memoriam huius

(*y*) *Ager* hic ſignificat certum aliquem *Terrae Tractum*, ut Pſ. LXXVIII. 12, Gen. XXXII. 3, XXXVI. 35, Num. XXI. 20, aut etiam *urbem* ipſam. Appoſite apud *Ariſtophanem* in Pluto p. 79. edit. Genev. [v. 772], Plutus, poſtquam viſum recuperaverit, ſalutans, primo ſolem, deinde Athenas, ubi ſalus ipſi contigerat, ait: ἔπειτα σεμνῆς Παλλάδος κλεινὸν πέδον· *deinde venerandae Palladis inclytum ſolum. Horatius* id dixit *intactae Palladis urbem*, Carm. Lib. I. Od. VII. *Ariſtophani* igitur Παλλάδος πέδον idem eſt, quod Παλλάδος πόλις. Atque ſic ex *Ariſtophane* verba haec citat *Stephanus Byzantius* in voce Ἀθῆναι. Ἔπειτα σεμνῆς Παλλάδος κλεινὴν πόλιν.

(*z*) Vide hic la Bibliotheque Germanique Tom. XXXVII p. 200.

(*a*) Vide et *Herbeloti* Biblioth. Orient. artic. *Ain al Schams* p. 79. b.

huius rei ipſis quoque Aegyptiorum traditionibus conſervatam et propagatam fuiſſe. *Theodotus* enim et *Artapanus*, ſcriptores Graeci, qui de rebus Iſraëlitarum, deque eorum in Aegypto geſtis ſigillatim, multa memoriae prodiderunt, in quibus falſa veris, ex Aegyptiorum traditionibus, admiſcuerunt, conditae aut exornatae ab Iſraëlitis Heliopoleos mentionem quoque faciunt. *Theodoti* verba, ab *Euſebio* (*b*) ſervata, haec ſunt: Τούτους δέ φησι καὶ τὸ ἐν Ἄθως καὶ τὸ ἐν Ἡλιουπόλει ἱερὸν κατασκευάσαι· *Hos* (Abrahamidas et Iſraëlitas) *ait auctor ille, et templum in Athos* (Pithom) *et in Heliopoli conſtruxiſſe. Artapani* vero haec verba idem *Euſebius* retulit (*c*): Τοῦτον δὲ τοῖς Ἰουδαίοις φαύλως προσφέρεσθαι· καὶ πρῶτον μὲν τὴν Κεσσὰν οἰκοδομῆσαι, τό τε ἐπ' αὐτῇ ἱερὸν καθιδρύσασθαι, εἶτα τὸν ἐν Ἡλιουπόλει ναὸν κατασκευάσαι· *Hunc* (regem Palmanothem) *iniquum ſe praebuiſſe in Iudaeos, et primo quidem Keſſam* (Goſen) *aedificaſſe, et templum in ea condidiſſe, mox vero templum Heliopoli perfeciſſe.* Penſitandum erit, an eo pertineat, quod *Plinius* obſervat Lib. VI c. 29, *Solis quoque oppidum, quod non procul Memphi, in Aegypti ſitu*, ſive, *in Aegypto ſitum, diximus, Arabes conditores habere.* Ego tamen putem, id accipiendum eſſe de Arabibus, qui Abrahami iam tempore Aegypti domini erant, et tum quidem *Tanin* regni ſedem conſtituerant. Poſtea videntur eorum nati *Heliopolin* condidiſſe. Idem ante me alii dudum obſervarunt. Quamobrem minus neceſſe eſt, ut plura hoc loco addantur.

§ IX.

(*b*) Praepar. Evang. Lib. IX p. 251 edit. Graec. R. Steph. (*).

(*c*) Loc. cit. p. 252. [cap. 27 p. 431].

(*) Non ea ſunt verba *Theodoti*, ſed *Artapani*, apud *Euſebium* IX P. E. cap. 23 p. 430.

§ IX.

Occurritur obiectioni.

Nec vero excipere hic licebit, Heliopolin ab Iſraëlitis, diu poſt mortem Ioſephi, condi minime potuiſſe, quae iam Ioſephi tempore illuſtris erat. Etenim Moſes non narrat, Iſraëlitas tum demum urbes has condidiſſe, ſed potius hunc in modum ornaſſe et aptaſſe, ut eſſent ערי מסכנות Exod. I. 11, πόλεις ὀχυραὶ, uti habet verſio τῶν LXX, i. e., ut ego exiſtimo, *urbes aggeribus munitae*, adverſus impetus Nili, in Aegyptum ſe effundentis, ut, ſic in tuto collocatae, eſſe poſſent horrea et granaria regum Aegypti. Huiusmodi praeſidiis plurimas Aegypti urbes, quae alluvioni fluminis expoſitae erant maxime, inſtructas fuiſſe, et veterum teſtimoniis conſtat, et hodieque cernitur. Vide *Diodorum Siculum* Lib. I p. 52 [cap. 57]. Seſoſtri et Sabaconi haec opera tribuit *Herodotus* Lib. II cap. 137. De Heliopoli autem id ſigillatim obſervare operae pretium duxit *Strabo*, auctor accuratiſſimus, ita ſcribens (*d*): Ἐνταῦθα δ' ἐστὶν Ἡλίου πόλις, ἐπὶ χώματος ἀξιολόγου κειμένη, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τοῦ ἡλίου· *Ibi eſt Solis urbs* (Heliopolis) *aggeri magno et praeſtanti impoſita, quae templum ſolis habet.*

§ X.

Concluſio.

In *Pithom* urbe a Moſe pariter memorata, minor etiamnum difficultas occurrit, ſiquidem illam ad mare rubrum poſitam fuiſſe, et ipſius Moſis, et ſcriptorum quoque Graecorum teſtimoniis probari poteſt. Verum quia iſta iam nimium excrevit Diſſertatio, de Pithom plura dicemus, ubi in viam, quam in exitu ex Aegypto Iſraëlitae tenuerunt, inquiremus.

DIS-

(*d*) Geogr. Lib. XVII p. 553 [1158].

DISSERTATIO V,

QVAE

EST DE VERO EIVS SITV TERTIA.

§ I.

Quae ſupra de Memphi dicta erant, confirmantur.

Tranſeundem nunc eſſet ad indicia illa, in hiſtoria Moſis obvia, ex quibus verum ſitum et limites Terrae *Goſen* erui poſſe putamus. Ante tamen, quam id fiat, operae pretium duxi, Lectorem monere, me, poſtquam ea, quae de Memphi, diſſertatione ſuperiori ediſſerui, et ſcripta et typothetae commiſſa iam eſſent, beneficio doctiſſimi cuiusdam amici, cui plurimum debeo, incidiſſe in Epiſtolas *Sicardi*, Ieſuitae et Miſſionarii in Aegypto, ubi diu vixit, et haud ita pridem diem ſuum obiit, quem ſola lectio hiſtoriae Sacrae in eamdem perpulit ſententiam, quam diſſertatione memorata expoſui. Nam et is ita cenſet, Memphim eo tempore, quo Iſraëlitae in Aegypto peregrinati ſunt, regni illius caput et Metropolin fuiſſe, idque rationibus penſitatu dignis confirmat. Verba eius, quia ad inſtitutum noſtrum magnopere faciunt, adſcribere abs re non fuerit. Ita autem ex Gallico ſermone converſa ſo-

ſonant (*a*): *In eâ ſum ſententia, Pharaonem illum, Aegypti regem, quo regnante Iſraëlitae ex Aegypto exierunt, duce Moſe, ſedem ſuam habuiſſe Memphi. In textu certe Sacro conceptis verbis legimus, Moſen adhuc in cunis vagientem* (*b*) *Nili fluentis eo ipſo loco expoſitum fuiſſe* (*c*), *ubi regis filia deambulare, et corpus abluere aqua conſueverat, cura etiam virginis illius regiae nutritum, poſtea et educatum fuiſſe. Liquido hinc apparere arbitror, quod locus nativitatis Moſis, a ſede regum Aegypti non ita procul remotus, quodque regia illa Aegypti, ad littus Nili fluminis poſita fuerit. Duo haec criteria, non Tani, non aliis urbibus, quae diverſis aetatibus domicilia regum Aegypti fuere, ſed ſoli Memphi conveniunt. Suppono, Heliopolin, quam hodie Matàream vocant, quaeque propinqua eſt et Cahirae et vico Gizé, urbem illam eſſe, in qua lucem vidit Moſes.* Apion *certe, teſte* (*d*) Ioſepho, *aſſeverat, hanc fuiſſe Aegyptiorum opinionem et traditionem antiquiſſimam. Memphim vero* Herodotus, Antoninus, Strabo, Plinius, Diodorus, *et in univerſum omnes, ad littus Nili Occidentalis, e regione Babylonis, quae Nilo a latere Orientali adiacet, collocant.* (*e*) Strabo *adhaec Pyramides quadraginta ſtadiis a Memphi abfuiſſe teſtatur; ſi* (*f*) Plinium *audimus, inter Memphim et Pyramides nonniſi paſſuum* VI *millia intererant.* (*g*) Diodorus re-

(*a*) Lettre ſur le Paſſage des Iſraëlites à travers la mer rouge, dans les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. VI pag. 3 & ſuiv.
(*b*) Exod. II. 3.
(*c*) Ibid. v. 5.
(*d*) Lib. II adverſus Apion. §. 2. edit. noviſſ.
(*e*) Lib. XVII p. 555.
(*f*) Lib. XXXVI c. 12.
(*g*) Lib. I p. 31.

refert, Memphim paulo ſupra Delta ſitam eſſe. Strabo *diſtantiam exprimit, quae fuit* (*h*) *trium Shoenorum. Addit idem auctor* (*i*), *Memphim ab Occidente Nili poſitam, e regione Babylonis eſſe.* Stephanus Byzantius, *ubi de Latopoli loquitur, ait, eam fuiſſe ſuburbium aliquod Mempheos, quod prope contigerit Pyramides. Ex omnibus hiſce ſecum invicem collatis, ſequitur neceſſario, Memphim illic fuiſſe, ubi hodie vicus Gizé conſpicitur, Babylonem vero eo loco, ubi hodie Cahira vetus: utramque ad ripas Nili, Memphim ab Occidente, Babylonem ab Oriente.* Idem auctor ille deinceps probat, ex miraculo in locuſtis edito, quas ventus Occidentalis in ſinum Maris Arabici proiecit, uti nec minus ex via, quam Iſraëlitae, ex Aegypto egredientes, ſervarunt; ſed quae nunc omitto, quia de illis plura dicendi infra locus commodior ſeſe offeret.

§ II.

Tranſitur ad argumenta, quae petuntur ex Terra Goſen.

Sed ut iam ad ipſum ſitum Terrae *Goſen*, ex hiſtoria Moſaica indagandum, et ſuis quaſi limitibus circumſcribendum, accedamus, argumenta pro ſententia noſtra ſtabilienda, pauca quidem, ſed facis, ut opinor, evidentia, depromemus 1) ex conſilio Dei, volentis, ut Iſraëlitae in Aegypto a reliquis regni illius incolis ſeorſim habitarent. 2) Ex miraculo locuſtarum, quas ventus auſtralis incredibili copia in Aegyptum advexit, ven-

(*h*) Loc. cit. Tres autem Schoeni 7 circiter Leucas Gallicas conficiunt.

(*i*) Ibidem.

ventus vero occidentalis in mare rubrum deturbavit. 3) Ex via, qua Deus Iſraëlitas ex Aegypto per mare rubrum proficiſci voluit. Quae omnia, ſi ſeria aeſtimatione penſitemus, egregie confirmabunt, quod hactenus adſtruere conati ſumus, *Goſen* nonniſi in tractu Heracleotico Aegypti ſuperioris tuto quaeri poſſe.

§. III.

Primum argumentum a conſilio Dei, Iſraëlitas in Aegyptum introducentis, quod exponitur.

Quodſi iam *primo* ad conſilium Dei, qui populum Iſraëliticum peregrinantem in Aegypto, uno aliquo regni illius angulo, Terra nempe *Goſen*, incluſos vivere voluit, cogitationes confero, videtur illi tractus eius regionis, quae veteribus Heracleotica, vel Heracleopolis audit, hodie Fioum, quam optime reſpondere. Voluit namque Deus, ut Iſraëlitae, non inter Aegyptios diſperſi, ſed inter ſe coniuncti, in loco aliquo, a communione cum ceteris Aegyptiis ſepoſito, ſeorſim habitarent, ne forſitan Aegyptiis permixti, illorum indolem paulatim adſciſcerent, ac vitia imbiberent, ſicque a moribus, inſtitutis, et religione Patrum ſuorum degenerarent. Hanc fuiſſe cauſam, ob quam Ioſephus Patriarcha optaverit, ut gens Iacobidarum, in *Goſen* potius, quam in alia Aegypti Provincia, domicilium figeret, non obſcure in textu S. indicatur. Namque Geneſ. XLVI. 33, 34, ita Ioſephum audimus loquentem: *Erit autem, cum vos vocaverit Pharao, et dixerit: quaenam veſtra ſunt opera? tunc dicetis, homines pecuarii fuerunt ſervi tui, ab adoleſcentia noſtra, tum nos, tum Majores noſtri; ut habitetis in Terra Goſchen, quia abominationi eſt Aegypto paſtor gregis.* Quia nempe Iſraëlitae Aegyptiis futuri erant abominationi, conveniens utique erat, ut diſiuncto a

commercio Aegyptiorum loco vitam agerent. Reſpexiſſe eo videtur ipſe *Celſus* Philoſophus, quando, ut (*k*) alio loco iam obſervavimus, Iudaeis obiecit, *ipſos ſeorſim, advenarum inſtar, habitare, et in locis vilioribus pecora paſcere iuſſos fuiſſe.* Inter Iudaeorum magiſtros id ipſum videmus obſervaſſe *R. Levi*, qui quatuor afferens rationes, quare Ioſephus fratribus ſuis habitandam ſelegerit atque conceſſerit Terram *Goſen*, hanc reliquis addere non dubitavit (*l*): *Quia periculum erat, ſi ſparſim habitaſſent inter Aegyptios; ne ipſorum mores corrumperentur.* Agnoſcit idem *Marshamus*, etſi argumento hoc minus feliciter, ad probandam ſententiam ſuam, uſus ſit (*m*): *Eo*, inquit, *conſilio Iſraëlitae, in extremis Aegypti finibus, a Patriarcha collocati videntur, ut illi, cum eſſent paſtores, et extranei, ab Aegyptiis ſemoti, non* (*n*) *minus deteſtabiles eſſent, quam ſi in eorum medio verſarentur; ſed etiam, ut, tum habitatione, tum moribus ſegregati, in cultu veri Dei, conſtanter perſeverarent.* Eamdem rationem amplectitur nobisque ſuggerit *C. Vitringa* (*o*) ut ne plures alios commemorem.

§ IV.

Argumentum ex eo deſumtum proponitur.

Quodſi autem illam virorum doctorum obſervationem admittimus et probamus, uti profecto ipſo Scripturae teſtimonio haud mediocriter confirmatur, non pu-

(*k*) Diſſert. III § IV.
(*l*) Vide *Druſii* notas major. in Geneſ. XLVI. 34.
(*m*) Canone Chron. p. 90.
(*n*) Ita lego in editione Franequer., qua utor, ſed videtur excidiſſe vocula *modo*. Eam certe ſenſus poſtulat.
(*o*) Geograph. Sac. cap. VIII § 2.

puto, oſtendi poſſe aliquam Aegypti regionem, quae, ad exequendum in Aegypto hoc Dei conſilium, tam opportuna fuerit et idonea, quam Provincia Heracleotica. Audiamus, quae de illa refert (p) *Paulus Lucas*, partim a ſe viſa, partim ex ſcriptoribus Arabicis hauſta: *Fioum regio eſt plana, ab omni parte, aut montibus, aut deſertis arenoſis circumvallata. Campi, quos Nilus prope contingit, cum agris Fioumi non cohaerent, niſi intervenientibus montium faucibus, quas incolae dicunt arte factas eſſe. Hiſtorici Arabum memoriae prodiderunt, Fioum regionem eo modo ſeparatam eſſe ab Aegypto, quo Aegyptus a reliquo terrarum orbe diviſus eſt, deſertis aut mari, quae ipſam totam circumcingunt* (q). *Aſſeverant etiam, Aegypto ab Arabibus iam devicta et occupata, Provinciam Fioum ipſis per integrum biennium manſiſſe prorſus incognitam.* Alia, quae ibidem ſequuntur, nunc brevitatis ſtudio praetermitto. Rem hanc tangit etiam *Wilhelmus Tyrius*, etſi paucis (r): *Eſt tamen quaedam alia regio, ad eandem pertinens Aegyptum, a Cahere diſtans itinere unius diei per terram inhabitabilem .... Hanc Aegyptii lingua ſua appellant Phium.* In ſequentibus pariter ſolitudinum et deſertorum, quae Provinciam hanc ambiunt, meminit. Sed haec ſufficere puto, utpote quibus ea, quae de poſitione Nomi Heracleopolitici dixeram, abunde confirmantur.

§ V.

(p) In deſcriptione itineris ſecundi in Orientem Gallica Part. II cap. VI p. 40, 41.

(q) Idem ex ſcriptoribus Arabicis obſervat *Herbelotus* in Biblioth. Oriental. artic. *Fioum* p. 350. Vide et *Murtadium* de Admirandis Aegypti p. 209.

(r) In Geſtis Dei per Francos Tom. I p. 969.

§ V.

Secundum argumentum ex miraculo Dei in locuſtis edito, ubi miraculum ipſum excutitur.

Aliud idque iam *ſecundum argumentum*, quo noſtram de ſitu Terrae *Goſen* ſententiam communimus, capere licet ex plaga octava, Aegyptiis eum in finem a Deo immiſſa, ut Iſraëlitae, tetra, qua preſſi erant, ſervitute liberati, ſecuri ex Aegypto egredi poſſent, Exod. IX. 1—20. Refert enim Scriptor Sacer vſ. 3, רוח קדים, proprie (*s*) *Eurum*, ſeu ventum flantem ab Oriente, iubente Deo, horrendam locuſtarum copiam, quae omnes agrorum herbas, omnes arborum et fructus et frondes demeſſuerint, in Aegyptum intuliſſe. Ubi illud uno verbo monemus, LXX interpretes, qui h. l. רוח קדים verterunt ἄνεμον νότον, *Auſtrum*, ventum ex meridie impulſum, culpandos haudquaquam eſſe. Etſi enim ventus רוח קדים proprie ſit *ventus Orientalis*, ſive *Eurus*, ponitur tamen etiam ſaepe pro *vento urente*, ſive *Auſtro*, et in genere etiam pro quocunque vento vehementiore, quemadmodum *Bochartus* (*t*) et *Clericus* (*u*) ſatis probarunt. Et *Auſtrum* quidem hic a Moſe intelligi, ex eo perſpicuum eſſe, *Bochartus* oſtendit, quod Aethiopia, regio me-

(*s*) Apud Calmuckos ipſe ille ventus locuſtas adducere communiter ſolet. Vide *Petri à Haven* Itinerarium Ruſſicum p. 186.

(*t*) Hierozoic. Part. II col. 101—103, 106, et 463.

(*u*) Diſſertat. de Maris Idumaei traiectione, quae ſubnexa eſt Commentario in Pentateuchum, § V p. 616, 617. Idem tamen vir eruditus, in notis ad Exod. x. 13, illo loco intelligi vult *ventum Orientalem*. Nos rem hanc ſuo loco relinquimus.

meridionalis, locuſtarum feraciſſima ſit, ex qua ventus eas in Aegyptum protruſerit. Cum igitur ventus ille ex Aethiopia in Aegyptum feratur, ſintque in Aethiopia fere continuo innumerabiles locuſtarum greges, optime et commodiſſime a Moſe dici potuit, Auſtrum illum urentem locuſtas in Aegyptum detuliſſe. Addit vero hiſtoriae S. Scriptor vſ. 19, Deum precibus Moſis annuentem, ut calamitati huic Aegyptiorum modum poneret, immiſiſſe רוּחַ יָם, *ventum maris*, qui locuſtas omnes coniecerit יַמָּה סוּף *in mare algoſum*, vel *iunceum*, i. e. ſinum Arabicum, qui vulgo nomine *Maris rubri* deſignari conſuevit. *Vento maris* ſignificari *Favonium*, ſeu *ventum Occidentalem*, flantem ab Occidente, cenſent probatiſſimi quique interpretes, quibus ex Hebraeorum gente praeiverunt ad h. l. *Onkelos*, *Ionathan*, *Abenezra*, aliique. *Vulgatus interpres* vertit, *Flare fecit ventum ab Occidente*. Sic etiam *Tremellius*, *Lutherus*, Verſiones *Anglica*, *Gallica* et longe plurimae, idque a doctiſſimis commentatoribus, adductis in medium rationibus, adſtruitur et confirmatur. Hic vero obiiciat quis poſt *Iſaacum Voſſium* (*v*), *Quomodo ventus ab occaſu, qui locuſtas in ſinum Arabicum, aut mare rubrum repulit, a mari potuit oriri, cum Aegyptus ab occaſu nullum habeat mare*? Et profecto mare magnum, Mediterraneum, Aegypto a Septentrione obverſum eſſe omnes norunt, quare ventus is, qui a mari adflavit Aegypto, alius quam Boreas eſſe omnino non potuit. Verum hic non adeo ad rem ipſam, quam ad uſum et indolem ſermonis Hebraici attendendum nobis eſt. Hebraei ventum illum, quia a mari mediterraneo in Palaeſtinam torquetur et impellitur, hac de cauſa *ventum*

(*v*) De Translatione LXX interpretum cap. XIV p. 44. Rationem hanc probat *Clericus* Commentar. in Exod. X. 19.

tum maris appellant, ut prolixe *Abenezra* (*w*) explicat. Is vero eſt Favonius, vel ventus occidentalis. Eſt idem ille ventus, qui hodieque Abyſſinios liberat a locuſtis, et has in mare rubrum coniicit. Vide le Voiage du *P. Lobo* p. 102. Non poenitebit verba *Bocharti* (*x*) etiam hic legere: *Ventum occidentalem Hebraei vocant* רוח ים, *ventum maris, quia mare habent ad occaſum. Et illo vento, magna vi flante, in mare rubrum proiectae ſunt locuſtae omnes, ne una quidem relicta in cunctis Aegypti finibus. Cum enim ad Orientem Aegypti ſit mare rubrum, has occidentali vento eo propelli oportuit.* Ad obiectiones alias, ab *Harenbergio* motas, reſpondet *Iac. Kochius*, beleuchteten Hiob Part. II p. 406.

§ VI.

Illi miraculo argumentum ſuperſtruitur.

Poſtrema haec *Bocharti* verba argumentum, quo nunc ſitum Terrae *Goſen* a me ſubindicatum adſtruere laboro, lectori Geographiae perito, et naris non obeſae, per ſe iam ſuppeditant. Si enim haec, quae diſputavimus, admittantur, uti ab omnibus Scripturae interpretibus, quos, dum haec ſcripſi, conſulere potui, admittuntur, fieri non poteſt, quin Moſes, nomine et virtute Dei, miraculum hocce edens, extiterit in Aegypto ſuperiori. Soli enim huic parti Aegypti, verſus Orientem, obiectum eſt mare, quod vocatur rubrum. Si regiam Aegypti, et Moſen cum Aaro-

(*w*) In Exod. x. 19. Confer *Cartwrighti*, et *Druſii* notas in eumdem locum. Adde *Bochartum* Hieroz. Part. II col. 463.

(*x*) Hierozoic. l. c.

Aarone coram rege cauſam populi Iſraëlitici tuentem, in Aegypto inferiori tibi fingas, eo ipſo mare rubrum concipiendum erit ſitum verſus Meridiem, ventusque ille, qui locuſtarum agmen in mare hoc proiecit, nullus alius, quam Boreas cogitari poterit, quod tamen, uti *Druſius* (y) adverſus *Steuchum Eugubinum* recte monuit, cum verbis textus aperte pugnat. Non diſſimulabo, *Petrum Vallenſem* iam pridem, dum diverſas Aegypti regiones oculis ſuis contemplaretur, in easdem cogitationes incidiſſe. Sed praeſtat eius verba, ex Germanico translata, apponere (z): *S. Scriptura liquido teſtatur, Iſraëlitas in Aegypto ſuperiori domicilium habuiſſe, et ex hoc tractu verſus mare rubrum iter inſtituiſſe. Ubi enim plagas, quibus, tempore Pharaonis, Aegyptii percuſſi ſunt, commemorat, diſertis verbis refert, Deum precibus Moſis permotum, ventum occidentalem vehementiſſimum excitaſſe, qui locuſtas omnes in mare rubrum demerſerit, quod indicio eſt, mare illud, uti nec minus habitacula Iſraëlitarum, et palatium Pharaonis, quod ultricem Dei manum fuerat expertum, ad Orientem ſpectaſſe. Quodſi autem Iſraëlitae Aegyptum inferiorem incoluiſſent, quibus mare rubrum a meridie oppoſitum fuiſſet, ventus occidentalis utique ſtragem illam locuſtarum edere non potuiſſet.* Nolo praetermittere iudicium, quod in hac cauſa tulit *Sicardus* Ieſuita, quem conſtat Aegyptum totam ſaepius emetitum eſſe, ac ſpeciatim oram maris rubri magna cura ſollicite indagaſſe, ut ſedem Iſraëlitarum in Aegypto, eorumque ex Aegypto exitum, tanto certius indicare et definire poſſet. Is igitur, poſtquam miraculum Divinum in locu-

(y) In notis ad Exod. x. 13.
(z) Itinerar. Part. I p. 114, vel p. 153, 154 ed. Gall. in 4to.

locuſtis editum recitaſſet, ita pergit (*a*): *Quis eſt, qui eventum miraculi huius cum ſitu Taneos, ſi illa fuit Aegyptiorum regia, bene conciliaverit? Tanis enim mari rubro obverſatur ad ſeptentrionem, et a mari hoc diſtat triginta circiter leucis Gallicis. Si Tanis fuiſſet domicilium Pharaonis, ſequi videtur, locuſtas potius in mare mediterraneum, quippe quod a Tani ſex tantum aut ſeptem leucis abeſt, devehendas fuiſſe.*

§ VII.

Tertium argumentum ex via, quam tenuerunt Iſraëlitae ex Aegypto diſcedentes.

Pergimus ad *tertium argumentum*, ex quo ſitum illum Terrae *Goſen*, quem adſtruimus, confirmari poſſe, non immerito auguramur. Et hoc quidem deſumimus ex via illa, quam Iſraëlitae, ex Aegypto exeuntes, tenuiſſe in hiſtoria Sacra feruntur. Non ignoro, diverſas extare de hoc Iſraëlitarum ex Aegypto itinere ſententias, quas omnes, ſi paulo attentius excutere vellem, non diſſertationem, ſed commentarium ſcribere me oporteret. Mihi quidem *Sicardus*, Miſſionarius ordinis Ieſuitici, qui, in illuſtrando hocce argumento, operam poſuit ſummopere laudandam, qui in ipſa Aegypto veſtigia Iſraëlitarum, per deſertum ad Mare Rubrum contendentium, preſſo pede legit, et ordine diligenterque deſcripſit, in Epiſtola (*b*) *de Tranſitu Iſraëlitarum per mare rubrum*, pleniſſime ſatisfeciſſe, et rem extra dubitationis aleam collocaſſe vi-

(*a*) Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. VI p. 7.
(*b*) Dans les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. VI init.

videtur. Oſtendit (*c*) ille argumentis, quibus nihil opponi poſſe exiſtimo, exitum Iſraëlitarum ex Aegypto non alio niſi hoc modo concipi poſſe, eos ex campo aliquo, e regione Mempheos ad latus Nili Orientale, adeoque in Aegypto ſuperiori prope Heracleopolin ſito, profectos eſſe, et per duplex idque continuum iugum montium, intermedios inceſſiſſe, atque ſic poſt iter trium dierum ad maris rubri littus appuliſſe. Ego, antequam in Epiſtolam eruditi illius Ieſuitae incidiſſem, tale Iſraëlitarum iter, tales eorumdem in via ſtationes, mente mea finxeram, neque etiam aliud hypotheſis mea, ſaepe declarata, patitur. At nunc lecta illa Epiſtola, viſa etiam Chorographia, quam a ſe in ipſis locis confectam Epiſtolae ſuae *Sicardus* adiecit, ſic in illa ſententia confirmatus ſum, ut etiam dubium penitus omne una ſublatum ſit. Illuc igitur Lectorem remitto. De eadem illa via, quam tenuerunt Iſraëlitae, ex Aegypto abeuntes, conſulendus omnino eſt *B. Vignolius* in Chronologia Sacra Vol. I p. 620 ac ſqq., ubi eamdem ſententiam, quam hic ex *Sicardo* adſtruxi, pluribus illuſtrat. Utriusque opinionem ſatis prolixe oppugnat *Iacobus Koch*, eique aliam opponit, in Beleuchteten Hiob p. 535—541; ſed cum illo conferantur obſervationes *Sicardi* et *Vignolii*. Ne tamen a tam nobili argumento plane diſcedam ἀσύμβολος, pauca quaedam veluti in tranſitu monebo 1) de loco, unde profecti ſunt Iſraëlitae. 2) De profectione ipſa, et de itinere, quod proſecuti ſunt. 3) De termino itineris.

§ VIII.

(*c*) Non aliter iudicat *Petrus Vallenſis*, poſtquam et ipſa loca illa oculis ſuis contemplatus fuiſſet. Vide ejus Itinerar. Part. I p. 114. Ita etiam iudicat *Perizonius* Orig. Aegypt. cap. XX p. 356, qui tamen Goſen et Tanim exiſtimat vicinam, cap. XIX p. 350.

§ VIII.

Locus, unde Iſraëlitae profecti ſunt.

Locum, unde Iſraëlitae profecti, iterque ſuum auſpicati ſunt, Scriptor Sacer expreſſo nomine indicavit, Exod. XII. 37, *Profecti ſunt Iſraëlitae de Rameſſe*, vel *Rhamſes*. Ita et Numer. XXXIII. 3. In Hebraico eſt מִרַעְמְסֵס, ex quo intelligi poteſt, ſermonem hic eſſe, non de urbe ab Iſraëlitis exſtructa, Exod. I. 11, ſed de Terra, Iacobo et Familiae eius conceſſa ad habitandum, Geneſ. XLVII. 11. *Rich. Pococke*, Obſervations on Egypt, Lib. III c. IV p. 155, ita ſcribit: *The Iſraëlites might go north, leaving the land of Rameſes; for I rather ſuppoſe it to be a Country, than any particular Town; and it ſeems to be the Country about Heliopolis, now call'd Matarea.* Plerique interpretes hic de urbe Rameſſe cogitant. Ipſe *Sicardus* (*d*) *Rameſſen* hodie *Beſſatin* cognominari putat. Sed ſimplicius longe et textui Sacro convenientius eſt, ut per *Ramſes* intelligamus Terram *Goſen*, *regionem Paſtorum* (*e*), quae ſe ad Memphim usque et Heliopolin extendebat, quam hactenus Iſraëlitae inhabitaverant, quamque nunc tandem relinquebant. Equidem non illibenter *Sicardo* conceſſerim, Iſraëlitas in illa planitie, quae eſt e regione Mempheos, quamque prope vicum, hodie *Beſſatin* dictum, ſitam eſſe refert, congregatos, ſeſe ad iter ex Aegypto ſuſcipiendum accinxiſſe, atque inde tandem caſtra in deſertum moviſſe. Sed planitiem illam in finibus provinciae *Goſen* vel Ramſes extremis po-

(*d*) Loc. cit. p. 11, 12.
(*e*) Vid. Differt. III § 2, et IV § 6, 7.

poſitam fuiſſe contendo, et ſic accipiendum, quod Moſes ait, *Iſraëlitas profectos fuiſſe e Ramſes.* Caſtra igitur moverunt Iſraëlitae, in unum congregati, in ultimis provinciae *Goſen* finibus, non procul ab illo loco, ubi hodie eſt Cabira vetus, vel Babylon antiqua. Conſentit *Ioſephus*, qui huius loci conceptis verbis meminit, ubi diſceſſum Iſraëlitarum ex Aegypto literis conſignavit (*f*): Τὴν δὲ πορείαν ἐποιοῦντο κατὰ Λητοῦς πόλιν, ἔρημον οὖσαν ἐν τοῖς τότε· Βαβυλὼν γὰρ ὕστερον κτίζεται ἐκεῖ, Καμβύσου καταστρεφομένου τὴν Αἴγυπτον· *Iter autem faciebant per Letopolin, tunc deſertam; ibi vero poſtea condita eſt Babylon, cum Cambyſes Aegyptum devaſtaret.* Et certe, hîc via vulgo nota et trita ducebat ad mare rubrum, quae alioquin, propter horrida deſerta, non ubique omnibus patebat. Mentionem eius facit *Palladius*, ubi vitam Anachoretarum in Aegypto depingit (*g*): *Sedebat autem B. Antonius inter Babylonem et Herculeas* (i. e. Heracleopolin) *in vaſta ſolitudine, quae fert ad mare rubrum.* Eiusdem illius viae, qua et profecti ſunt Iſraëlitae, accuratiſſimam deſcriptionem dedit *Sicardus* in Epiſtola ſaepius laudata, et addita eidem Chorographia. Egregie hoc illuſtrat locus *Philoponi* in Hexaëm. Lib. IV cap. 5, adductus a *Weſſelingio* ad Itineraria vetera p. 728: Πλησιάζει δὲ ὁ Ἀράβιος κόλπος τῇ κατ' Αἴγυπτον Βαβυλῶνι, ὁδὸν ἐξ αὐτῆς ἔχων, ἀχθοφόροις μὲν ζώοις ἡμερῶν ἐγγὺς ποῦ τεσσάρων, ὀξυτάτῳ δὲ δρομεῖ, ἵππον ἐλαύνοντι, νυχθη-

(*f*) Antiq. Lib. II cap. XV § 1.

(*g*) In Hiſt. Lauſ. cap. XXVI, ex verſione et editione *Herveti.* Verba Graeca ita habent in Bibliotheca Patrum magna Tom. XIII p. 937: Ἐκαθέζετο δὲ ὁ μακάριος οὗτος μεταξὺ Βαβυλῶνος καὶ Ἡρακλείας εἰς τὴν πανέρημον τὴν φέρουσαν κατὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, ὡς ἀπὸ τριάκοντα σημείων τοῦ ποταμοῦ.

νυχθημέρου. Referendum eo quoque eſt, quod *Hieronymus* ſcribit in vita Hilarionis, Opp. Tom. IV Part. 2 col. 88: *Tribus igitur diebus* ab Aphroditopoli *per vaſtam et horribilem ſolitudinem tandem ad montem pervenerunt*, in quo habitaverat Antoninus. Comparetur *Maillet*, Deſcription de l'Egypte Tom. I p. 288, cuius haec verba ſunt: *Il s'en trouve de marbre blanc ſur les bords de la mer rouge & aux environs du mont Sinai, d'ou ce marbre peut avoir été transporté en Egypte, & être venu par terre* en trois jours de route *jusqu'au pied de cette Pyramide.* Conf. Tom. II p. 73 et 336. De via hac, ducente ad mare rubrum per deſertum; loquitur etiam *Moriſonus*, citatus a *Vignolio* Tom. I Chronologiae Sacrae p. 622, 623. Hinc iam apparet, quis ſit ſenſus verborum Moſis Exod. XIII. 17, 18.

§ IX.

Iter Iſraëlitarum per deſertum.

Iter ipſum Iſraëlitarum per deſertum trium (*h*) fuit dierum, uti a Moſe relatum accepimus. Tres ſaltem ſtationes Iſraëlitarum, Ramſe egreſſorum, numerantur (*). Primam enim habuerunt in *Succoth*, ſecun-

(*h*) Vide loca *Philoponi* et *Mailleti* in ſuperioribus citata, et adde *Sicardum* dans les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. VI p. 26.

(*) De *Succoth*, *Etham* et *Pihachiroth* diverſas *Shawii*, *Pocockii* ac *Niebuhrii* opiniones ſuamque expoſuit *Schultz* in eruditis diſſertationibus de itinere Iſraëlitarum per deſertum p. 14 ſqq. In auctario Gloſſarii dixi de *Etham*, *Pihachiroth* et *Pithom*, t. I Opuſc. p. 430, 446—448, item de voce *Achi* in annotatione ad Gloſſarium p. 45, 46.

cundam in *Etham*, tertiam in *Pihachiroth*. Vid. Exod. XII. 37, XIII. 20, XIV. 2. Et totidem diebus iter illud commode absolvi posse, etiam a magna hominum multitudine, propria experientia edoctus testatur (*i*) *Sicardus*. Olim in deserto hoc fuisse urbes, patet ex Relatione *Vanslebii* p. 332. Prima statio in itinere Israëlitarum dicitur *Succoth*, סכות, nomine non Aegyptiaco, sed haud dubie Hebraico, cuius tamen memoria diu post conservata mansit. *Antoninus* certe in Itinerario, in illo Aegypti tractu, in latere Arabico, inter *Aphroditen* et *Babyloniam* medias collocat (*k*) *Scenas Mandras*, quod plane סכות, *Tentoria*, significat. Videtur autem fuisse locus, qui proficiscentibus per desertum exilia tecta et tuguria offerret. Secunda statio nominatur *Etham*, Hebraice אתם. LXX interpretes h. l. habent Ὀθωμ, verum Num. XXXIII. 6, 7, iidem scripserunt Βουθάν (*l*). Interpres Aegyptiacus non minus Exod.

(*i*) Epist. cit. p. 26, 27.

(*k*) In Itinerario *Antonini* Augusti loca ita ponuntur p. 168, 169,

Aphrodite M. P. XXIV.
Scenas Mandras M. P. XX.
Babylonia M. P. XII.
Scenas Veteranorum M. P. XVIII.
Vico Iudaeorum M. P. XII.

In Notitia Dignitatum utriusque Imperii fol. 86. b. legitur: *Ala septima Sarmatarum, Scenis Mandrorum.* — *Ala quinta Retorum, Scenis Veteranorum.* Coniectura *Calmeti*, per *Succoth* intelligentis *Scenas Veteranorum*, probabilis visa fuit *Vignolio* Tom. I Chronol. p. 629.

(*l*) In *Syncelli* Chronographia p. 127 scribitur Νουθώμ. In versione Alexandrina Exod. XIII. 20 est Ὀθὰμ vel Ὀθόμ, sed Num. XXXIII. 6, 7 Βουθάν, pro quo in Codice Oxoniensi Σουθαμ'. Conf. *Vignolius* Tom. I Chronologiae p. 630 sq., docte disputans contra *Calmetum*, qui urbem *Butum*, cuius *Herodotus* meminit Lib. II c. 59 et alibi, vult intelligi.

Exod. XIII. 20, ubi in Hebraico est אתם, quam Exod. I. 11, ubi in textu legitur פתם, expressit ⲡⲉⲑⲱⲙ, tanquam idem utrobique nomen occurreret, nisi, quod in altero loco ⲡ, nota masculini generis, additur, quae in altero omittitur. Neque in eo interpretem Aegyptium a vero aberrasse putaverim. Etsi enim *Pithom*, ab Israëlitis constructa, Exod. I. 11, diversa fuerit ab *Etham*, in qua stationem secundam egerunt, nomen tamen istud utrumque rem unam eamdemque significat. ⲁⲧⲥⲟⲙ Aegyptiis τὸ πέρας τῆς θαλάσσης, *terminum maris*, sonat. In textu Hebraico Exod. XIII. 20 et Num. XXXIII. 6 additur, *et requieverunt in Etham, in fine deserti.* Hoc illustrat nomen Aegyptiacum. ⲁⲧⲥⲟⲙ proprie est *ora maritima*, חבל הים, ut Tzephan. II. 6 vocatur ora maritima Phoeniciae, quod Chaldaeus vertit *terminum maris.* Vide notas *Munsteri* ad illum locum. *Etham* igitur fere idem est, quod *Nephthys*, de quo lege Pantheon meum Lib. V cap. III § 3, 4, et Collectionem vocum Aegyptiacarum in Νέφθυς [tom. I Opusc. p. 160, 161, c. n.]. ⲁⲧ significat τὸ πέρας. Psalm. XXII. 27 ⲛ̀ϫⲉ ⲛⲉⲁⲧ ⲧⲏⲣⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲕⲁϩⲓ, πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς. Ita quoque Ps. LIX, 13, LXVII. 7. Hinc ⲟⲩⲉⲧ et ⲟⲩⲱⲧ ἀφορίζειν, Exod. XIX. 12, 23, XXV. 33. Poterat nomen hoc recte convenire urbi *Pithom*, quam *Herodotus* (*m*) et ex eo *Stephanus Byzantius* (*n*) Πάτουμον vocant, ut quae posita in extremo recessu sinus Arabici eum veluti clauderet et finiret. Poterat et

(*m*) Lib. II c. 158.
(*n*) In Πάτουμος.

et convenire deserto isti, quod sinum Arabicum ab utroque latere, occidentali et orientali, cingeret, illique terminum imponeret. Totam enim illam oram, quae et a latere Aegyptio, et a latere Arabico, inter mare et imminens ei iugum montium intermedium, erat, nomen hoc tulisse, facile intelligetur, si loca paulo ante citata inter se comparentur. Tertiae denique stationi nomen erat *Pihachiroth*, vel, ut etiam Numer. XXXIII. 7 legitur, *Hachiroth*. Ex quo colligere datur, etiam hoc nomen esse Aegyptiacum, in quo proinde ⲡⲥ, nota masculini generis, modo accedit, modo etiam omittitur, quemadmodum etiam in *Pithom* et *Etham* vidimus. De origine nominis Aegyptiaca non dubitabat Cl. *La Crozius*, neque ab hoc prorsus dissentire videbatur *Vignolius* Tom. I Chronologiae p. 637, quamvis brevi ante laudasset etymologiam Hebraicam. Tempore autem eo, quo scribebant *oi* LXX, videtur memoria nominis *Pihachiroth* iam dudum periisse. Nam Numer. XXXIII. 7 vertunt τὸ ϛόμα Εἰρὼθ, quod interpretes Copti sic expresserunt, ⲣⲱⲓϥ ⲙ̀ⲡⲥⲣⲱⲑ, sed versu sequenti 8 habent ⲛ̀ⲡⲥⲁⲣⲟⲑ. Significat vero *Pihachiroth* Aegyptiis *locum, in quo magna copia graminis et herbarum provenit. Achi* Aegyptiorum lingua dictum fuisse *gramen*, et *viride*, *Hieronymus* (*o*) iam pridem observavit: *Pro iunco*, inquit, *papyrum transtulerunt* LXX, *de quo charta fit, addentes de suo* Achi, Viride, *quod in Hebraico non habetur. Quumque ab eruditis quaererem, quid hic sermo significaret*,

(*o*) Lib. VII in Iesa. col. 187, ubi consule *Martianaeum*. Adde *Grotium* et *Cartwrightum* in Gen. LI. 2, *Vitringam* in Iesa. XIX. 7, p. 559, et *Drusium* in Ecclesiasten Syracidis XL 16 vel 18.

ret, audivi ab Aegyptiis, hoc nomine, lingua eorum, omne quod in palude virens nascitur, appellari (*p*). Legitur etiam vox haec in Versione Coptica Gen. XLI. 2 et 18. Hebraeus Codex ibi habet אחו. LXX Seniores scripserunt ἄχει. Interpres vero Aegyptius expressit ⲡⲓⲁϧⲓ, indicio, vocem hanc Aegypto vere deberi. Alioquin enim interpres ille, Graecum secutus, ut alias, extulisset ⲁⲭⲉⲓ. Dum scrinia mea excutio, video Membranas Bodleianas in Oxoniensi Bibliotheca h. l. habere ⲡⲓⲁⲭⲓ. Sed cum tamen etiam scribant ⲡⲓⲁϧⲓ, Aegyptii supponunt, hanc esse suam vocem patriam. ⲣⲱⲧ porro est ἀνατέλλειν, sumiturque de herbis et frugibus ex terra prodeuntibus. Vide, si placet, Matth. XIII. saepius, et loca alia N. T. bene multa. In Discursu Gnostico MSS. p. 19, ⲛ̀ϣⲏⲛ ⲉⲧⲣⲏⲧ ⲛ̀ⲍⲏⲧⲫ. Ps. CIV. 14 ⲫⲏⲉⲧ ⲑⲣⲟ ⲛ̀ⲇⲩⲥⲓⲙ ⲣⲱⲧ. Et sic Ps. CXLVII. 8, Deut. XXIX. 18. Erat nempe *Pihachiroth* locus mari rubro contiguus, similis (*q*) illi, quem ab altero eius-

(*p*) Consule hic quoque *Clodii* Lexicon Hebraicum selectum in אחו p. 26, 27. Is cum *Schultensio* vocem derivat ab Arabico اخا *acha*, id est, *ligavit*, *nexuit*. Vox Aegyptiacae et Arabicae linguae videtur, uti multae aliae, communis fuisse, et radix istius in Aegyptiaca adhuc residua esse ac reperiri. Observa, Numer. XI. 5, ubi est in Graeco τὰ πράσα, Aegyptium id expressisse per ⲛⲓⲏⲭⲓ. Iam ⲏⲭⲓ ab *Achi* parum abludit. Πράσα vero *Hesychius* exponit τὰ βρύα καὶ τὰ φυκία.

(*q*) Vide *Bochartum* Geogr. Sac. Lib. IV c. 29, Part. I p. 320, La Chronologie de Mr. *Des-Vignoles* Tom. I p. 637, et confer Nouveaux Mémoires des Missions Tom.

eiusdem maris latere, Arabico, describit *Diodorus Siculus* (r) his verbis: *Nam aquarum fontes non exigui, et rivi frigiditate aquarum nivi haud cedentes, ibidem promanant, quibus ad utrumque terrae latus viresc unt omnia, et dulci amoenitate perfunduntur.* Dicitur autem *Hachiroth* sita fuisse *inter Migdol et mare ex adverso Baal Zephon*, בֵּין מִגְדֹּל וּבֵין הַיָּם לִפְנֵי בַעַל צְפֹן, Exod. XIV. 2, 9. Quod 1) attinet ad מגדול urbem, quam LXX interpretes appellant Μάγδωλον, de ea vide, quae observantur in notis MSS. (*) ad h. l. in exemplari meo Germanico. 2) בעל צפון a LXX interpretibus scribitur Βεελσεπφῶν. Vox Hebraica significat *Dominum* vel *Deum Septentrionis*. *Sicardus* Iesuita, qui vestigiis Israëlitarum, ex Aegypto egressorum, presso pede institit, putat (s) בעל צפון esse montem, qui ad septen-

Tom. VI p. 28, 29, 57, 58. Equidem *Theophrastus* ita scribit Hist. Plantar. Lib. IV c. 8 init. Τῆς δὲ ἐρυθρᾶς καλουμένης ἐν Ἀραβίᾳ μικρὸν ἐπάνω Κόπτου, ἐν μὲν τῇ γῇ δένδρον οὐδὲν φύεται, πλὴν τῆς Ἀκάνθης τῆς διψάδος καλουμένης· ὀπανίζ δὲ καὶ αὐτή, κ. λ., sed loquitur de regionibus, quae sunt supra Coptum.

(r) Lib. III p. 155, edit. Wechel. [cap. 42 p. 209].

(s) Vide les Nouveaux Mémoires des Missions Tom. VI p. 39, 40, 42, 45, 46. De *Baalzephon* consule etiam *Seldenum* de Diis Syris, Syntagm. I cap. 3, et *Vignolii* Chronolog. Tom. I p. 637 sqq.

(*) Cuius ista fuerit annotatio, ipsiusne *Jablonskii*, an alius, et quale argumentum, me fugit. In margine h. l. citat vir Cl „ *Des Vignoles* Chronologie Tom. I p. 640 & suiv. le Voiage de *Grangier* p. 199 sq." De *Migdol* ego pauca in auctario t. I Opusc. p. 410. Situs urbis et *Baalzephonis* non una ratione definitur a *Pocockio* aliisque Geographis recentioribus. Conf. *Schultzius* l. c. p. 24, 25.

tentrionem iacet, et ad mare usque rubrum extenditur. Obſerva, בַּעַל גָּד eſſe partem montis Libani, monente *Schindlero* (*t*). Sed erat tamen revera urbs, dicta hoc nomine, in illa regione ſita; imo vox בעל erat pars nominis variarum urbium, de quibus videndus *Relandus* (*u*). Quid, ſi צפון ſit Aegyptiacum ϣⲁϥⲉ, *Eremus*, *Deſertum?* Ita κατ' ἐξοχὴν vocatur deſertum illud, quod Iſraëlitae ingreſſi ſunt, Exod. v. 1, viii. 27, 28, xiii. 18.

§ X.

Terminus itineris Iſraëlitarum per deſertum Aegypti; mare rubrum, vel Sinus Arabicus.

Terminus itineris Iſraëlitarum per deſertum Aegypti fuit יָם־סוּף, Exod. xiii. 18, xv. 4, Deut. i. 40, per quod mare omnes hactenus intellexerunt *mare*, quod dicitur, *rubrum*, vel *Sinum Arabicum*, excepto viro illo erudito, cuius ſententiam ſingularem (*v*) alio loco tetigi. Nempe cum is pro ingenii acumine facile perſpiceret, Iſraëlitarum habitationem in tractu Peluſiaco et Tanitico, cum eorumdem exitu per mare rubrum difficulter admodum conciliari poſſe, quod

(*t*) In Lexico p. 223.

(*u*) Palaeſt. Ill. p. 610, 611. Pari ratione urbs eſt in Siliſtria, a Turcis appellata *Baba dagi*, cuius nominis etymologiam tradit *Demetrius Cantemirius* in Hiſtoria Ottomannica p. 498, not. 67. Eſt quoque in Arabia mons excelſus, cui nomen Δουσάρης [Δουσαρή], teſte *Stephano Byzantio*, quod proprie ſignificat *Dominum Shara*. Vide *Pocockium* in Specimine Hiſtor. Arabum p. 106.

(*v*) Diſſ. I § vi.

quod poſtea multis *Sicardus* (*w*) probavit, per ים־סוף maluit intelligere *Lacum Serbonidem*, Peluſio vicinum. De lacu Serbonide, tamquam is eſſet ים־סוף, coniecit etiam *Maſius* (*x*). Adverſus ſententiam *Hermanni ab Hardt*, quam nonnulli deinde amplecti et ornare conati ſunt, obſervemus, quod Exod. XIII. 17, 18, diſtinguantur duae viae in Canaanem ducentes, altera דרך ארץ פלשתים *via per terram Philiſtaeorum*, in qua via eſt lacus Serbonis, ſed hac via Deus Iſraëlitas ducere noluit, altera vero, qua re ipſa Deus Iſraëlitas duxit, eſt דרך המדבר ים־סוף, *via verſus deſertum maris rubri* (*y*). Sed, ut alia iam taceam, ſolum nomen Hebraicum ים־סוף non permittit, ut de alio, quam de mari rubro, cogitare hic poſſimus. LXX interpretes, qui in Aegypto ſcribebant, quosque vera illius nominis ratio latere omnino non poterat, ים־סוף ſemper (*z*) transtulerunt ἐρυθρὰν θάλασσαν, innuentes,

(*w*) In Epiſtola ſaepe citata.

(*x*) Videatur IIter Theil der allgemeinen Welthiſtorie, p. 666.

(*y*) Sententiam de lacu Serbonide, quaſi dicto ים־סוף, confutat etiam *Iac. Kochius* in Beleuchteten Hiob Part. II p. 406—408. De ſententiis aliorum, hic a nobis diſcedentium, vide *Ioh. Simonis* Onomaſticon Vet. Teſtamenti p. 58, 59, in notis.

(*z*) Loca, in quibus ים־סוף occurrit, vide in Concordantiis Bibliorum Latinis ſub artic. *Ruber* [vel *Trommit* Graecis τῶν LXX v. Ἐρυθρός]. Perpende inprimis locum Numer. XXI. 4. Confer *Eduardi Leigh* Criticam Sacram fol. 160. b., et *Harenbergii* additiones, quas ſic vocat, ad *Relandum* in Novis Miſcell. Lipſ. Vol. VI p. 445, ubi et laudat *Oldermanni* diſſertationem de ים־סוף ad Exod. XXIII. 31, Helmſtadii 1712, in quibus tamen *Harenbergius* contradicit iis, quae affirmaverat p. 440.

tes, quod fruſtra negaretur, ſinum Arabicum, cui iam ab antiquo *maris rubri* nomen inditum fuiſſe, ex lectione veterum ſcriptorum indubie conſtat, etſi fateamur, eſſe tantum ſinum illius maris, cui nomen illud proprie competit. Dicitur autem יַם־סוּף Hebraeis, quemadmodum inter praeſtantiſſimos interpretes fere convenit, ab *algae* vel *iunci*, in mari illo provenientis, copia. Ita *Abenezra* in Exod. XIII. 18: *Dicunt nonnulli, mare vocari eo nomine, quod per eius circuitum naſcuntur papyri.* Et *R. Salomo* ſcribit: Soph *iuncum ſignificat, quo nomine mare appellatur, quod calamorum et papyrorum copia in eo naſcatur* (*a*). Quod de mari illo teſtantur etiam, tum veteres ſcriptores, tum recentiores itinerariorum compilatores. E veteribus videtur eo etiam reſpicere *Martialis* Lib. X Epigr. XVI., etſi ad mare Indicum, etiam Erythraeum dictum, transferens, quod de ſinu Arabico legerat. Verba eius ſunt:

Quicquid Erythraea *niger invenit Indus in* alga.

Videtur autem reſpicere ad uniones. Vide *Plinium* Hiſto. Natur. Lib. IX cap. 35, Lib. XXXVII cap. 4 extr. *Martialis* ſe ipſe explicat Libro eodem X Epigr. XXXVIII. 4, 5,

O nox omnis et hora, quae notata eſt
Caris littoris Indici lapillis.

Tibullus Lib. II Eleg. II V. 15,

Nec tibi gemmarum quicquid felicibus undis
Naſcitur, Eoi qua maris unda rubet.

Non-

(*a*) Vide *Fagii* notas in eumd. locum.

Nonnus Dionyſ. Lib. IV p. 74 edit. Graec. Antverp.

Οὐ ποθέω ϛίλβουσαν ἐρυθραίην λίθον Ἰνδῶν.

Plinius Lib. XXXVII cap. 4, *Proximum apud nos Indicis Arabicisque margaritis pretium eſt* (*b*). Recentiorum quoque teſtimonia non ſunt negligenda. Scribit *Vincentius le Blanc* (*c*): „ Le long de la mer croiſſent quantité de grands roſeaux, dont avec le temps ſe forment des isles, ce qui rend la côte de mauvais abord, & ceux du païs ſont contraints de la récoier ſoingneuſement. C'eſt de là, à ce que l'on dit, que les Hebreux appellent cette mer *Souf*." Similia tradit *Lobo* (*d*), confirmantque Miſſionarii recentiores (*e*), item *Thomas Shaw* (*f*) Uti vero Graeci interpretes ים־סוף reddunt ἐρυθρὰν θάλασσαν, ita viciſſim interpres Aegyptius vocem hanc Graecam ſemper transfert ⲫⲓⲟⲙ ⲛ̀ϣⲁⲣⲥ, exprimens vim vocabuli non Graeci, ſed Hebraici, cuius tamen certe ignarus fuit. Equidem vox illa ϣⲁⲣⲥ, nonniſi in hac

(*b*) Confer *Grotium* in Exod. x. 19, *Bochartum* Part. I Geogr. Sacr. Lib. IV c. 29 p. 320.

(*c*) Voyage Part. I chap. VIII p. 33.

(*d*) La Relation hiſtorique d'Abiſſinie p. 42, 257.

(*e*) Les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. V p. 169, Tom. VI p. 52, 53, 57, 72.

(*f*) Le Voyage de la Barbarie Tom. II p. 88, 89. — In *Scaligeranis* Fratrum *Pithoeorum*, Lugduni Bat. 1688 editis, haec lego p. 223: „ Mer rouge, qui eſt Erythraeum, ab Erythro rege, eſt plutôt Sinus Perſicus qu'Arabicus, qui s'appelle *Mare Sur*, Ptolomée l'appelle autrement, c'eſt à dire *papyri*; il eſt bien vrai, que tout au tour du Nil croit la plante, dont on faiſoit le papyrus, mais les lieux de la mer de Sur étant ſalſagineux, à peine produiroient ils ces plantes: on ne ſçait la raiſon de cette appellation."

hac compoſitione, quando Sinus Arabicus deſignatur; in Coptorum libris, quos mihi licuit evolvere, occurrit, ut hac de cauſa de vera nominis illius ſignificatione aliquando dubitaverim. Sed dubium omne exemere ſcriptores Graeci et Latini, qui vocabuli huius Aegyptiaci genuinum ſenſum me edocuerunt. *Theophraſtus* (*g*) τὸ καλούμενον ΣΑΡΙ memorat, ubi loquitur de Plantis Aegyptiacis, illudque mox ita explicat, Sari *in aqua provenit, circa paludes planaque, ubi amnis receſſerit.* Concinit *Heſychius*, ΣΑΡΙΝ, φυτόν τι γινόμενον ἐν τοῖς κατ' Αἴγυπτον ἕλεσιν. Unum adhuc addimus *Plinium*, quia ille *Sarin* papyro ſimilem eſſe memoriae prodidit, quod tamen etiam *Theophraſtus* ſcriptum reliquit. Ita autem Hiſtoriae Naturalis ſcriptor (*h*): *Fruticoſi eſt generis et* Sari *circa Nilum naſcens, duorum ferme cubitorum altitudine, pollicari craſſitudine, coma papyri, ſimilique manditur modo.* Iam facile intelligitur, quid ſit ⲫⲓⲟⲙ ⲛ̀ϣⲁⲣⲓ, *Mare Sari*, nempe id ipſum, quod ים־סוף, *mare iunceum* et *algoſum*, quod nomen mari illi in Aegypto proprium et peculiare fuit. Ab Aegyptiis nomen illud acceperunt Iudaei, et ſermone ſuo conſtanter retinuerunt. Quomodo autem Iſraëlitae ſinum illum Arabicum, ſpatio temporis non ita magno, traiicere potuerint, in quo nonnulli, ſed ſine omni cauſa, haeſerunt, *Ioh. Clericus* (*i*) et inprimis *Sicardus* (*k*) proprio ſuo exemplo, iſta oſtenderunt, et planum fecerunt, ut ſcrupulum, qui poſtea reſtet, nullum invenire poſſim.

DIS-

(*g*) Hiſt. Plant. Lib. IV cap. IX [Tom. I horum Opuſcul. p. 266, 267].
(*h*) Lib. XIII c. 23.
(*i*) In Diſſertat. de Traiectione maris Idumaei.
(*k*) In Epiſtola laudata.

DISSERTATIO VI,

QVAE

EST DE VERO EIVS SITV QVARTA.

§ I.

Praetermiſſo nunc argumento ex nomine Goſen *petendo, tranſitur ad traditionem Aegyptiorum.*

Poſtquam ea argumenta, quae ex ipſo ſitu terrae *Goſen* et Provinciae Heracleopoliticae capi poſſunt, prout ratio inſtituti mei fert, breviter expoſui, oſtendendum nunc eſſet, quod et pollicitus ſum, etiam nomen terrae *Goſen* huic noſtrae, quam lectoris arbitrio permiſimus, ſententiae inſigniter favere. *Goſen* enim, ut omnia paucis complectar, niſi me opinio fallit, id plane Aegyptiis ſonat, quod Graecis Ἡρακλεόπολις, *Terram Herculi ſacram et dicatam.* Verum dum iſtud argumentum *de nomine Goſen* apud animum meum volvi et revolvi, dignum mihi viſum eſt, quod una alterave diſſertatione ſeorſim explicaretur. Omiſſo igitur illo tantisper argumento, nunc nos ad traditionem Aegyptiorum antiquam, in hodiernum usque diem conſervatam, conferamus, atque videamus, ecquid ex illa praeſidii et ſubſidii ſperare poſſi-

mus. Equidem ultro haud invitus largior, argumenta, quae ſolis traditionibus huius generis innituntur, apud lectores ingenii ſagacioris parum proficere. Sed uti tamen traditiones omnes, gentium praeſertim literarum ſtudiis expolitarum, temere faſtidiri et condemnari non poſſunt, uti quaedam antiquitate ſua, quodque et inter ſe et cum aliis conſpirant, aliisque notis, certitudinis aliquam ſpeciem prae ſe ferentibus, ad aſſentiendum nos invitant, ita praeſertim, ſi ad alia argumenta ſolidiora, illuſtrationis ergo, tantum adiiciuntur, attentiorem conſiderationem utique merentur. Liceat igitur etiam nobis, ad alia argumenta, quibus uſi hactenus ſumus, ad eruendum verum ſitum terrae *Goſen*, et hocce adiungere, quod ex traditionibus hac de re Aegyptiorum, et veteſtiorum et hodiernorum, peti poteſt. Si quis traditionibus hiſce parum fidei haberi poſſe contenderit, non tamen iniucundum erit intelligere, quomodo memoria eorum, quae ab Iſraëlitis, Ioſepho praeſertim et Moſe, in Aegypto geſta ſunt, in regno illo ab antiquiſſimis temporibus conſervata, et ad nos transmiſſa fuerit.

§ II.

Ordo obſervandus in traditionibus his referendis.

Ne quis vero hic a me expectet, ut omnia, quae tot ſcriptores, Graeci, Romani, Arabes, Iudaei, Chriſtiani, ex vetuſtis aut etiam recentioribus Aegyptiorum traditionibus, de commoratione Iſraëlitarum in Aegypto, memoriae prodiderunt, hic in unum coacervem. Plurima enim, quae apud veteres, *Ioſephum*, *Euſebium*, *Preculphum Lexovienſem* aliosque, hac de re congeſta inveniuntur, ad praeſens noſtrum inſtitutum non magnopere faciunt. Iis igitur contentus ero, ex quibus de domicilio et ſedibus Iſraëlitarum

in

in Aegypto iudicium ferre licebit. Cumque et harum traditionum numerus ſatis ſit copioſus et amplus, delectum aliquem adhibebo, hunc quidem in modum, ut illis, quae antiquitate ſua prae aliis ſe commendant, primum locum tribuam, ſed illarum tamen, quas media ſecula et haec noſtra aetas nobis offerunt, rationem etiam aliquam habeam. Etſi autem traditiones illae, ut fieri ſolet, non ſemper et in omnibus inter ſe congruant, in hoc tamen mirabilis quidam eorum inter ſe conſenſus obſervari poterit, quod, ſi earum aliquam admittimus auctoritatem, ſedes Iſraëlitarum in Aegypto ſuperiori, circa Memphim et Heracleopolin, neceſſario collocandae veniant. Ut vero in adferendis hiſce traditionibus ordine aliquo procedam, illas primo commemorabo, quae ipſam Heracleopolin ſpectant. Hiſce ſubnectam eas, quae aut Ioſephum Patriarcham, aut Moſen eiusque vitam et geſta ſigillatim attingunt.

§ III.

Traditiones Aegyptiorum de habitatione Iſraëlitarum in Heracleopoli.

Sunt, uti dixi, traditiones quaedam, quae ipſam Heracleopolin, Provinciam illam, quae hodie Fioum nuncupatur, reſpiciunt, quaeque, ſi fidem aliquam merentur, luculento indicio ſunt, Iſraëlitas ſedes ſuas in illo tractu habuiſſe, adeoque Provinciam Heracleoticam eſſe *Goſen*. Iure merito huc refero traditionem illam, cuius iam antea (*a*) mentio facta a me eſt, Iudaeorum antiquiorum, qui, teſte *Hieronymo*, *aſſerebant Goſen nunc Thebaidem vocari*. *Et id quod in* Gene-

(*a*) Vide Diſſert. III § 3.

Geneſi dicitur. Dedit eis ut poſſiderent optimam Terram in Ramaſſe, *Pagum Arſinoiten ſic olim vocatum autumant.* Quivis Geographiae Aegypti non imperitus, facile intelligit, per *Thebaidem* hic intelligi tractum Heracleoticum, qualem alio loco (*b*) deſcripſi et definivi, ſive Provinciam Fioum, cuius pars erat Arſinoë et Nomus Arſinoiticus, letſi haec denominatio Thebaidis cum rationibus Geographiae accuratioribus non conveniat. Similem oſcitantiam deprehendimus etiam in *Wilhelmo Tyrio*, qui, ubi ſitum et indolem Provinciae Phium expoſuiſſet, ita de eadem pergit (*c*): *Nos antiquum eius vocabulum non tenentes, opinamur, priſcis temporibus, Thebaidem dictam.* Traditio autem illa Iudaeorum ex eo aliquod robur accipere poteſt, quod in Provincia Fioum oſtendatur hodieque locus, domicilio Iacobi clarus, uti diſcimus ex his *Vanslebii* verbis, ex Gallico in Latinum translatis (*d*): *Super montem, qui a tergo Monaſterium illud attingit verſus meridiem, ruinae conſpiciuntur vici cuiusdam antiqui et exigui, quem Copti dicunt domicilium praebuiſſe Iacobo Patriarchae. Et hanc ob cauſam ruinae illae in hunc usque diem vocantur* Modſellet Iacub, *id eſt*, Tabernaculum Iacobi. Locus autem ille, uti ex eodem *Vanslebio* ſcimus, nonniſi duabus leucis ab urbe Fioum diſtat. Cum domicilio Iacobi haud immerito coniungimus ſepulchrum Beniaminis, filii eius longe dilectiſſimi, quod in hocce tractu peregrinanti ſibi commonſtratum obſervavit *P. Lucas* (*e*). Multo his omnibus antiquiorem traditionem poſſem adferre, ex hiſtoricorum Prin-

(*b*) Diſſert. III § 2.
(*c*) In Geſtis Dei per Francos Tom. I p. 969.
(*d*) Relation d'un Voyage fait en Egypte p. 276.
(*e*) Itinerar. III Part. II p. 21.

principe *Herodoto* (*f*), utpote qui ex relationibus Sacerdotum Aegyptiorum memoriae prodidit, Pyramides exſtructas inter Memphim et Arſinoën, *opus eſſe* ποιμένος Φιλιτίωνος, ὃς τοῦτον τὸν χρόνον ἔνεμε κτήνεα κατὰ ταῦτα τὰ χωρία, *Paſtoris Philitionis, qui ea tempeſtate pecudes per haec loca paſcebat.* Nomine ποιμένος Φιλιτίωνος ſignificatur *paſtor Philiſtaeus*, vel *Palaeſtinus*. Ita veteribus etiam Aegyptiis dicuntur Iudaei. *Relandus* (*g*) ſcribit: *Nomen* Φιλιςαίων *poſtea flexerunt Graeci et Romani in* Παλαιςινοὺς, *quod ipſis non erat ignotum, et magis conveniebat cum vocibus aliis, quibus utebantur.* Inde patet, apud *Herodotum* legendum (*) eſſe Φιλιςίωνος, quod nomen Graecis non eſt infrequens, unde *Herodotus* ad illud detorſit nomen *Palaeſtini*, ſibi tamen etiam non incognitum. Sed *Herodotus* ſecutus eſt hic alios, et tradita ſibi tantum retulit. Verum enim vero traditionem iſthanc, cuius nunc verbo quidem meminiſſe ſatis erit, res Iſraëlitarum ſpectare, argumentis, ut ſpero, non contemnendis, ad liquidum poſtea deducam.

§ IV.

Ioſephi Patriarchae habitatio et opera Heracleopolitana.

Neque vero provincia Heracleotica Iacobo tantum, et ceteris Iacobi natis et natorum natis, domicilium praebuiſſe traditur, verum ipſi etiam Ioſepho, quantum-

(*f*) Lib. II c. 128.
(*g*) Palaeſt. Ill. p. 75.

(*) Eamdem coniecturam repetiit *Iablonskius* in Gloſſario v. Ἱκσως, t. I Opuſc. p. 364; ſed comparetur illic annotatio.

tumvis Proregi totius Aegypti. Quinimo conſtans eſt, a longo iam tempore, apud Aegyptios fama, admirabilem fertilitatem provinciae Fioum unice Patriarchae huius ſolertiae atque induſtriae deberi. *Auctores Arabes*, inquit *Herbelotus* (*h*), *Ioſepho Patriarchae fundationem, aut reſtaurationem urbis Fioumi attribuunt. Certe viſuntur ibi opera prorſus magnifica, quae nonniſi ab auctoribus Geometriae peritiſſimis proficiſci potuerunt.* Id videtur confirmare *Artapanus*, ſcriptor Graecus antiquus, cuius verba refert *Alexander Polyhiſtor* apud *Euſebium* (*i*). Narrat enim *Artapanus*, Ioſephum, cum Aegyptii terram eatenus magna perturbatione coluiſſent, quod neque diviſa regio eſſet, ac tenuioris fortunae homines a potentioribus iniquius haberentur, agros ante omnia diviſiſſe, certis paſſim finibus terminisque deſcriptos, adeoque magnam ſoli partem, prius incultam, culturae opportunam commodamque reddidiſſe; menſuras praeterea inveniſſe; templa in Aegypto condidiſſe. Quaenam ſint illa opera, luculentiſſime etiam explicuit *Paulus Lucas* (*k*), verum loco, qui prolixior eſt, quam ut hic deſcribi queat. Nolo tamen omittere, teſtimonium hac de re auctoris, qui ante hos ferme ſexcentos annos ſcripſit, *Wilhelmi Tyrii*. Ita autem ille (*l*): *Hanc Aegyptii lingua ſua* Phium *vocant. Hanc, ut* Veterum *tenet* Traditio, *prudentiſſimus Procurator Aegypti, et optimus utilium proviſor, Ioſeph, cum prius ſolum inutile, aratri prorſus ignarum, et culturae*

(*h*) Lib. IX Praepar. Euang. cap. 23 p. 251 [429, 430].
(*i*) Itinerar. II Part. II cap. VI p. 42, 43.
(*k*) Biblioth. Orient. Artic. *Fioum* p. 350.
(*l*) In loco iam ſaepius citato. Vide Geſta Dei per Francos p. 969 Tom. I.

curae et curae expers omnino a mundi iacuiſſet initio, ſicut eiusdem ſolitudinis partes aliae, conſiderato locî ſitu: quia circumadiacentibus locis finitimis humilior videbatur, et quod ſolutis quibusdam aggeribus, et media, quae interiacebat ſuperficie, complanata, Nilum reſtagnantem, paratis aquaeductibus introduxit, et a ſeculis ſolo incognitam familiarem fecit foecunditatem. Qui plura deſiderat, locum *Wilhelmi Tyrii* cum Itinerario *Lucae*, paulo ante citato, conferre poterit. De hoc ipſo opere videntur loqui auctores Arabes, laudati a *Kirchero* (*m*), etſi *Kircherus* ipſe, eumque ſecutus *Mailletus* (*n*), id de Delta intellexit. Et profecto clare additur, regionem illam dictam fuiſſe *Fioum*. Adde *Murtadii* Arabis librum de admirandis Aegypti p. 203 ac ſeqq. Traditio Arabum et Coptorum fert (*o*), Ioſephum ad immenſa illa, quae in provincia Fioum perfecit, opera animum non ante appuliſſe, quam centenario iam maior eſſet, atque ex conſilio Procerum Aegypti, invidia ductorum, laborioſiſſimi muneris vacationem impetraſſet. Cum aliis tamen Aegyptiorum hac de re traditionibus, §. ſuperiori expoſitis, non minus quam cum ipſa S. Codicis hiſtoria, congruere videtur, ut exiſtimemus, opera haec inchoata ſaltem fuiſſe ſeptem illis laetis ac fertilibus annis, quibus Ioſephus, teſte Moſe Gen. XLI. 46, 47, totam Aegyptum obivit et itineribus emetitus eſt, ut regno huic undique proſpiceret, ne ex fame ſecutura diuturna nimium damni pateretur. Haec videtur

(*m*) Tom. I Oedipi Aegypt. p. 8—10.

(*n*) Deſcription d'Egypte p. 92—94, ſive in editione altera p. 115—117. — Cum traditione, in textu memorata, conciliari poteſt, ſi recte conſideratur, locus *Celſi* apud *Origenem*, quem adduxi p. 26 [113], et quae *Artapanus* habet apud *Euſebium* l. c.

(*o*) Vide *P. Lucae* Itinerar. l. c. p. 43, 44.

detur etiam fuiſſe ratio, cur hanc potiſſimum provinciam, quae, propter temporis antecedentis ſterilitatem, multitudine incolarum nondum laborabat, et quae nunc fertilitatem omnem induſtriae ipſius debebat, patri et fratribus ſuis concedendam merito eſſe putaret. Iſta porro opera, a Ioſepho in *Goſen* procurata, rationem nobis non improbabilem ſubminiſtrant, ob quam paſcua illius provinciae, ſub introitum Iſraëlitarum in Aegyptum, adeo celebria fuerint (*p*). Copia namque laetiſſimorum illorum paſcuorum, aquaeductibus Ioſephi, quorum beneficio aqua Nili in omnes provinciae huius agros ubertim deducebatur, haud dubie in acceptis referenda eſt. Hodie quidem id privilegium eſt totius Aegypti, et in primis Aegypti inferioris, quae, foſſis et aquaeductibus, ex alveo Nili derivatis, veluti tota diſſecata, aqua Nili ubique iuſto tempore largiter irrigatur, et univerſa perfunditur. Ante tempora Ioſephi res eo modo ſeſe nondum habebat. Primus (*q*) arte Ioſephus in provincia *Goſen* videtur compenſaſſe, quod natura negaverat. Poſtea Aegyptii, tempore demum Seſoſtris, uti ſcriptores vetuſti, *Herodotus* (*r*) et *Diodorus Sic.* (*s*) teſtantur, exemplum Ioſephi et Iſraëlitarum imitati, eamdem fertilitatem cum tota Aegypto communicarunt. Quicquid ſit, nam diutius argumento huic immorari iam non licet, aquaeductus ille praeſtan-

(*p*) Conf. *Murtadi* l. c. p. 204, 210.
(*q*) Vide locum obſervatu dignum Deut. XI. 10—12, et confer *Maillet*, Deſcription d'Egypte Part. II p. 5, 6, item die Allgemeine Welthiſtorie 1ter Theil z. 379, not. 254.
(*r*) Lib. II cap. 108.
(*s*) Lib. I Hiſtor. p. 52 fin. edit. Wechel. [cap. 57].

fantiſſimus, cuius meminerunt veteres (*t*), qui ex Nilo deductus, Nomos Arſinoiten atque Heracleopoliten dividit, ac deinde in lacum Moeridis effunditur, quique praecipua fertilitatis illius provinciae cauſa eſt, in hodiernum usque diem *Bahr Iuſeph*, id eſt, *Fluvius* vel *Canalis Ioſephi*, nuncupatur, quemadmodum omnes Itinerariorum compilatores una voce teſtantur. Praeterea, in urbe Fioum Ioſephum vita tandem functum et conditum in ſepulchro fuiſſe, *Leo Africanus* (*u*) auctor eſt: *In hac* Fioum, inquit, *ſepultum ferunt Ioſeph, Iſraëlis filium, atque a Moſe, fugientibus deinde Hebraeis, effoſſum.*

§ V.

Iſraëlitarum opera Heracleopolitana.

In eadem provincia oſtenduntur quoque monumenta ceterorum Iſraëlitarum. Inter veteres *Strabo* iam ſcriptum (*v*) reliquit, Praefecturam Heracleoticam ceteras antecellere, cum aliis rebus, tum etiam κατασκευῇ, i. e., operum praeſtantiſſimorum multitudine et magnificentia. Illarum initium Ioſepho debetur, ut modo expoſuimus. Sed ſi traditionibus veterum credimus, uti ego quidem credo, labores illos poſtea Iſraëlitae continuarunt, et in immenſum auxerunt. Eius rei meminit *Beniamin Tudelenſis*, ſcriptor ſeculi XII, qui, etſi *Goſen* alio loco collocat, de Fioum ta-

(*t*) Vide inprimis *Strabonem* Lib. XVII p. 557 edit. Genev. [1163]. Veteribus aquaeductus ille audiit *Foſſa Thineos*, ſi audimus *Sicardum* dans les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. V. p. 215.

(*u*) In Deſcriptione Africae p. 722. Iſle tamen eodem libro p. 668, Sepulchrum Ioſephi alio loco collocat.

(*v*) Lib. XVII p. 556 [1163].

tamen in haec verba ſcribit (*w*): *Hinc* (ab urbe Kous Thebaidis deſcendenti) *Fium usque quinque dierum iter eſt, quae olim Pithom dicebatur. Et ad haec usque tempora ſtructurae patrum noſtrorum conſpiciuntur rudera.* Hiſce *Beniaminis* Iudaei verbis commentarii vice ſubnectam, quae *Vanslebius* mihi ſuppeditat, ita ſcribens (*x*): *Non vidi in Aegypto regionem tot aquaeductibus et aquarum fiſtulis interceptam, atque provinciam* (*y*) *Fioum. Omnes autem illi canales ſtructiles ex fluvio ducuntur, qui vocatur Ioſephi, eorumque beneficio agri omnes et campi cominodiſſime inundantur. Et quia tanta rivorum et foſſarum multitudo iter facientibus viam ubique locorum intercluderet, niſi ponte iuncto transiri poſſent, pontes etiam multo plures numero in hac, quam in alia quacunque Aegypti parte, reperias. Exſtructi ſunt omnes lateribus ſole coctis et duriſſimis. Aſſeverant incolae, eos temporibus antiquiſſimis Pharaonum conſtructos eſſe. Copti etiam firmiter tenent, reges illos priſcos ad coquendos et conficiendos lateres, hoſce opera uſos fuiſſe Iſraëlitarum, idque vero admodum ſimile eſt. Neque enim ambigi poteſt, quin, ad perficiendam immenſam adeo laterum copiam, opus fuerit hominum multitudine infinita.* Cum ſic Iſraëlitae lateribus coquendis, et aedificiis magnificis erigendis aſſueti eſſent, mirum non eſt, regem illum Aegypti, qui poſt mortem Ioſephi male eis cupiebat, ipſos ad ſimiles labores poſtea, ſed invitos, iam vi compuliſſe, et imperato ſupra vires laborum modo in poenam

(*w*) In Itinerar. p. 202, ex verſione *Conſt. l'Empereur*.

(*x*) Relation d'Egypte p. 256, 257. De his aquaeductibus conſuli etiam poteſt *P. Lucas* Itiner. II Part. II. c. VI et Itiner. III Part. II.

(*y*) Vide omnino *Muntadium* p. 204.

poenam vertiſſe, quod antea ſponte fecerant. De Pyramidibus, quas inter Iſraëlitarum opera recte etiam numerari puto, alias plura dicendi locus erit. Hic tantum illud addo, praeter Pyramides Memphiticas, tot veterum et recentiorum encomiis celebratas, conſpici etiamnum in provincia Fioum Pyramidem inſignem, quam cura et mandato Ioſephi Patriarchae conſtructam fuiſſe, Arabum hiſtorici referunt (z).

§ VI.

Aliae traditiones Aegyptiorum de Ioſepho.

Haec de Provincia Fioum, ſive veterum Heracleopoli, cui, ut vidimus, traditiones et antiquitatis ultimae, et mediae aetatis, et recentioris denique aevi, mirum in modum favent. Et his quidem traditionibus, quia eas et inter ſe, et cum hiſtoria Codicis S., et cum hiſtoria denique exotica, ſummopere conſonare ſentio, me non parum tribuere, libenter profiteor. Sed reliquas tamen etiam, quae memoriam Ioſephi Pa-

(z) Ita *Vanslebius* Relation d'Egypte p. 274, coll. p. 266, 271, 271. Quae idem ſcribit p. 273 de deſerto Arſinoïtico, videntur nobis exhibere Coemeterium Iſraëlitarum in *Goſen*, aut Coemeterium ipſorum opera conſtructum. — Ad illuſtranda nonnulla, hac § dicta, facit quoque *Epiphanius Hagiopolita* in Diegeſi Syriae etc., ſcriptor, ut videtur, ſeculi VI exeuntis, cuius haec verba ſunt in *Allatii* Symmictis p. 55: „Hinc ad meridiem Alexandriae, quinque dierum ſpatio remotus eſt S. Macarius magnus (*ſive deſertum Scete*). — Item a Macario diſtant, itinere dierum quatuor, repoſitoria XXXVI Ioſephi (εἰσὶν αἱ ἀποθῆκαι τοῦ Ἰωσὴφ αἱ τριάκοντα ἓξ) ex iisque locis praetervehere potes fluvium Phiſon (*Nilum*) ad pontem, qui ſuſtinetur ab octoginta navibus, atque inde ingrederis Babylonem magnam, Pharaonis regiam."

Patriarchae reſpiciunt, paucis tangamus. Ad illas iam refero et hanc, quod Memphis eó tempore, quo vivebat Ioſephus, caput regni Aegyptiorum extiterit. Traditionis huius meminit *Leo Africanus*, cuius verba apponimus (*a*): *Plurimi*, inquit, *noſtra tempeſtate viri praecellentes, tam Chriſtiani, quam Iudaei et Mahumetani, ſua opinione falluntur. Mesre enim* (i. e., Cahiram veterem) *putant eo loco ſitum, in quo Moſis et Ioſephi tempore Pharaones habitarunt: quod Pharaonis oppidum ea in Africae parte exiſtiment, qua Nilus ad Occidentem in Africam flectitur, ubi quoque viſuntur Pyramides* etc. Duo hic tradit ſcriptor iſte nequaquam contemnendus, ad rem noſtram facientia, ex aliorum ſententia et relationibus; primo quidem, ſedem regum Aegypti, Ioſephi et Moſis aetate, fuiſſe Memphim ad littus Nili occidentale verſus Libyam ſitam; deinde, domicilium Ioſephi et Moſis extitiſſe eodem loco, ſed ab altero Nili littore, orientali, ubi poſtmodum condita fuit Babylon, hodie Cahira vetus, et ab Arabibus (*b*) Mesre dicta. Quod ad prius attinet, aliunde etiam traditio illa confirmari poteſt, Memphim tum temporis Aegypti regibus domicilium praebuiſſe. *Beniamin* certe *Tudelenſis* (*c*), et quidem ex communiori, quae ipſius tempore obtinuit in Aegypto, opinione, *Tſoan* ſubindicat aliam urbem non eſſe, quam Mesre, vel Cahiram veterem, quam ſuburbium Mempheos dicere optimo iure poſſumus. Hodie etiam prope Pyramides, quas in vicinia Mempheos aedificatas fuiſſe, uno ore veteres omnes affirmant, *collis monſtratur, ſuper quem*

(*a*) Deſcript. Afric. p. 668.
(*b*) Vid. *Herbeloti* Biblioth. Orient. in Artic. *Mesr.*
(*c*) Vide eius Itinerar. p. 204, 205, 207, ex verſione *Conſt. l'Empereur.*

quem domum Potipharis, qui Ioſephum Patriarcham ſervum habuit, exſtructam fuiſſe dicunt. Videntur adhuc nonnulla eius rudera e lapide coctili (*d*). Memphi in inſula, quam Nilus efficiebat, viſendum erat quondam Nilometrium celebratiſſimum, cuius veterum plurimi (*e*) meminerunt. Ita autem vocatur columna, in qua incrementa Nili adſcendentis, eorumque ſinguli gradus, uti hodieque fit, obſervari quotidie poterant. Illius vero Nilometrii, ſi Coptorum et Arabum libris, quos *Vanslebius* (*f*) inſpexit, fidem aliquam tribuimus, condendi auctor primus fuit Ioſephus, idque magnopere mihi ſe probat. Sed plurima, hac noſtra etiam aetate, Ioſephi monumenta in urbe illa, quam hodie *Cahiram veterem* appellare ſolent, oſtenduntur. Illic ferunt hodienum conſpici (*g*) carceres, in quos pium hunc Patriarcham innocentem Potiphar, uxori nimium credulus, coniecit, et in quibus ille poſtea miniſtris Aegyptiorum regis ſomnia interpretatus eſt. In eadem urbe eſſe venditantur (*h*) granaria, quibus is frumenta per ſeptem integros annos ex tota Aegypto undique collecta cuſtodivit. Si eamdem famam aliquid apud nos valere ſinimus, ibidem Ioſe-

(*d*) Haec decerpta ſunt ex *Chriſtoph. Fureri* Itinerario p. 26.

(*e*) Vide *Diodorum* Lib. I p. 33 [cap. 36, c. n. *Weſſelingii*], *Strabonem* Lib. XVII p. 562 [1171], *Plinium* Lib. V c. 9, *Plutarchum* de Iſid. et Oſir. p. 656 edit. Steph.

(*f*) Relation d'Egypte p. 63. Vide etiam *Murtadium* p. 215, 216, Auctorem Arabem anonymum apud *Kircherum* in Oedipo Tom. I p. 33, item Geographum *Nubienſem* ibidem.

(*g*) Vide *Thevenoti* Itinerarium Part. I p. 448, itemque *Corn. le Brun* Voyage au Levant Tom. I p. 215.

(*h*) *Thevenot* l. c. p. 439, *Le Brun* p. 190, *P. Lucas* Itinerar. III Tom I p. 313; quibus praeivit *Beniamin* Itinerar. p. 211, 212.

Ioſephus, ad ſummam a Pharaone dignitatem evectus, domicilium ſuum (*i*), quod in arce Cahira (*k*) monſtratur, fixerat. Illic viſitur etiam puteus, qui dicitur Ioſephi, miro artificio conſtructus, cuius *opus adeo ſtupendum et admirabile* iudicat Illuſtriſſimus quondam *Radzivilius* Princeps (*l*), *ut nunc tale quid a quoquam exſtrui poſſe, ſit prorſus impoſſibile.* Vberiorem tamen eius deſcriptionem, quam (*m*) multi dederunt, nemo hic a me expectet. Adverſus haec, quae nunc ex traditione Aegyptiorum commemoravi, non nego, id obiici poſſe, Cahiram, etiam quae Vetuſta dicitur, multo eſſe recentiorem, quam ut credi queat, continere opera et aedificia Ioſephi. Et ego ſane rem totam hanc ſuo loco relinquo. Illud tamen tacere nequeo, quod ut certum ab eruditis et veteris Geographiae peritis admittitur, eo loco, ubi nunc eſt Cahira antiqua, quondam poſitam (*n*) fuiſſe *Babylonem*, tempore Cambyſis conditam, et hanc ipſam ſucceſſiſſe urbi antiquiori *Letopoli*, quae aliquamdiu deſerta et incolis vacua iacuerat, utpote quod conceptis verbis teſta-

(*i*) Vide *Radzivilii* Peregrinat. p. 190, *Thevenot* p. 247, *Le Brun* p. 215, *Lucas* Itinerar. 1 p. 126.

(*k*) *Vanslebius*, Relation d'Egypte p. 416, ſcribit: *La commune opinion de touts les auteurs Arabes eſt, que Ioſeph faiſoit ſon ſejour à Memphis — & non pas au deca de ce Fleuve, où eſt le Caire.* Monet autem p. 287, arcem Cahirae eſſe ſtructurae recentioris.

(*l*) Peregrinat. Hierof. p. 190.

(*m*) Poſſunt videri praeter *Radzivilium* l. c., *Thevenot* p. 444, *Le Brun* p. 216, *Lucas* Itin. 1 Part. 1 p. 126, 127, et praeſertim Itin. 111 Part. 1 p. 364, ubi accuratam eius effigiem exhibet.

(*n*) Vide *Petri Vallenſis* Itinerarium Tom. 1 p. 215 edit. Gallicae. Vrbis huius perantiquae origines perperam ad multo recentiorem aetatem deturbare vult *Wilhelmus Tyrius* Lib. xix cap. 963.

teſtatur *El. Joſephus* (*o*). Illam vero Letopolin fuiſſe μοῖραν Μεμφίδος, *partem* ſive ſuburbium *Mempheos* ſcimus ex teſtimonio *Stephani Byzantii* (*p*). Idque ſitus utriusque urbis, quam ſolus Nili alveus abinvicem diviſit, omnino confirmat. Quo ſemel poſito, fidem forte facilius impetrabit iſta *P. Lucae* (*q*) obſervatio: *Dum arcem Cahirae veteris obirem, deprehendi, eam ſaepius fuiſſe reſtauratam, et ſuperſtructam fundamento, quod videtur indicia prae ſe ferre antiquiſſimi Aegyptiorum aevi. Facile id intelligi poteſt ex magnis lapidum molibus, quibus ſuperimpoſiti ſunt poſtea lapides, antiquioribus illis et colore et duritie longe diſſimiles. Quin adeo in quibusdam ex vetuſtioribus illis lapidibus notas plures hieroglyphicas obſervavi, teſtes antiquitatis ultimae luculentos. Quod ſi perpendatur, videbitur forte traditio, quae puteum illum operis ſtupendi, qui adhuc conſpicitur, Joſepho Patriarchae adſcribit, non omni deſtituta eſſe fundamento.*

§ VII.

Traditiones Aegyptiorum de Moſe.

Conſimilia etiam loquuntur de Moſe Aegyptiorum traditiones, ipſum nempe loca, quae ſunt circa aut ſupra Memphim, in Aegypto ſuperiori, cum populo ſuo incoluiſſe. Equidem antiquiſſima Aegyptiorum traditio, teſte (*r*) *Apione*, ferebat, Moſen ortu fuiſſe

(*o*) Antiq. Lib. II cap. XV § I.
(*p*) In Λητοῦς πόλις.
(*q*) Itiner. III p. 363, 364.
(*r*) Apud *Joſephum* adverſus Apionem Lib. II § 2 p. 469.

fuiſſe Heliopoliten, Μωϋσῆς ἦν Ἡλιουπολίτης. Verum, praeterquam quod Heliopolis non valde longe a Memphi abſit, videtur traditio haec aliquid ex vero trahere, ſed ita tamen, ut falſis aut minus certis rumuſculis interpolata fuerit. Ipſum quidem Moſen, ſtudio virginis regiae educatum, diſciplinae Sacerdotum (forte Heliopolitanorum) crediderim traditum, et ab his *omni ſapientia Aegyptiorum* (*s*) imbutum fuiſſe. Quae ſine dubio ratio eſt, ob quam Aegyptii conſtanti traditione (*t*) aſſeverarint, Moſen fuiſſe unum ex ſuis ſacerdotibus. De eo etiam non ambigendum eſſe putem, Heliopolin tempore Moſis a populo Iſraëlitico aedificatam, et non parum exornatam fuiſſe, quod alio loco (*u*) pluribus perſecuti ſumus. Hinc fama apud Aegyptios permanſit, Moſen patriam habuiſſe Heliopolin. Hodie vero (*v*) in ripa Nili orientali, ex adverſo eius regionis, in qua Memphim fuiſſe certo ſcimus, locus oſtenditur, ubi Moſes expoſitus flumini, et a virgine regia poſtea inventus eſt, quod obſervationem *Sicardi* ſuperiori Diſſertat. § 1 allatam, egregie confirmat. Novi quidem, etiam in Thebaide, circa oppidum, quod nunc vocatur *Arment*, quodque creditur eſſe veterum Ἑρμωνθὶς, iter facientibus locum occurrere, cui nomen (*w*) eſt *Beled Muſa*, quaſi dicas *regionem Moſis*, in qua Moſen editum fuiſſe in lucem, incolae opinantur. Verum for-

(*s*) Actor. VII. 22.

(*t*) Vide *Strabonem* Lib. XVI p. 523 [1103, 1104], *Joſephum* Lib. I adv. Apion. § 31, et *Chaeremonem* apud eumdem Lib. I § 32.

(*u*) Diſſert. IV § 8.

(*v*) *Corn. le Brun* Itinerar. Tom. I p. 192. Adde *Bernhardi Breydenbach* Itinerar. impreſſum Mogunt. 1486 p. 206.

(*w*) *P. Lucas* Itiner. I Part. I p. 100, *Vanſlebius* Relation. p. 407.

forſitan nomine iſto conſervata eſt memoria illius belli, quod Moſes, iuxta (*x*) traditiones antiquiſſimas, in partibus hiſce feliciter et laetiſſimo cum ſucceſſu geſſit atque perfecit, in cuius memoriam urbem quoque illic Hermupolin condidiſſe fertur. Ceterum vulgata et communior, ſicuti dixi, Aegyptiorum traditio eſt, Moſen ibi fere, ubi nunc eſt Vetus Cahira, fluentis Nili concreditum fuiſſe. Secundum traditionem eamdem, vitam poſtea Memphi in aula et conſpectu regis transegit. Nam cum poſt occiſum virum Aegyptium, fuga ſaluti ſuae conſuleret, dicitur, teſte *Artapano* (*y*) ἀπὸ Μέμφεως τὸν Νεῖλον διαπλεύσαντα ἀπαλλάσσεσθαι εἰς τὴν Ἀραβίαν. E regione Mempheos ab altero Nili latere mons eſt, hodie vocatus *Diouchi*, cuius verticem indigenae (*z*) *Meianat Mouſa* appellant, id eſt, *locum, in quo Moſes agebat cum Deo.* Ex adverſo vero iſtius montis in conſpectu pariter Mempheos alius occurrit mons, *Tora* (*a*) dictus, vel *Troianus* (*b*), in quo ſuperſunt ruinae Mona-

(*x*) Vide Auctorem Hebraeum Libri de Vita Moſis, a *Gaulminio* editum, p. 19, 20, et praeſertim *Artapanum* apud *Euſebium* Praepar. Evang. Lib. IX [cap. 27. p. 432] p. 252, edit. Rob. Steph., ubi traditionis huius vera origo reperitur. Adde *Ioſephum* Antiq. Lib. II c. X.

(*y*) Apud *Euſebium* loco cit. p. 353.

(*z*) *Sicard*, Lettre au Père Fleurian, dans le Tom. VI des Nouveaux Mémoires des Miſſions p. 13. Adde *Breidenbachii* Itinerar. p. 213.

(*a*) In Vitis et Apophthegmatibus Patrum mons ille vocatur Τρώη. Vide *Cotelerii* Monumenta Eccleſiae Graecae, ubi Tom. I p. 371 in geſtis Arſenii lego, εἰς Τρώην, τὴν ἄνω Βαβυλῶνος κατέναντι Μέμφεως.

(*b*) *Ptolemaeus* Lib. IV c. V p. 121.

Ἥ τε τοῦ Τρωϊκοῦ λίθου ὄρους,
Καὶ ἡ τοῦ Ἀλαβαστρίνου λίθου ὄρους,
Καὶ ἡ τοῦ Πορφυρίτου λίθου ὄρους.

Monaſterii (c) S. Arſenii, quae ab Arabibus cognominantur *Meravad Mouſa*, quaſi dicas *habitationem Moſis*. Ita traditiones hae omnes, et aliae praeterea, quas omiſi, in unum amice conſpirant.

§ VIII.

Concluſio.

Quodſi iam omnia haec rite expendimus, et inter ſe comparamus, intelligemus facile, in Aegypto, ab omni tempore, hominibus hanc inſediſſe perſuaſionem, Iſraëlitas quidem habitaſſe in tractu Heracleopolitico, ibique, cum pecoribus paſcendis, tum operibus magnificis et utilitatis admirandae conſtruendis, occupatos fuiſſe, dum interea reges Memphim, ſedem ſuam, omni ſtudio et induſtria exornarent, atque illic ius populis dicerent. Poſtremum hoc cumprimis, ex omnibus iis, quae attuli, indiciis adeo certis colligitur, ut vix credam, fore quemquam, qui id in dubium vocare ſuſtineat. Quo admiſſo, ruit profecto praecipuum contrariae opinionis fulcrum, neque nobis poſthaec Tanis, ceu caput Aegypti, obtici poterit. Si adhaec Memphim cogitemus ſedem regum Aegypti, eo ipſo facile perſpicimus, Iſraëlitas in Provincia Heracleotica degentes, propinquos fuiſſe aulae regiae, et Moſen internuncium, mandata regis ad populum, et

Καὶ ἡ τοῦ Μέλανος λίθου ὄρους,
Καὶ ἡ τοῦ Βασανίτου λίθου ὄρους,

Strabo p. 556 [lib. XVII p. 1162] quoque meminit montis Troïci, et pagi, qui dictus Τροία fuit, antiqua Troianorum habitatio, non procul a Memphi. Iungatur *Diodorus Sic.* Lib. I p. 52 [cap. 56, ibi *Weſſelingius*], ubi ſupra.

(c) *Sicardus*, ubi ſupra.

et populi deſideria ad regem, quod utique ſupponit hiſtoria Sacra, brevi temporis intervallo perferre potuiſſe. Contiguae enim ſunt duae hae Praefecturae, Heracleopolitica et Memphitica. Quin imo Heracleoticae Provinciae partem facit Memphim *Martianus Capella* (*d*) iis verbis, quae iam in ſuperioribus attulimus: *Heracleopolis autem inſula Nili eſt, in qua oppida Herculis, Arſinoita, et Memphis, quae ad ſummum Delta perveniunt.*

(*d*) Lib. VI p. 218.

DISSERTATIO VII,

QVAE

EST DE NOMINE GOSEN PRIMA.

§ I.

Fundamenti loco ſupponitur, vocem גֹּשֶׁן *eſſe Aegyptiacam.*

Poſtquam meam de ſitu Terrae *Goſen* ſententiam dilucide explicui, atque iis, quae ſeſe mihi obtulerunt, argumentis adſtruxi, puto nec iniucundum, nec inutile fore, ſi in nomen Terrae *Goſen* meditate inquiſivero, eiusque veram ſignificationem in lucem proferre allaboravero. Etſi enim (*) argumentum hoc ita comparatum eſt, ut ad vanam Aegyptiorum Theologiam et Mythologiam me non poſſit non deducere, illud tamen ſilentio involvere nefas duxi. Exiſtimo namque, ex iſta disquiſitione, non modo in antiquitatem gentis Aegyptiacae, ſed etiam in illam ipſam, quam

(*) et (**) Adſcripſit codici ſuo *Iablonskius*: „Excutiendum hic, quod auctor Bibliothecae Germanicae hic obiicit Tom. XXXVII p. 204, 205. — Et hic aliquid obiicitur ab eodem auctore p. 201, 202. Vide et *Lakemacheri* Obſervationes Philol. Parte VI p. 316, et illic notam, *x*." Ad eorum difficultates an alibi reſponderit *Iablonskius*, aut reſpondere potuerit, plane ignoro.

quam hactenus tuitus ſum, ſententiam, plurimum lucis redundare poſſe. Vt igitur rem hanc ab ovo exordiar, primum hoc mihi concedi velim, quod non puto a quoquam negatum, aut in dubium vocatum iri, vocabulum גֹּשֶׁן *Goſen*, quo ſcriptor hiſtoriae Sacrae uti ſolet, Provinciae huic ab ipſis Aegyptiis (**) fuiſſe inditum, adeoque nonniſi ex gentis huius ſermone patrio rite explicari poſſe. Res ipſa per ſe, quia *Goſen* nomen eſt Provinciae Aegyptiacae, Iacobidis ante adventum in regnum Aegypti incognitum, id iam ſatis loquitur. Eamdem quoque videmus eſſe rationem aliorum huiusmodi nominum, quae in hiſtoria Moſaica occurrunt, ſive illa ſint nomina virorum et mulierum, ut *Pharaonis*, *Potiphari*ſ, *Potipherae*, *Aſenethae*, ad quae, iuxta communem veterum (*a*) omnium conſenſum, ipſum quoque *Moſis* nomen, quippe a virgine regia Aegyptia ipſi impoſitum, referendum etiam eſſet; ut taceam nomen illud, tot disquiſitionibus Criticorum celebratum, צָפְנַת פַּעְנֵחַ, *Zophnath Paneach*, quo Ioſephum rex Aegypti cohoneſtari voluit Gen. XLI. 45, ſive illa ſint nomina regionum et urbium. Si enim excipias nomen מִצְרַיִם, quo *Aegyptum* Hebraei deſignare ſemper conſueverunt, cum ipſi regni eius incolae patriam ſuam (*b*) ΧΗΜΣ, aut dialecto The-

(*a*) Inter eos ſunt etiam Iudaei, *Ioſephus* Antiq. Lib. II c. IX § 6, *Philo* de vita Moſis p. 603, [tom. II p. 83], *Ezechiel Tragicus*, apud *Clementem Alexand.* Lib. I Strom. p. 345 [414], et *Euſebium* Praeparat. Evang. Lib. IX [c. 28 p. 437] p. 256 edit. R. Steph. (*).

(*b*) Id etiam *Plutarchus* obſervavit Lib. de Iſid. et Oſir. p. 364, Ἔτι τὴν Αἰγύπτου Χημίαν καλοῦσι. *Hieronymus* Quae-

(**) Plura legas t. I Opuſc. p. 152—158, atque de Ioſephi nomine Aegyptiaco p. 207—216.

Thebaidis ⲔⲎⲘⲈ, sive ⲔⲎⲘⲤ, constantissime appellent (*), si porro eximas nomen סכות, de quo (c) antehac iam disserui, reliqua fere nomina urbium et regionum, in historia Mosis occurrentia, *On*, *Ramses*, *Pithom*, *Etham*, *Pihachiroth*, sunt Aegyptiaca, eorumque ex sermone Aegyptiorum ratio facilis reddi potest. Quae cum ita sint, quis merito ambigat, nominibus illis nostrum *Gosen* similiter accensendum esse?

§ II.

In veram scriptionem et pronunciationem Aegyptiacam nominis Gosen *inquiritur.*

Verum enim vero, ut in curriculo, nobis proposito, tanto felicius decurrere, ut vim atque significationem vocabuli Aegyptiaci גשן tanto certius ostendere possemus, opus ante omnia esset, ut de vera et genuina nominis istius pronunciatione nobis constaret. Nam alioquin etymologiis huiusmodi, nisi ad eas confirmandas complura concurrant indicia atque argumenta, ego quidem nihil incertius esse ac inanius iudico. Alio

Quaestion. Hebr. in Gen. IX. 19 scribit *Ham*, aitque, *Aegyptum sic appellarunt Aegyptii*. Apud *Isidorum* Originum Lib. VII c. 7 legitur *Kam*.

(c) Dissert. V § 9.

(*) De antiquo Aegypti nomine ⲬⲎⲘⲤ plura dedit *Iablonskius* in Glossario, t. I Opusc. p. 404, 405, ubi annotatio mea consuli potest. Quid autem de notatione nominis Hebraici מצרים existimetur, videas in Auctario p. 440, 441.

Alio enim modo perſaepe nomina pronunciantur ab indigenis, alio modo peregrinarum gentium licetis et ſermonibus exprimuntur. Exemplis quibusdam id facilius et luculentius intelligitur. Pſ. LXXVIII. vſ. 12 et 43, memoratur urbs quaedam Aegypti illuſtris צֹעַן *Tſoan.* LXX interpretes, qui in Aegypto ſcribebant, nomen huius urbis, ſecuti alios Graecos, reddiderunt Τάνιν. Ipſi Aegyptii in translatione ſua ſcribunt ϢⲀⲚⲎ, *Shane.* Quis per ſe, ſine adiumentis, ex *Tſoan* exſculpere potuiſſet *Shane?* Aliud exemplum ſimile, ex S. Literis petitum, occurrit Exod. XIV. 2, ubi urbs quaedam Aegypti in Codice Hebraeo appellatur מִגְדֹּל, *Migdol.* Graeci interpretes, ſecuti pronunciationem Graecis uſitatam, ibi habent Μάγδωλον, *Magdolum.* Ipſi vero interpretes Aegyptii urbem ſuam patriam, ſibi haud dubie bene cognitam, efferunt ⲘⲈϨⲦⲰⲖ, *Meschtol.* Idque eſt ſine dubio verum et primitivum urbis illius nomen. Aliud iam ſuccurrit. Eſt deſertum in Aegypto, qua Libyae conterminа eſt, ab Anachoretis quondam magno numero habitatum, quod in vitis Patrum, et Hiſtoriae Eccleſiaſticae monumentis vocatur Σκήτη. De illo hanc ante aliquot annos obſervationem certiſſimam (*d*) per literas mecum communicavit Vir humanitate non minus, quam recondita eruditione ſummus, *Mat. Veyſſiere La Croze: In fine duorum Codicum Syriacorum, apud Aſſemanum in Biblioth. Orient. Tom.* I, *obſervatur, deſertum* Scetes *ſignificare Trutinam cordis, nimirum* ⲰⲤⲐⲎⲦ. Et quis vero ſine hoc teſtimonio ſci-

(*d*) Adde hic Collectionem meam MSS. vocum Aegyptiacarum ab antiquis commemoratarum in artic. Σκήτις. [tom. I Opuſcul. p. 311, 312, ibi not.].

ſciviſſet, Σχήτην Graecorum Aegyptiis ſonare *Schihet*? De vera igitur et genuina Aegyptiaca pronunciatione vocis יְשַׁי ante omnia ſollicitos nos eſſe oporteret, ne forſitan pro Iunone nubem amplecteremur. Nam Moſen quidem nomen hoc יְשַׁי, uti nec minus illud יִשָׁי, literis Hebraicis ſic fere expreſſiſſe, uti illa ab Iſraëlitis pronunciari ſolebant, dubio carere videtur. Et ut hic quidem in nomine יְשַׁי ſcriptioni Hebraicae illico nonnihil diffidamus, efficit litera ש, quippe qua Aegyptios uſos plane non fuiſſe conſtat. Non occurrit in libris Coptorum, qui ad nos pervenere, voce vere Aegyptiaca, in qua litera illa adhibeatur. Et ſi in voce aliqua reperiatur, tuto ſatis de illa iudicari poteſt, eam aliunde ortam, et in Aegyptum peregrinam (*) invectam eſſe. Conferamus igitur alia, ſi quae ſunt, antiquitatis monumenta, in quibus forte nominis huius mentio occurrit, ut ex inſtituta hac collatione, in inveſtiganda pronunciatione nominis, de quo quaerimus, genuina adiuvemur.

§ III.

Comparantur inter ſe vetera monumenta, in quibus nomen illud occurrit.

Hic vero primo loco nobis occurrunt LXX Seniores, quorum, quia in Aegypto ſcripſerunt, atque rerum Aegyptiacarum ſe non imperitos (*e*) fuiſſe oſtendunt,

(*e*) Id exemplis nonnullis probavi in *Remphah Aegyptiorum* § VI p. 21 ſqq. [17 ſqq.]

(*) Uſum literae ש in vocibus vere Aegyptiacis eſſe perrarum, ut fortaſſe nullum, pluribus dictum eſt t. I Opuſcul. p. 58.

dunt, aliqua omnino auctoritas esse debet. Illi גשן in versione sua constanter efferunt Γεσὲμ, quos cum unice sequantur ubique interpretes Aegyptiaci, mirum non est, eos pariter hanc scriptionem retinuisse ΓΕΣΕΜ, ex quo tamen aliquo modo colligimus, verum et antiquum Provinciae illius nomen Mosaicum eo tempore, quo vivebant interpretes Aegyptii, seculo III vel IV, iam exoleviſſe, et cognitum minus fuisse. Scriptionem hanc Graecorum *Drusius* nil nisi mendum fuisse putat. Ita enim iudicat: Γεσὲμ *pro* Γεσὲν *mendum esse putarim, qualia in* Ἐδὲμ, *in* Μαδιὰμ *et similibus* (*f*). Sed quia tamen LXX Seniores constanter ita scribunt Γεσὲμ, malim dicere, eos id nec fortuito, nec per errorem fecisse. Ab hac LXX Seniorum lectione et scriptione discrepat nonnihil illa, quae in *Artapani*, scriptoris Graeci, Fragmentis de rebus Iudaeorum, apud *Eusebium* occurrit. In uno horum Fragmentorum nomen hoc scribitur Καισάν. Ita enim legimus: Μετὰ δὲ ταῦτα παραγενέσθαι πρὸς αὐτὸν, τόν τε πατέρα καὶ τοὺς ἀδελφοὺς, νομίζοντας πολλὴν ὕπαρξιν, καὶ κατοικισθῆναι ἐν τῇ πόλει ΚΑΙΣΑΝ. In altero autem Fragmento nomen idem exprimitur Κεσσάν. Ita verba eius, ab *Alexandro Polyhistore* relata, sonant: Τοῦτον δὲ (Palmanothem regem Aegypti) τοῖς Ἰουδαίοις φαύλως προσφέρεσθαι· καὶ πρῶτον μὲν τὴν ΚΕΣΣΑΝ οἰκοδομῆσαι, τό τε ἐπ' αὐτῇ ἱερὸν καθιδρύσασθαι. Nolo tamen dissimulare, *Artapanum* in his videri sibi ipsum adversari. Vrbem enim Καισὰν vult a Iacobo et filiis illico post adventum in Aegyptum inhabitatam fuisse, sed urbem Κεσσὰν idem existimat conditorem habuisse regem illum Aegyptium, qui, mortuo iam Iosepho, Israëlitis male cupiebat. Ex quo intelligimus, eum, sed er-

(*f*) Notis maior. in Genes. XLVI. 34.

errore manifesto, Καισὰν et Κεσσὰν pro duabus diversis urbibus reputasse. Erroris origo inveniri potest in *Ramses* et *Ramasse*, quorum prius vocatur etiam *Gosen*, posterius non item. *Artapanum* de *Gosen* loqui, monere vix operae pretium est, cum res ipsa id clarissime loquatur, etsi veris falsa ex lutulentis traditionibus admisceat, *Gosen*que non regionem, sed urbem nuncupet. Alio modo denique, si coniectura mea vana non est, nomen hoc scriptum reperii in *Manethonis* Dynastiis. Nam ex prima eius Dynastia haec conservavit *Africanus* apud *Syncellum* p. 54: Οὐενέφης· ἐφ' οὗ λιμὸς κατέσχεν τὴν Αἴγυπτον μέγας. Οὗτος παρὰ Κωχώμην ἤγειρε Πυραμίδας. *Eusebius* apud eumdem p. 55 *Manethonis* verba sic retulit: Οὐενέφης, ἐφ' οὗ ὁ λιμὸς κατέσχεν τὴν χώραν, ὃς καὶ τὰς Πυραμίδας τὰς περὶ Κωχώνην ἤγειρεν. Observa haec referri ad Dynastiam primam, quae utique Israëlitarum adventu est multo antiquior. Lubens igitur concedo, *Venephen* antiquiorem esse Iosepho et Israëlitis. Sed quae de Pyramidibus adduntur, manifeste respiciunt tempora Israëlitarum et *Gosen*, sive regionem supra Memphim, ubi sunt Pyramides et Nomus Heracleopolites. Itaque *Africanus* forte haec addidit *Manethoni*, aliunde desumta, deceptus nominum similitudine. Quae nempe in Aegyptiorum libris de temporibus *Cenephris* tradita sunt, *Africanus* ad *Venephen* retulit. Similis error, etiam alio in loco cum *Venephe* commissus, observatur a Ven. *Vignolio* (*h*). Locum *Manethonis* de temporibus Iacobi et Iosephi Patriarcharum etiam accipit *Fourmontius* (*i*). Postquam

(*g*) Apud *Eusebium* Praepar. Lib. IX p. 251 [430].
(*h*) Tom. II Chronol. Sacr. p. 122. Adde *Syncellum* p. 170, et confer iterum *Vignolium* l. c. p. 797.
(*i*) Réflexions sur les histoires des anciens peuples Tom. II p. 114.

quam *Marshamus* (*k*) monuiſſet, a *Syncello* commemorari *Cochomen*, addebat: *Vox Cochome, vel, ut* Euſebius (*l*), Κωχώνη, *vix alibi legitur, neque liquet, quisnam ſit iſte Aegypti locus.* Mihi vero certum eſt, Κωχώνην eſſe *Goſen*, penes quam auctor ille antiquus, cuius verba exſcripſit *Manetho*, Pyramidas locat, non ſecus ac *Plinius*, qui (*m*), *inter Memphim*, inquit, *et Arſinoiten nomon, in Libyco, turres, quae Pyramides vocantur.* Sed de egregio illo hiſtoriae Aegyptiae fragmento plura poſthaec addemus.

§ IV.

Nomen Goſen *ſignificat* Ἡρακλεόπολιν.

Ex his igitur pateſcit, nomen illius in Aegypto regionis, quam Moſes גֹּשֶׁן vocat, ab aliis efferri Γεσὲμ, Καισὰν, Κεσσὰν, Κωχὼμ, vel Κωχὼν, quae poſtrema lectio, uti iamiam videbimus, non eſt ſpernenda, aut aliis poſtponenda. Haec diverſitas potuit oriri ex diverſa, in ipſa Aegypto, pronunciandi ratione. Nam uti duplicem fuiſſe in Aegypto dialectum, non parum a ſe invicem diſcrepantem, dialectum Thebaidis et dialectum Aegypti, novimus, ita duplex quoque fuit ſine dubio pronunciatio. Praeterea, id non modo olim in Graecia, ſed hodie etiam in omnibus fere Gentibus, aut regnis paulo amplioribus, facile obſervamus, in diverſis regionum partibus notabilem quoque in pronuncianda eadem lingua differentiam obtinere. Exemplum in Aegypto notatu inprimis

(*k*) In Canone Chronico p. 46.
(*l*) In Chronico Graeco, a *Scaligero* edito, p. 14.
(*m*) Lib. v cap. ix fin.

mis dignum oſtendit nobis *Oſiris*, nomen Divinitatis celeberrimae et ſanctiſſimae. Nomen illud non tantum a Graecis effertur Ὄσιρις, ſed in hunc ſonum communiter etiam ab Aegyptiis pronunciatum fuiſſe, fidem facit ipſa eorum nominis huius interpretatio apud *Plutarchum* (*n*). Nomen hoc quidam interpretabantur πολυόφθαλμον, *multioculum*, hancque rationem addebant, ὡς τὸ (lege τοῦ) ΩΣ, τὸ πολὺ, τοῦ δὲ IPI, τὸν ὀφθαλμὸν Αἰγυπτίᾳ γλώττῃ φράζοντες (lege φράζοντος), *ſiquidem* Os *Aegyptiorum lingua* multum, *atque* Iri *oculum ſignificet* (*). Quod ad priorem ſyllabam ΟΣ attinet, veritas huius interpretationis ex Coptorum libris, qui hodie ſuperſunt, ſexcentis exemplis poteſt confirmari. Τὸ πολὺ enim ab interpretibus his ſemper videmus reddi ⲟⲩ. Et tamen *Hellanicus*, apud eumdem *Plutarchum* (*o*) teſtatur, ſe audiviſſe idem nomen a ſacerdotibus pronunciatum fuiſſe Ὕσιρις. Plura dixi tam in Pantheo Aegyptiorum Lib. II cap. I, quam in Collectione MSS. vocum Aegyptiacarum [tom. I Opuſcul. pag. 187—189 c. n.]. Quodſi iam varias illas lectiones et ſcriptiones nominis אוסיר conſidero, atque ex noſtra literas Aegyptiacas pronunciandi ratione diiudico, fateor, mihi illam maxime placere, quam ex Fragmento *Manethonis* nobis conſervavit *Euſebius*, nempe ΚΩΧΩΜ, vel ΚΩΧΩΝ, cui deinde terminatio Graeca accedit, Κωχώμη vel Κωχώνη. Id vero interpretor Ἡρακλεόπολιν, *regionem Herculi ſacram et dicatam.*

§ V.

(*n*) De Iſid. et Oſir. p. 632 vel 355.
(*o*) In eodem libro p. 649 vel 364.

(*) Ὡς τοῦ — φράζοντος non dubitavit recipere Cl. *Wyttenbachius* p. 315.

§ V.

Interpretatio illa illustratur.

Paucis iam explicationem hanc nominis Aegyptiaci illustrabo, atque ex linguae Aegyptiorum monumentis residuis, uti et veterum testimoniis, confirmabo. Dixi ΚΩΧΩΜ, vel ΚΩΧΩΝ, Aegyptiis idem significare, quod Graecis Ἡρακλεόπολις. Prima syllaba ΚΩ est, ut ego puto, vox Aegyptia valde communis ⲕⲁϩⲓ, *Cahi*, vel, uti dialecto Thebaidis effertur, ⲕⲁϩ, *Cah*. Hinc sine dubio est, quod vocem istam in *Artepani* Iudaicis, Καισὰν scribi, supra iam deprehenderimus. Similem compositionis rationem in pluribus aliis Aegyptiorum vocibus, ac speciatim in urbe, Graecorum scriptis celebratissima, *Canobo*, ex ipsorum Aegyptiorum indicio observare possumus. Audiamus *Aristidem* Oratorem, ex ore sacerdotum Aegyptiorum id nobis ita (*p*) referentem: ἐγωγε ἤκουσα ἐν αὐτῷ Κανώβῳ τῶν ἱερέων οὐ τοῦ φαυλοτάτου — τὸ δ' οὖν Κάνωβος ἡμετέρᾳ φωνῇ δηλοῦν ἔφη χρυσοῦν ἔδαφος, *Ego sane in ipsa Canobo audivi ea de re disserentem sacerdotem, qui erat non ex infimis — Dixit mihi autem*, Canobum *nostra lingua significare tellus aureum.* Quam interpretationem veritati prorsus consentaneam esse, iam dudum docuit vir linguae et antiquitatis Aegyptiae longe peritissimus, *Mat. Veyssiere La Croze* (*q*). Nam

(*p*) In Aegyptio p. 96 a, edit. Graec. Florent. [t. II p. 359 edit. Iebbli].

(*q*) In Dissertat. ad *Chamberlaynium*, quae inserta est huius Collectioni Orationis Dominicae p. 135, 136. Plura legi possunt in Pantheo Aegypt. Lib. V cap. IV, et in Collectione vocum Aegyptiacarum MSS. v. Κάνωβος [t. I Opuscul. p. 106, 107, ubi et alia, huc pertinentia, in notis inveniuntur].

Nam ⲕⲁⲍⲓ Aegyptiis *terram*, *solum*, ⲛⲟⲩⲃ *aurum* designat. Possum quoque addere, ⲭⲱ et ⲭⲁ antiquioribus Aegyptiis dictam fuisse *terram*, quippe quod ex analogia linguae, et ex compositionibus vocum Aegyptiacarum, satis bene iam olim *Salmasius* (*r*) probavit. Inveni postea, hanc *Salmasii* observationem, etiam ex Coptorum libris, qui ad nos pervenerunt, stabiliri posse. Etenim (*s*) Iesaiae v. 6, interpretes Aegyptii vocem Graecam χέρσος reddiderunt ⲭⲁ ⲡϣⲱⲓ, quasi dicas *terram desertam* et *asperam*. Hoc magis ad scriptionem Hebraicam accedit.

Superest altera in illo *Gosenis* nomine syllaba, ΧΩΜ, vel ΧΩΝ, quae, si recte suspicor, exhibet nobis nomen vetustissimi cuiusdam Aegyptiorum Numinis, quod Graeci scriptores *Herculem* interpretari consueverunt. Egregie hoc confirmat auctor Etymologici Magni a *Sylburgio* editus (*t*): Τὸν Ἡρακλῆν φασὶ κατὰ τὴν Αἰγυπτίων διάλεκτον Χῶνα λέγεσθαι, *dicunt Herculem lingua Aegyptiorum* Chonem *vocari*. Id ipsum tangit sine dubio *Hesychius*, licet nominis huius scriptio apud illum (*u*) occurrat multo corruptior: Γιγνῶν, inquit, οἱ δὲ Γιγῶν, Πάταικος, Ἐπιπάταικος, Τραπέζιος, οἱ δὲ Αἰγυπτίων Ἡρακλέα, id est, interprete *Seldeno* (*v*), *Gignon nonnullis Gigon*, *Patae-*

(*r*) De lingua Hellenist. p. 391.

(*s*) Versionem Aegyptiacam Iesaiae integram hactenus oculis usurpare nondum licuit. Sed Fragmenta aliqua vidi in Lectionario Coptorum, quod Lutetiae Parisiorum in illustri Benedictinorum Coenobio San-Germanensi asservatur, ex quo et illud descripsi, quod hic laudavi.

(*t*) In voce Χῶνες.

(*u*) In hac voce.

(*v*) De Diis Syris syntagm. II cap. XIV fin.

Pataecus, *Epipataecus*, *Trapezius*. *Aliqui Herculem Aegyptium intelligunt*. In Dynaſtia XXIII. *Manethonis*, quae eſt Tanitarum, apud *Euſebium* in Chronico Graeco p. 16 ita legitur: Β. Ὀσόρθων ἔτη θ̄, ὃν Ἡρακλέα Αἰγύπτιοι ἐκάλεσαν. Apud *Syncellum* p. 75 ſcribitur Ὀσορθῶν. Id vero ita explico, cognominatum illum fuiſſe *Semum*, vel *Somum*, vel *Chomum*, Χωμ. Aliam huius nominis Aegyptiaci pronunciationem et ſcriptionem reperio in praeſtantiſſimo Catalogo regum Thebaeorum *Eratoſthenis*, in quo auctor ille vetus et celeberrimus vocabula Aegyptiaca fere ſemper Graece interpretatur. In illo enim (*w*) legitur: Σεμφρουκράτης, ὅ ἐϛιν Ἡρακλῆς Ἁρποκράτης. Ex hac igitur interpretatione *Eratoſthenis* diſcimus, nomen Aegyptiacum Σεμφρουκράτης compoſitum eſſe ex duobus, nempe ex Σεμ, quod *Herculem* ſignificat, et Φρουκράτης, quod *Harpocratem*, aliud Aegyptiorum Numen, deſignat. In eodem Catalogo et haec invenimus: Πέμφως — ὅ ἐϛιν Ἡρακλείδης, *Pemphos, quod vertitur Herculis filius*. Ex ante dictis per ſe unusquisque perſpicit, levi mutatione legendum eſſe Σέμφως, vel potius Σέμσφως, ſed quod per euphoniam ſcribitur Σέμφως, cuius rei in illo ipſo Catalogo alia exempla habemus; idque re ipſa ſignificat *Sobolem Sem*, ſeu *Herculis*, Ἡρακλείδην. Pluribus, quae poſſent videri longius petita, congerendis nunc libenter ſuperſedeo. Intelligi ſatis ex hiſce potuit, quod demonſtrandum nobis erat, fuiſſe Aegyptiis Numen aliquod, quod modo Χὼμ, modo Χὼν, modo etiam Σὲμ effertur, quodque Graeci *Herculem* interpretantur. Ratio autem diſcrepantis ſcriptionis haec eſt, quod Aegyptii in hoc nomine literam adhi-

bue-

(*w*) In Euſebianis Graecis *Scaligeri* p. 22 fin.

buerint, quam Graeci accurate exprimere non possunt; quamque modo per literam Γ, modo per Σ, modo per X, modo etiam denique per Θ, reddere laborant. Est illa litera ϫ, quae eumdem fere sonum habet, quem G, Gallorum, ante e vel i pronunciata. Nempe vox Aegyptia scribenda mihi videtur ϫⲣⲙ sive ϫⲱⲙ, quod Aegyptiis *virtutem*, *robur* et *potentiam* significat, quam in hoc Numine venerabantur Aegyptii, non secus atque in Hercule suo Graeci. His similia repetere veritus non sum in Pantheo Aegyptiorum Lib. II cap. III § 3 et 4, in notis ad *Eratosthenem* in *Vignolii* Chronologia Tom. II p. 739, 740, iterumque in Collectione vocum Aegyptiacarum MSS. v. Χὼν [tom. I Opusc. p. 415, 416, cum notis].

§. VI.

Interpretatio nostra confirmatur.

Video eamdem quoque nominis istius explicationem in mentem venisse reverendo plurimum et doctissimo viro, *Davidi Wilkinsio*, cui editionem N. Testamenti et Pentateuchi Coptici debemus, cuique, ut reliqua huius linguae monumenta, quae ex variis Bibliothecis descripta possidet, bono publico in lucem edat, vitam et secundam valetudinem precamur, etsi tamen cum aliqua cunctatione et addubitatione. Hunc in modum enim (*x*) scribit: Χὼν, *Nomen Herculis*, *a quo et Itali Chones dicti*. Post adducta mox Etymologici

(*x*) In Dissertatione de Lingua Coptica, in Collectione Orationis Dominicae *Chamberlayniana* p. III.

logici verba, ita pergit: *Vnde autem vox haec derivetur, an a* ϫⲟⲙ, *fortitudo, robur, an a* ϫⲓⲛ, *deliciae, benignus, an a* ϩⲱⲛ, *iubere, praecipere, incertum est.* Mihi vero, postquam et ea, quae hactenus in medium allata fuerunt, et testimonia veterum de Hercule Aegyptiorum mecum expendi, dubium amplius esse non potuit, quin illa, quam dedimus, sit vera nominis eius explicatio. Testem idoneum appello *Macrobium* (y), qui non leve iis, quae dixi, pondus addit: *Sacratissima*, inquit, *et augustissima Aegyptii Herculem religione venerantur. Ipse creditur et gigantes interemisse, cum coelo propugnaret, quasi* Virtus Deorum. Paulo ante idem de Hercule Graecorum dixerat, eum *hac appellatione* (antiquiore nempe Numinis Aegyptii) *dignatum fuisse, honoratumque hoc nomine* (Herculis), *quia nimia fortitudine meruit nomen* Dei Virtutem Regentis. Itaque nomen Herculis Aegyptiacum, teste *Macrobio*, significat *Deum* Virtutem *regentem*, vel Virtutem Deorum. Observa, Pythagoram, qui diu in Aegypto institutus erat, et ab Aegyptiis longe maximam ac praecipuam Theologiae suae partem acceperat, Herculem dixisse τὴν δύναμιν τῆς φύσεως, *virtutem naturae* (z). Existimo igitur, plenum Herculis huius nomen Aegyptiis sonuisse, ϫⲱⲙ ⲛ̀ⲛⲟⲩⲧⲓ, quod est *virtus Deorum*, ipsos vero communi sermone nomen id contraxisse et abbreviate ϫⲱⲙ, *virtutem*, appellasse. Plenioris illius, quod dixi, nominis vestigia videor mihi invenisse in Nomo *Sebennytico*, inferioris Aegypti. Testantur enim Itine-

(y) Saturnal. Lib. 1 cap. xx, p. 206.
(z) Ita *Iamblichus* in Vita Pythagorae, p. 131 [cap. 28 fin.].

neraria, quae apud eruditos in pretio sunt, urbem illam, quondam clarissimam, quam veteres *Sebennytum* dicunt, ab incolis hodieque nuncupari, et ab Arabibus efferri, *Sammanud*. Hoc primum mihi huius rei indicium dedit. Vehementer vero in suspicione illa postea me confirmavit Scala Coptico-Arabica, a *Kirchero* edita, in qua legimus (*a*) *Semanutha* ⲥⲉⲙⲁⲛⲟⲩⲑⲓ. Hoc est nomen antiquum Herculis in Aegypto. Idem nomen fuit antiquae illius et celeberrimae civitatis, quod Graeci, corrupte prorsus, scripserunt et extulerunt Σεβέννυτον.

§ VII.

Conclusio.

Ab hoc igitur Numine Aegyptiorum antiquissimo, nomen accepit Provincia Aegypti, quae supra Memphim sita est, bonis omnibus abundantissima, ideoque maximis encomiis cum veterum, tum auctorum recentiorum percelebrata. Nomen ipsum Provinciae huius Aegyptiacum, nemo, quantum scio (*b*), disertis et con-

(*a*) Vide *Kircheri* Linguam Aegyptiacam restitutam p. 208.

(*b*) Nisi forte nomen Aegyptiacum urbis Heracleopoleos occurrat in Itinerario *Antonini*, ubi p. 156, 175, edit. *Wesselingii*, haec leguntur:

Memphi	M. P. xx.
Peme	M. P. xx.
Isiu	M. P. xx.
Cene	M. P. xx.
Tacona	M. P. xx.
Oxyrycho	M. P. xxiv.

Apparet ex situ *Taconam* ibi fere poni, ubi sita erat *Heracleopolis*. Et vero *Tacon* ⲑⲁϫⲱⲛ Aegyptiis sonat,

ὁ Ἡρα-

conceptis verbis poſteritatis memoriae ita commiſit, ut veram eius rationem expoſuerit. Sed Graeci tamen, ex quibus omnem fere Aegypti veteris notitiam unice hauſimus, quique nomina, ab Aegyptiis urbibus et regionibus ſuis impoſita, in Graecum transferentes ſermonem, eo ipſo plerisque regionis *illius* nominibus patriis ac avitis oblivionem induxere, Provinciae huic nomen indiderunt Ἡρακλεοπόλεως. Hunc enim Aegyptiorum morem fuiſſe ſcimus, ut plerisque regni ſui Provinciis, et urbibus praeſtantioribus, nomina tribuerent alicuius Numinis, illic prae aliis culti, cuiusque tutelam incolae in primis ſibi expetebant. Id non tantum docet Geographia veteris Aegypti, in qua ubique occurrunt Διοσπόλεις, Ἀφροδιτοπόλεις, Ἑρμουπόλεις, Ἡρακλεοπόλεις, Πανοπόλεις et alia plura huiusmodi (*c*), ſed illius etiam rei veſtigia et indicia, non obſcura, in S. Scriptura nobis exhibentur. Quid enim aliud eſt נא אמון, urbs (*d*) Prophetis memorata, quod LXX Seniores, ipſam ſermonis Aegyptiaci vim expreſſuri, accurate verterunt μερίδα Ἀμμὼν, Nahum. III. 8, quam Graecorum Διόσπολις? Vrbem *On* Graeci interpretes reddunt Ἡλιούπολιν, quo nomine

ἢ Ἡρακλέους vel Ἡρακλεόπολις. An forte eamdem nominis originem habet Κομᾶ, vicus prope Heracleopolin minorem, apud *Sozomenum* Lib. I Hiſt. Eccl. cap. XIII p. m. 343. A. Videndum porro, an huc pertineat ΣΗΝος, urbs Aegypti, cuius ex *Hecataeo* meminit *Stephanus Byzantinus*.

(*c*) Id aliquo modo proprium fuit et peculiare Aegypto. *Diodorus* certe Lib. I p. 12 [cap. 12] monet, ex omnibus orbis Provinciis in ſola Aegypto multas eſſe urbes, ab antiquis Diis, ut Iove, Sole, Herme, Apolline, Pane, Eilithyia aliisque pluribus conditas.

(*d*) Plura de hoc nomine obſervavi in Remphah § VI [ſupra p. 21, 22] p. 23, 24.

mine ab omnibus ſcriptoribus deſignatur, quod ipſum nomen poſtea, ut exiſtimo (*e*), urbi eidem inditum רעמסס etiam longe luculentius exprimit. Fuit igitur etiam *Heracleopolis* Herculi Aegyptiorum ſacra et devota. Cumque multa, ſuperioribus Diſſertationibus iam expoſita, ſuadeant, ut eodem in tractu collocemus *Goſen*, ubi Graeci Ἡρακλεόπολιν ponunt, cum alia concurrant ad hanc originationem ſtabiliendam, nemo vitio mihi vertet, ſi eam adſtruxero, donec alius quis meliora et certiora in medium protulerit.

(*e*) Rationes dedi Diſſertat. IV § 8 [p. 137 ſqq.].

DISSERTATIO VIII,

QVAE

EST DE NOMINE GOSEN SECVNDA.

§ I

Dissertationis huius argumentum.

Exposuimus antecedente Dissertatione, quomodo nomen Terrae *Gosen*, in Historia Mosaica conservatum, ex sermone Aegyptiaco explicandum censeamus. Verum quando facile animo praevideo, expositionem hanc nostram paradoxam valde, magnisque difficultatibus impeditam, non paucis visum iri, praecipuis dubiis; quae adversus sententiam nostram cum aliqua specie obiici possunt, hac Dissertatione occurrendum et pro viribili satisfaciendum esse putavi. Duo autem cumprimis intelligo ab eruditis in dubium vocari posse; quae tamen interpretatio mea ut certa ponit ac admittit, et sine quibus illa vera omnino esse nequit. Alterum eorum respicit statum Idololatriae in Aegypto, tempore Israëlitarum, in universum. Alterum spectat ad cultum sigillatim Herculis, qui, si interpretatio mea aliquid solidi habet, tempore utique Iosephi Patriar-

triarchae, in Aegypto radices iam egit. Quod poſtremum argumentum, ubi excutiendum erit, eadem opera explicabitur, qualenam illud Aegyptiorum Numen fuerit, quod ſub *Herculis* nomine Graeci nobis repraeſentant.

§ II.

Quaeritur, an, tempore Ioſephi, idololatria in Aegypto iam fuerit.

Quaeri igitur primo, nec immerito, poteſt, utrum iam tempore Ioſephi Patriarchae, craſſa in Aegypto idololatria mentes hominum faſcinaverit, et ab uno Creatore averterit. An credemus, illa iam aetate, ſapientes Nili accolas ſupplicaſſe Iovi, Oſiridi, Iſidi, Mercurio, Minervae, et ut alios omittam, Herculi, ut ab hoc poſtremo praeſtanti Aegypti Provinciae iam tum nomen inditum fuerit? Multis id negandum omnino videtur, quos inter nunc nominabo unum *Grotium*, cuius in his rebus peritiam et perſpicaciam nemo diffitetur. Teſtatur is, difficulter ſe adduci poſſe, ut credat, tempore iam (*a*) Moſis, nedum (*b*) Ioſephi Patriarchae, ſuperſtitionem illam idololatricam in Aegypto invaluiſſe, quae tot Graecorum ſcriptis poſtea memoriae prodita eſt. Imo plerique, qui in hiſtoria Moſaica veſtigia quaedam idololatriae Aegyptiorum deprehendi fatentur, circa ipſa tamen Moſis tempora ſubſiſtunt, nec altius adſcendere audent. Celeberrimus *Witſius*, quando ea de re adverſus *Marshamum* et *Spencerum* diſputat, hoc tantum putat concedi poſſe, quod

(*a*) Vide Notas eius in Exod. VIII. 26.
(*b*) Vide eumdem in Geneſ. XLVI. 34.

quod et demonſtrandum in ſe ſuſcipit (*c*), *Brutorum et quidem Boum cultum adeo apud Aegyptios antiquum fuiſſe, ut Iſraëlitarum ex Aegypto exceſſum anteceſſerit.* Quod ſi vero idololatriae nulla, ante Moſis tempora, veſtigia certa apparent, ſi probabile potius non eſt, uti cenſet *Grotius*, tempore iam Ioſephi, cultum illum, quo poſtea Aegyptus vehementer inclaruit, obtinuiſſe, in dubium vocari maximo certe iure poterit, utrum mea nominis *Goſen* interpretatio fidem aliquam mereatur. Veſtigiis *Grotii* inſtitit, remque hanc pluribus argumentis probare voluit *Caſtus Innocens Anſaldi*, in Diſſertatione de Religione Ioſephi vindicata a criminationibus *Basnagii*, quae prodiit Neapoli a. 1740 (*d*).

§ III.

Reſpondetur affirmando, idque primo oſtenditur argumentis quibusdam probabilibus.

Equidem *Marshamus* (*e*) idololatriae in Aegypto originem ipſo Abrahamo antiquiorem ſtatuit. Sed num huius ſuae opinionis rationes dederit idoneas, id aliis penſitandum relinquo. *Witſius* certe, quando hypotheſes *Marshami* ſub examen vocat, tempora Moſis, ut modo monebam, ſupergredi auſus non eſt. Ego

(*c*) In *Aegyptiacis* Lib. II cap. II § 6 et ſeqq. Conſulendus hic in primis *Bochartus* Part. I Hierozoici pag. 644 ſqq.

(*d*) Vide die Gelehrte Zeitungen anni 1740 num. LXXV p. 667.

(*e*) Canone Chron. ad ſecul. IV p. 55, 60 ſq., cum Abrahamum referat demum ad ſecul. V. Sententiam hanc aliis argumentis adſtruit *Spencerus* de Legibus Hebr. Part. I p. 234.

Ego (*) tamen in ipsa *Mosis* historia vestigia deprehendo satis extantia, ex quibus mihi indubitate constat, Iosephi iam aevo Aegyptios idololatriae cultu sese vehementer polluisse. Indicium sane huius rei non obscurum elicimus ex Genes. XLIII. 32, ubi ita narrat Scriptor Sacer: *Apposuerunt cibos Iosepho seorsim, et fratribus eius seorsim, Aegyptiis etiam comedentibus apud eum seorsim, non enim poterant Aegyptii sumere cum Hebraeis cibum, quia abominationi id est in Aegypto.* Ad quem locum recte ita commentatur *Onkelos: Quia pecus, quod Aegyptii colunt, Hebraei comedunt.* Similia illic adfert etiam *Ionathan.* Haec enim fuit superstitio Idololatrica, Aegyptiis ab antiquissimis temporibus propria, quod animalia crederent esse quaedam (*f*) μιμήματα τοῦ θείου, *ima-*

(*f*) Vide *Porphyrium* Lib. IV de Abstinentia p. 372 sqq., 376 sq. edit. Lugdun. [p. 314 sqq. edit. novae]. *Plutarchus* de Is. et Osir. p. 678 [c. 74], Ἀσπίδα καὶ γαλῆν καὶ κάνθαρον, εἰκόνας τινὰς ἐν αὐτοῖς ἀμαυρὰς, ὥσπερ ἐν σταγόσιν ἡλίου, τῆς τῶν θεῶν δυνάμεως κατιδόντες. *Hyginus* in Poëtico Astronomico p. 220 ed. Sant-Andraeanae [cap. 28 p. 480, 481] scribit: „ Aegyptii autem sacerdotes et nonnulli poëtae dicunt, cum complures dii in Aegyptum convenissent, repente venisse eodem Typhona, acerrimum giganta et maxime deorum inimicnm: quo timore permotos in alias figuras se convertisse, Mercurium factum esse Ibin, Apollinem autem, quae Threicia avis vocatur, Dianam aeluro simulatam. Quibus de caussis Aegyptios ea genera violari non sinere demonstrant, quod *deorum imagines* dicantur." Quia Aegyptii magnifica de brutis animantibus loquuntur, dicunt-

(*) Integram dissertationis huius partem, quae § III et IV continetur, repetiit *Nic. Barkeyus* in Symbolis Litterariis Haganis Cl. II Fasc. 3 p. 461—472, suamque subnexuit mantissam p. 473—480; de qua quid iudicem, dixi tom. I horum Opusculorum p. 203, 304.

imagines aeterni numinis vivas, quibus aliquo modo virtutes et effectus Numinis adumbrarentur. Ea igitur de causa, animalia Aegyptii, ut symbolicas virtutis Divinae imagines, impense venerabantur, illisque, quae religio sacra esse iubebat, vesci, summum et morte expiandum nefas putabant (*g*). Ea quoque causa erat, cur cibum capere cum Hebraeis, uti nec minus cum aliis gentibus, quibus animalia pro cibo erant, abominationi ducerent. Idcirco dicitur, *Pastorem*, i. e. Iudaeum, *Aegyptiis fuisse abominationi*, Genes. XLVII. 6. In eo frustra se torquet *Schuckfordus* (*h*). Frustra rationem aliam nobis offerunt Chronologi quidam, inprimis *Pezronus*, opinantes, derivandum hoc esse ex odio Pastorum, qui ante quatuor secula in Aegypto imperitasse dicuntur (*i*). Frustra

dicuntque illa esse *quaedam Dei symbola*, aut quocumque alio nomine ea appellare visum est illorum prophetis, affirmat *Celsus*, induci eos, qui rerum illarum sunt periti, ut se non frustra illis initiatos esse cogitent. Addit *Celsus*, Christianis Aegyptios esse ridiculo, proponere tamen multa non spernenda aenigmata, quandoquidem ideas aeternas, non autem, quod vulgus putat, mox interitura animalia, colendas esse doceant. Vid. *Origenes* Lib. III contra *Celsum* pag. 121 [cap. 18, 19, p. 458]. Pseudo-*Clemens* Lib. V Recognit. c. 21: „ Addunt praeterea *Aegyptii* etiam illud, *animalia figuras* esse et *allegorias virtutum* quarumdam, quibus adiutricibus regatur humanum genus." Vide de hac idololatria iudicium *C. I. Anfaldi* in Actis Erudit. Lipsi. a. 1759 m. Martio p. 115 sqq.; et confer Prolegomena ad Pantheon Aegypt. p. XIX sqq.

(*g*) Singularem prorsus huius rei rationem reddere annisus est *C. I. Anfaldi*. Vide die Gel. Zeitungen 1748 num. LII p. 458, 459, et Acta Erudit. Lipsiensia anni 1749 mens. Mart. p. 113 sq., 117 sq.

(*h*) Histoire du Monde Tom. I p. 332.

(*i*) Eam vide expositam a *Vignolio* Tom. I Chronol. S. p. 598, 599, et *Baraterio* in Dissertation. ad *Beniaminem Tudelensem*.

ſtra quoque, quod modo dixi, negat *Grotius*, aliasque rationes comminiſcitur. Verum haec ſunt precaria. Ratio mea nititur teſtimonio ſcriptorum vetuſtiſſimorum. Et hoc teſtimonium res ipſa confirmat. Audiamus modo *Herodotum* (*k*), hiſtoricorum Graecorum, qui ſuperſunt, antiquiſſimum, qui eamdem rem narrat, quam Moſes, eamdemque huius rei rationem, ab Aegyptiis auditam, reddit, quam Paraphraſtae Chaldaici exponunt. Verba eius, compendii cauſa, ex verſione Latina exhibebimus: *Boves mares, eosdemque mundos, ac vitulos univerſi Aegyptii immolant; at foeminas eis immolare non licet, ut quae Iſidi ſacrae ſint, — bovesque foeminas omnes itidem Aegyptii venerantur ex omnibus pecudibus longe plurimum, etiam multo magis, quam oves: eoque nemo Aegyptius vel Aegyptia, Graeci viri aut os ſuaviaretur, aut cultro, vel veru, vel olla eius uteretur, aut puri bovis carne, Graeco cultro inciſi, veſceretur.* Vides veram et genuinam rationem illius moris, quem Moſes memoriae prodidit. Hunc morem hodie etiam ſequuntur, Aegyptiorum in multis aemuli, Brahmanes Indici, quibus mos Chriſtianorum Europaeorum, qui vaccas iugulant, et animalium omnis generis carne veſcuntur, abominationi eſt. Quapropter ipſis neque Chriſtianum, neque ſuppellectilem eius cibariam attingere licet, ne fortaſſe tali contactu polluantur. Diſcimus id e Relationibus Miſſionariorum in Iudiam Danicorum, Continuat. VII p. 340, 341.

Aliud argumentum videor mihi capere poſſe ex nomine mulieris illius Aegyptiae, quam, ex genere ſacerdotali ortam, Ioſephus Aegypti Prorex in matrimonium duxit, quod Moſes Hebraice אָסְנַת Geneſ. XLI. 45, 50. XLVI. 20, Graeci vero interpretes Ἀσε-

(*k*) Lib. II cap. 41.

Ἀθενὲθ efferunt, quodque ei, more (*l*) Aegyptiis perquam familiari, a Numine quopiam impoſitum fuiſſe videtur. Suſpicor certe, poſtremas literas ת, continere nomen Divinitatis in Aegypto religioſiſſime cultae, quam Aegyptii (*m*) Nit, vel Neith nuncupabant, teſte *Platone* (*n*), quamque Graeci *Minervam* explicant et interpretantur. Ab hoc Numine, Aegyptiis ſanctiſſimo, nomen habuit celeberrima gentis illius regina *Nitocris*, id enim *Eratoſthenes* (*o*) Graece ſic interpretatur Ἀθηνᾶν νικηφόρον, *Minervam victricem*. Inde, ut alia nunc taceam, nomen etiam habet Πατενεῖτ, Minervae Aegyptiae ſacerdos, de quo §. ſequenti dicemus. Poſſem etiam, nec immerito, pro adſtruenda mea ſententia adferre, quod de ſacerdotibus Aegyptiorum legimus Gen. XLVII. 22, 26. Non obſcure enim illic loci ſubinnuitur, numerum ſacerdotum in Aegypto iam tum fuiſſe longe maximum, illosque certas Aegypti partes ſibi habuiſſe aſſignatas, ut ex earum reditibus cultum Divinum, multiplici rituum cumulo ſupra modum oneratum, et ſumtuoſum valde, obire poſſent, quod prolixe a ſcriptoribus Graecis exponitur. Sed ne in his nimius videar fuiſſe, ad certiora progrediar.

§ IV.

Idem oſtenditur argumento certiori, ex nomine Potipherae.

Si enim ea, quae hactenus attuli, non improbabilia videbuntur aequis rerum aeſtimatoribus, auſim dicere, ar-

(*l*) De illo dixi in *Remphah Aegyptio* p. 80, 81 [62, 63].
(*m*) Plura vide in *Remphah* meo p. 74, 75 [59].
(*n*) In Timaeo p. 474 edit. Graec. Baſil.
(*o*) Vide itidem *Remphah* citatum p. 75, 76 [59, 60], et Collectionem vocum Aegypt. [t. 1 Opuſcul. p. 164].

argumentum, quod nunc offeram, aliquam certitudinis et evidentiae speciem praeseferre. Illud vero desumtum est ex Genes. XLI. 45, 50, XLVI. 20, ubi Aseneth, quam matrimonio sibi iunxit Iosephus, Aegypti Prorex, appellatur בַּת־פּוֹטִיפַרְע כֹּהֵן אֵן, *filia Potipherae sacerdotis On*. Habebat igitur Aseneth patrem Potipheram, כֹּהֵן אֵן, quod malim reddere cum veteribus, plerisque, *sacerdotem Heliopoleos*, quam cum recentioribus quibusdam, *Praefidem*, aut *Gubernatorem Onii*, quibus tamen praeiverunt *Onkelos* et *Ionathan*, Paraphrastae Chaldaei, et *R. Levi* Iudaeus (*p*), qui sine dubio putarunt, suadere id (*q*) *pietatem Iosephi, ab idololatriae communione alienissimi*. Etsi enim non negem, vocem כֹּהֵן, si vim vocis spectes, significare posse virum principem, eaque significatione aliquando accipi, hic tamen nihil in verbis Mosis occurrit, quod nos cogeret a communi vocis illius usu discedere. כֹּהֵן Genes. XLVII. 22 aperte designat sacerdotem Aegyptium. Ita ergo et hic (*). Rectissime igitur LXX Seniores, nec minus *Philo* (*r*) et *Iosephus* (*s*), verba Hebraica ita reddunt: Πετεφρῆ, Ἱερέως Ἡλιουπόλεως, quos sequuntur veteres Ecclesiae doctores (*t*). Idque nomen ipsum huius viri פּוֹטִיפַרְע, quod Graeci exprimunt Πετεφρῆ, vel, uti *Alexander Polyhistor* ex *Demetrio*, an-

(*p*) Apud *Drusium* in Genes. XLI. 45.
(*q*) Ita *Tremellius* in Genes. XLI. 45.
(*r*) De Iosepho p. 543 [tom. II p. 58].
(*s*) Antiquit. Lib. II cap. 6. §. 1.
(*t*) Ita et *Artapanus*, cuius verba adducit *Alexander Polyhistor* apud Eusebium Lib. IX Praeparat. Euangel. c. 23 p. 451

(*) De notione vocis כֹּהֵן Gen. XLI. 45, item de summa sacerdotum dignitate in regno Aegyptiaco, docte disputavit *I. C. Bielius* in Symbolis Litter. Ilaguis Cl. II Fasc. 3 p. 447—460.

antiquo scriptore, apud *Eusebium* (*u*) habet, Πεντεφρῆ, designat *sacerdotem solis*, eius Numinis, quod One, vel Heliopoli, religiosissime colebatur. Etenim ultima huius nominis Aegyptiaci (*v*) pars פרע, quod optime Graeci expresserunt φρῆ, est nomen ab Aegyptiis soli tributum, ΦΡΗ, ἥλιος. Communiter quidem Aegyptii Solem, summum gentium omnium Numen, sub symbolicis *Osiridis* et *Hori* nominibus adorare et colere consueverant, sicut Graeci et Romani sub *Apollinis* nomine, sed Heliopoli, sub ipso hoc vulgato et communi nomine ΦΡΗ sacra Soli fiebant, a quo cultu urbs etiam nomen Heliopoleos traxit. Quae causa est, ut nomen hoc ΦΡΗ Aegyptiis sanctissimum et summopere venerabile esset. Discimus hoc inprimis ex *Martiano Capella*, cuius locum perlibenter adscribam, ut simul de eodem observationem in-

p. 251 [429]. Auctor historiae Asenethae, editus a *Fabricio* in Codice Pseudepigrapho Vet. Test. Vol. II p. 86: ἦν δέ τις ἀνὴρ ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ (Heliopoli) ὀνόματι Πεντεφρῆς, Ἱερεὺς ὢν Ἡλιουπόλεως καὶ Σατράπης τοῦ Φαραῶ. Et cap. 3 p. 90: ἐπέστειλεν αὐτοῦ ἄνδρας ιε πρὸς Πεντεφρῆ τὸν Ἱερέα Ἡλιουπόλεως.

(*u*) L. cit. Ita semper vocatur in historia Asenethae, quam Graece edidit *Fabricius* in Codice Pseud. V. T. vol. II. Sic Zaphnath-Paneach a LXX interpretibus in codicibus antiquissimis modo exprimitur Ψονθομφανὴχ, modo etiam Ψοθομφανὴχ, eliso τῷ ν.

(*v*) Eadem compositio occurrit in *Pharaone* הפרע *Hophra*, Ierem. XLIV. 30, ubi Graeci interpretes scribunt Ὀυαφρῆ, quos sequuntur scriptores veteres Christiani. Viri eruditi jam dudum observarunt, hunc eumdem esse, quem *Herodotus* et *Diodorus* vocant Ἀπρίης. Hoc vero est ΔΥΕΦΡΗ, *Sacerdos Solis*. ΔΥΕ *Sacerdotem* significat *gregarium*, etiam *Sacerdotem Idolorum*. Vide Genes. XLVII. 22, 26 *Africanus* et *Eusebius* apud *Syncellum* pag. 75, 76, scribunt Οὐαφρίς. Conf. *Vignolii* Chronol. S. Tom. II p. 149.

ingeniosissimam viri omni mea laude maioris, *Maturini Veyssiere La Croze*, cum erudito ac deliciarum harum studioso lectore communicem. Verba *Capellae* (*w*) ita habent:

Salve vera Deum facies vultusque paternae
Octo et sexcentis numeris, cui litera trina
Conformat sacrum nomen, cognomen et omen.

Vides sacrum nomen, tribus (*x*) constans literis, quae numeros continent DCVIII. Quod aenigma qui solveret, nemo hucusque prodiit. *Grotii* coniecturas, quas in notis attulit, quia rei non satisfaciunt, apud ipsum legi malo. Sed posthaec nemo profecto dubitabit, quin *Martianus*, qui in illo libro, ex Theologia Aegyptiorum, res tot reconditas nos docuit, in animo habuerit nomen ΦΡΗ, quippe quod, ut vere me monuit Vir ille doctissimus, cuius mentionem feci, et ex tribus literis compositum est, et numeros conficit DCVIII. Dabimus ipsum *Martianum* interpretem, qui ibidem ita canit:

Solem *Te Latium vocitat, quod solus honore*
Post Patrem sis lucis apex.

et mox

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim.

His omnibus vero sanctius ait esse nomen illud, quod trinis literis constat, et numeros DCVIII complectitur, nempe ΦΡΗ. Et certe in Amuletis (*y*) Gnosticorum, ad averruncandos morbos, aliaque mala pro-

(*w*) Lib. II de Nuptiis Philologiae p. 43, 44.

(*x*) Videndum, an huc etiam pertineant ea, quae apud *Eusebium* Praeparat. Lib. I p. 25 ed. R. Steph., [c. X p. 39] ex *Sanchoniathone* leguntur. ὧν εἷς ἦν καὶ Ὄσιρις, τῶν τριῶν γραμμάτων εὑρετής.

(*y*) Vide Illustris *Montfauconii* Thesaur. Antiq. Tom. III.

propellenda conflictis, saepius reperimus, nomen hoc ΦΡΗ expressum, tanquam eximia prorsus et veluti magica virtute praeditum. Agnoscunt hoc etiam veteres, qui eam ob rem Petephren nostrum, non tantum sacerdotem Heliopoleos, sed illic etiam Solis ministrum fuisse, tradunt. Hoc sine dubio dicere voluit *Eustathius Antiochenus*, de Manasse et Ephraimo, Iosephi filiis, ita (z) scribens: Οὓς ἔτεκεν αὐτῷ Ἀσενὲθ, θυγάτηρ Πετεφρῆ Ἡλίου. Quae verba certe sunt corrupta, adeoque perperam a *Leone Allatio* ita conversa: *Quos peperit illi Asineth, filia Petephrae, filii Heliae.* Facile erat corrigere Πετεφρῆ Ἱερέως Ἡλίου, *Petephrae sacerdotis Solis*, quod res ipsa loquitur, sensusque requirit. Et ita plane legimus apud *Philonem* Iudaeum (a): Ἐγγυᾷ πρὸς γάμον αὐτῷ τὴν ἐπιφανεστάτην τῶν κατ' Αἴγυπτον Ἱερέως Ἡλίου θυγατέρα (*), *Despondet ipsi filiam clarissimi apud Aegyptios viri, qui Solis habebat sacerdotium.* Et id quidem tota haec vox composita פוטי־פרע, vel, ut Graeci scribunt, Πετεφρῆ et Πεντεφρῆ, re ipsa significat; quod nomen igitur, non pro nomine proprio, sed pro nomine dignitatis habendum est. Ἱερεὺς hic idem est, quod Ἀρχιερεὺς. Ita Graeci saepius. Exempla illius

III Part. II Lib. III Cap. V planche CLV. Adde Tabul. CXLV, ubi in gemma legitur ABPACAΞ ΦPHP pro ΦPH; et Tabul. CLXII in gemma repraesentatur Sol in curru, quatuor equis vecto, adscriptis his literis ΦP, ubi sine dubio excidit aut deletum est H. In Tab. CLXV gemma occurrit, insculptas habens literas ΦPHN, quomodo eadem vox repraesentatur Tab. CLXVII.

(z) In Hexaëmeron p. 76. edit. *Allatii.*

(a) De Iosepho p. 543 [t. II p. 58].

(*) Corruptus locus ita constituendus, ut reddidit interpres: ἐγγυᾷ π. γ. α. τὴν τοῦ ἐπιφανεστάτου τῶν κ. Α. Ἱ. Ἡ. θ.

lius rei plurima ſuppeditat *Io. Maſſonus* (*b*). Nempe unaquaeque Aegypti urbs, communiter uni, ſaepe etiam pluribus Numinibus ſacra erat. Numen porro unumquodque habebat ſibi dicatos ſacerdotes, numero plurimos, diverſi generis, quorum omnium unus erat Praeſes ac Princeps, quem Graeci vocant (*c*) Ἀρχιερέα, et τὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἱερέα (*d*), uti nec minus (*e*) Ἀρχιπροφήτην, quique κατ' ἐξοχὴν ſacerdos huius vel illius Numinis, huius vel illius urbis nuncupabatur. Exemplum dabo, quod apud *Proclum*, celebrem *Platonis* interpretem occurrit, qui de Solone per Aegyptum peregrinante refert (*f*): Ἐνέτυχε Σόλων ἐν Σάει ἱερεῖ ὀνομαζομένῳ Πατενεῖτ, *Converſatus eſt Solon Sai cum ſacerdote, cui nomen fuit Pateneit.* Memorabile eſt, *Plutarchum* (*g*), rei huius aliquoties mentionem inſcientem, ſacerdotem illum vocare non *Pateneit*, verum *Sonchim*, aut *Sonchiten*. Nempe *Sonchis* erat viro huic nomen proprium, *Pateneit* dignitatis. *Neit* enim, ut ſupra iam monuimus, Numen erat ab Aegyptiis religioſiſſime cultum, et quidem Sai, uti veteres (*h*) teſtantur. Et vero *Pateneit* Sacerdos erat Saïticus. Dubium itaque eſſe non poteſt, quin nomine *Pateneit* exprimatur *ſacerdotium Neithae*, ſicuti nomine *Potipherae* vel Πετεφρῆ *ſacerdotium Solis.* Poſſem plura huiusmodi compoſitionis

(*b*) In Collectaneis Hiſtoricis de vita Ariſtidis Rhetoris § 11 num. 5, 6, 7.

(*c*) Vide *Herodotum* Lib. II c. 37, 142, 143, 151, *Diodorum Sicul.* Lib. I p. 54, 64 [c. 58, 70].

(*d*) *Aelianus* de Anim. Lib. XI c. 33.

(*e*) *Clemens Alexand.* Lib. I Strom. [p. 356].

(*f*) In Timaeum *Platonis* Lib. I p. 31.

(*g*) In vita Solonis p. 168 fin., et de Iſid. p. 632 ed. Steph. [p. 92, 354].

(*h*) *Plato* in Timaeo p. 474. *Chalcidius* in verſione Timaei p. 11. *Proclus* Comment. in Timaeum p. 30.

nis exempla luculentiſſima, quae ſane in hiſtoriae Aegyptiae monumentis rara non ſunt, adducere, poſſem etiam rationem huius compoſitionis ex ſermone Aegyptiaco illuſtrare et egregie confirmare. Sed memini, me reverentiam debere lectoribus, quibus forte digreſſione hac paulo prolixiori, ſtomachum et faſtidium movi. Res ipſa mihi certiſſima et indubia eſt, Πετεφρῆ Aegyptiis (*i*) fuiſſe *ſummum ſacerdotem Solis* Heliopolitanum.

§ V.

Tranſitur ad cultum Herculis Aegyptii, qui ab Hercule Graecorum eſt diverſiſſimus.

Oſtendi, niſi me opinio mea dicipit, ex ipſis hiſtoriae Moſaicae indiciis, Aegyptios, tempore iam Ioſephi Patriarchae, relicto Creatore, cultum religioſum obtuliſſe creaturis, et idola gentium veneratos fuiſſe. Sed alia ſupereſt quaeſtio, quam dimittere intactam nefas fuerit, utrum, illo Ioſephi aevo, Aegyptii religioſa veneratione Herculem etiam, ceu Numen ſanctum, coluerint, illi templa et urbes conſecraverint, et conſecrare omnino potuerint. Ego, ſi id de Graecorum Hercule, Alcmenae filio, Thebano, tot Poëta-

(*i*) Aegyptiace ſcriberes ΠΖΔΝΤΦΡΗ, quod Graeci, corrupta aut contracta, et in hac voce, et in ſimilibus compoſitionibus, pronunciatione efferre ſolent Πετεφρῆ, vel Πατεφρῆ, nonnunquam etiam Πεντεφρῆ, ut ſupra vidimus, quae ſcriptura genuinam pronunciationem omnium optime et proxime refert. Eadem ſcriptura occurrit in Πεντεάτυρις, rege Thebaeorum, in *Eratoſthenis* Catalogo. Vide *Euſebii* Chronicon Graecum edit. *Scaligeri* p. 23. Significat hoc nomen *Summum Sacerdotem Athor* vel *Veneris*, de quo Aegyptiorum Numine quaedam dixi in *Remphah* p. 77, 78 [60], et in Pantheo Aegypt. Lib. 1 cap. 1.

tarum fabulis celebrato, intellectum velim, non assensum, sed contemtum potius et risum meruero. Nam, ut alia nunc taceam, ex rationibus Chronologiae id evidenter satis colligitur, Herculem Graecorum, quingentis propemodum, post ingressum Iacobi cum familia sua in Aegyptum, annis floruisse. Quare fieri nullo modo potest, ut ab Hercule illo, tempore Iacobi et Iosephi, Provincia in Aegypto, ceu a Numine augusto, cognominata fuerit. Quando itaque *Herculis* nomine hic utor, cum Graecis loquor, qui Numen illud Aegyptiorum, quod patrio ipsorum sermone Ϫⲱⲙ et ϫⲱⲙⲛ̀ⲛⲟⲩϯ dicebatur, *Herculem* vocare, et Herculi suo, heroi fabuloso, accommodare consueverunt, cum ceteroquin, inter Numen illud Aegyptiorum et Herculem Graecorum, immensa sit discrepantia, haecque duo Numina, nulla re, nisi solo nomine, quod Graeci utrique commune esse voluerunt, inter se conveniant.

§ VI.

Hercules Aegyptiorum, Graecorum Hercule multo antiquior.

Et primo quidem, quod ad rationem temporum attinet, veteres in eo conspirant omnes, Hercule Graecorum Aegyptium longe esse antiquiorem. *Cicero*, ubi (*k*) varios diversarum gentium Hercules enumerat, secundum locum Herculi concedit Aegyptio, quem ait *Nilo natum*, quartum Graeco. Nec aliter *Tacitus*, qui (*l*), *Herculi*, inquit, *quem indigenae*, Aegyptii, *ortum apud se et antiquissimum perhibent, eosque qui postea pari virtute fuerint, in cognomentum eius*

(*k*) De Natura Deorum Lib. III cap. 16.
(*l*) Annal. L. II cap. 60.

eius adſcitos. Alii itaque, qui Herculis nomine poſtea innotuerunt, nomine tantum Herculis Aegyptii, in eius honorem atque memoriam, ſuperbierunt. Et ſic omnino capienda ſunt *Macrobii* (*m*) verba, quae alio loco (*n*) iam attulimus et explicuimus: *Nec aeſtimes, Alcmena apud Thebas Boeotias natum, ſolum, vel primum* Herculem *nuncupatum. Iſto poſt multos atque poſtremus ille hac appellatione dignatus eſt, honoratusque hoc nomine, quia, nimia fortitudine, meruit nomen Dei virtutem regentis* (*o*). Prolixius hoc argumentum perſequuntur ſcriptores Graeci, interque eos hiſtorici laude digniſſimi, *Herodotus* (*p*) et *Diodorus Siculus* (*q*), cuius poſtremi verba apponere, operae pretium duxi. Is, poſtquam de Hercule Aegyptio diſſeruiſſet, iſta ſubiungit: *Illi vero, qui ex Alcmena natus eſt, plusquam decies mille annis poſt, aiunt cognomen Herculis acceſſiſſe,* οὐχ ὅτι δι' Ἥρην ἔσχε κλέος, ἀλλ' ὅτι τὴν αὐτὴν ἐζηλωκὼς προαίρεσιν Ἡρακλεῖ τῷ παλαιῷ, τὴν ἐκείνου δόξαν ἅμα καὶ προσηγορίαν ἐκληρονόμησε, *non quod per Iunonem illi gloria obtigerit, ſed quod Herculis vetuſti ſtudia aemulatus, gloriae ſimul et nominis hereditatem adierit.*

§ VII.

Hercules Aegyptiorum eſt virtus Divina in Numine hoc ſymbolice culta.

Quam accurata, quamque veritati conſentanea ſint ea, quae ſcriptores, modo allati, de nomine Herculis,

(*m*) Saturn. Lib. I c. XX p. 206.
(*n*) Diſſert. VII § 6.
(*o*) Ita et de Hercule Tyriorum *Lucianus* in libro de Dea Syria, Tom. I Opp. p. 877 ed. Salmur.
(*p*) Lib. II c. 43.
(*q*) Lib. I p. 21 [cap. 24]. Adde Lib. III p. 207 fin. [cap. 73].

lis, utrique et Aegyptio et Graeco communi, memoriae prodiderunt, iam non disquiro. Mihi satis est, eorum testimoniis probasse, consensu omnium, Herculem Aegyptium Graeco insigniter antiquiorem, hunc que prioris aemulum tantum ac imitatorem fuisse. Sed praeterea, si etiam rem ipsam spectes, vix est, in quo convenientia aliqua insignior inter utrumque Herculem ostendi queat. Graeci Herculem suum hominem, ex hominibus natum, sciunt et agnoscunt, si poëtis credimus, ex Alcmena et Iove, si philosophos (*r*) audimus, ex Amphitryone et Alcmena, et propter virtutem, post mortem demum, Heroum et Deorum consortio fuisse adscriptum fabulantur. Aegyptii in suo Hercule coluerunt *virtutem Deorum*, aut *Deum virtutem regentem*, quod ex *Macrobio* supra (*s*) iam observavimus, quodque ipso Numinis huius vocabulo Aegyptiaco egregie confirmari monuimus. Vendicant de Hercule suo Graeci fabulas permultas, faciunt idem Aegyptii, qui omnium primo Theologiam sub fabularum involucris tradidisse et populo occultasse videntur. Sed ne in fabulis quidem utriusque gentis, de suo Hercule, notabilem aliquam inter se conspirationem deprehendere potui, nisi forte id, quod et *Diodorus Siculus* observavit. Ait (*t*) enim, *confessum esse apud omnes, quod Diis coelestibus Hercules in bello adversus Gigantes suppetias tulerit.* Aliis Aegyptiorum, de Hercule suo, fabulis aenigmaticis referendis, libenter nunc supersedeo.

§ VIII.

Hercules Aegyptiorum ex quorumdam sententia Numen ingenitum; aeternum.

Sed quia in eo tamen sum, paulo distinctius explica-

(*r*) *Epictetus* in Dissertat. *Arriani*, Lib. II c. XVI. *Phurnutus* de Nat. Dev. cap. 31.
(*s*) Diss. VII § 6.
(*t*) Lib. I p. 21 [cap. 24].

cabo; qualenam fuerit illud Aegyptiorum Numen, quod Graeci *Herculem* interpretantur, et quid in eo Aegyptii coluerint. Nomen ipsum, sicuti id Dissertatione superiori explicuimus, satis ostendit, Aegyptios, in hoc suo Numine, eximium aeternae Divinitatis attributum, *virtutem* nempe, *robur*, et *potentiam Deorum*, quae sese per opera conspiciendam exhibet, veneratos fuisse. Et in eo profecto tota Aegyptiorum veterum Theologia et Physiologia, quam tamen Graeci, Aegyptiis nihilo sapientiores, ut absurdissimam multo sale exagitant, versata est, ut aeternae Divinae mentis, seu virtutes invisibiles, seu etiam effectus praecipui, in mundi creatione et Providentia conspicui, symbolo aliquo emblematico adumbrarentur, et religiosa veneratione colerentur. Tale Divinitatis symbolum fuit etiam illud Aegyptiorum Numen, quod Graeci *Herculem* vocant. Si *Macrobio* credimus, rerum Aegyptiarum non experti, Hercules Aegyptiis fuit symbolum virtutis invisibilis, solo intellectu concipiendae. Haec enim sunt eius (*u*) verba: *Sacratissima et augustissima Aegyptii* Herculem *religione venerantur, ultraque memoriam, quae apud illos retro longissima est, ut carentem initio colunt.*

§ IX.

Secundum alios, Hercules fuit Sol, aut virtus Solis, symbolice culta.

Si vero alios, et illum ipsum quoque, cuius testimonio nunc usi sumus, *Macrobium* audimus, Hercules Aegyptiorum ad visibiles aeternae Divinae virtutis effectus videbitur potius referendus esse. Vno verbo, Hercules symbolum erat Solis, et quidem admirabilis illius, quam in hoc astro venerabantur Aegyptii, potenten-

(*u*) Saturnal. Libr. I cap. XX pag. 206.

tentiae. Explicemus hoc istis *Macrobii* verbis (*v*): *Sed nec Hercules a substantia Solis alienus est. Quippe Hercules ea est Solis potestas, qua humano generi virtutem ad similitudinem praestat Deorum.* Quae, interiectis quibusdam, ad Herculem Aegyptiorum specialius sic accommodat: *Praeterea sacrorum administrationes apud Aegyptios multiplici actu multiplicem Dei asserunt potestatem, significantes, Herculem hunc esse τὸν ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων ἥλιον.* Congruit huic Aegyptiorum Theologiae etiam Theologia aliarum Orientis gentium, Phoenicum praecipue ac Tyriorum, quos antiquissima et summa religione Herculem prosecutos esse, Graeci persaepe testantur. Horum sermone Hercules dicebatur Μέλκαρθος, teste *Philone Byblio* (*w*) et *Eusebio* (*x*), quod a *Bocharto* (*y*) explicatur מלך קרתא *Rex urbis*, nempe Tyri, quasi dicas βασιλέα πολιοῦχον, sed a *Seldeno* (*z*) מלך עריץ *Rex praevalidus*, quod ad significationem τοῦ ϫⲱⲙ Aegyptiorum prope accedit. Hercules vero ille symbolicum Solis nomen et idolum erat. Re ipsa per *Herculem* opinor Aegyptios designasse *virtutem Solis* quasi renovatam, quam tempore verno exserit, et hominibus demonstrat, omnia radiis illuminando et virtute sua vivificando. Speciatim in Aegypto illo ipso tempore fruges ad maturitatem perducebantur, teste *Plinio*; qua de re plura videri possunt in Chronologia Sacra Vener. *Des-Vignoles* (*a*). Haec est potentia Solis. Hinc *Macrobius* (*b*) ait: *Virgo, quae manu ari-*

(*v*) Loc. cit.
(*w*) Apud *Eusebium* Praeparat. Evang. L. 1 [cap. 10] p. 24.
(*x*) Orat. de Laudibus Constantini p. 532 edit. *Valesii* Amstel.
(*y*) In Geogr. Sac. Part. II Lib. II c. 2.
(*z*) De Diis Syris, Syntagm. I cap. VI p. 183, 185.
(*a*) Tom. I p. 555.
(*b*) Lib. I Saturnal c. XXI p. 213.

aristam refert, *quid aliud est*, *quam* δύναμις ἡλιακή (ⲭⲁⲙⲁ ⲛⲁⲛⲟⲩϯ) *quae fructibus curat*? Apud alias gentes messis peragitur, dum Sol est in virgine, apud Aegyptios autem, dum Sol esset in ariete et in tauro. Hoc est δύναμις ἡλιακή. Hinc in Aegypto sacra fiebant Herculi tempore Aequinoctii Vernalis; et tum ostentabatur calathus aristis impletus. Vide Tabulam Bembinam, measque ad illam notas MSS. (*). Ita etiam Graeci de Hercule, quando eum ἀλληγορικῶς Solem interpretantur (c). Huc pertinent etiam, quae de *Azar* sive Marte Orientalium *Hydius* (d) observat, Chaldaei autem, teste *Macrobio*, Martem appellant Herculem. Ex illa igitur (e) Orientalium Theologia, ac potissimum forte Aegyptiorum, talem nobis Herculem repraesentat *Nonnus* (f) Panopolita Aegyptius, Poëta non optimus, sed omnis antiquitatis, ac praesertim Theologiae veteris Graecae et Aegyptiae peritissimus.

'Αςρο-

(c) Vide *Iohannis Diaconi* Scholia in *Hesiodi* Theogoniam p. CLXV b. edit. Venetae *Trincavelli*, Confer etiam p. CXXXIV a. b. et CXXXVII, a.

(d) De Relig. veter. Persarum p. 64, 65.

(e) *Petrus Cunaeus* in notis ad *Nonnum* p. 159: *Hercules Tyriis idem fuit, qui Sol. Huc respexit noster. Et profecto sermo ibi est de Tyriis.* Sed ille etiam *Aegyptius* dici consuevit. Vide *Vossium* de Idololatr. Lib. I cap. 34. p. 131 fin.

(f) Dionysiac. Lib. XL p. 683 versus fin. ed. Antwerp. Graec. [edit. P. Cunaei p. 1038].

(*) Animadversiones ad Tabulam Bembinam sive Isiacam postea in lucem exire iussit *Iablonskius*, insertas Miscellaneis Berolinensibus. Haec autem cum desint in bibliothecis compluribus, et suas ipse Auctor recognoverit emendaritque coniecturas in Tabulam Bembinam, easdem hoc tomo altero Opusculorum recudi faciam. Multa codici suo Vir. Cl. adscripsit, quibus § IX huius dissertationis illustraretur atque adeo annotatio de Hercule constabiliretur. Nolui ea h. l. omittere, etsi non nescius, magna ex parte legi quoque in Pantheo Aegyptiorum, lib. II cap. 3 § 4 ac seqq.

Ἀστροχίτων Ἡρακλες, ἄναξ πυρὸς, ἀρχάμε κόσμου,
Ἥλιε βροτέροιο βίου δολιχόσκιε ποιμήν,
Ἵππεύων ἑλικηδὸν ὅλον πόλον αἰθόπι δίσκῳ,
Τῖα χρόνου λυκάβαντα δυωδεκάμηνον ἑλίσσων,
Κύκλον ἄγεις μετὰ κύκλον.

Hercules aſtris amicte, regens virtutem ignis, Princeps mundi,
Sol, qui vitam mortalem e longinquo obumbrando paſcis,
Dum orbe fulgido, velut èquo vectus, circa totam terram circumvolveris,
Filiumque (g) *temporis, annum, duodecim menſibus conſtantem, circumagens,*
Circulum ex circulo producis.

Per-

(g) In Theologia Orphica, quae maximam partem ab Aegyptiis petita eſt, *Hercules* et *Tempus* idem ſunt. Vide *Athenagorae* Legat. pro Chriſtianis p. 18 ed. Paris. In Hymno, qui tribuitur *Orpheo*, in Herculem p. 504 edit. Lectii [v. 3 p. 202], vocatur ille χρόνου πατήρ, quod certe ex Theologia Aegyptiorum deſumtum eſt. Dicitur ibidem [v. 12] p. 505 *duodecim labores ab ortu in occaſum perficere.* Ita et *Clemens Alexandrinus* Lib. v Stromat. p. 59 [711]. Confer *Iohannem Diaconum* in Theogoniam *Heſiodi* p. CLXV b., et *Porphyrium* apud *Euſebium* Lib. III Praeparat. Euangel. c. XI p. 112 et c. XIII p. 120 edit. Graeco-Latinae. In Fragmento Damaſcii περὶ Ἀρχῶν, apud *Wolfium* Tom. III Anecdotor. Graec. p. 254 dicitur χρόνου ἀγήρατον ὀνομάσθαι Ἡρακλέα. Sic legendum, uti mox ibidem repetitur. Ad eam rem forte etiam ſpectat Epigramma II cap. VIII Libri I Anthologiae,

Σῆς ἀρετῆς ἱδρῶτι καλὴν ἀπέδωκεν ἀμοιβὴν
Σὸς γενέτης, Ἡρακλες, ἐπεὶ πόνος ἄσπετον εὖχος
Ἀνδράσιν εἶδεν ἄγειν μετ' ἀπείρονα κύκλον ἀέθλων.

Pertinet huc, quod *Plutarchus* (*h*) de Hercule Aegyptiorum, ex eorum traditionibus obſervat: τῷ μὲν ἡλίῳ τὸν Ἡρακλέα μυθολογοῦσιν ἐνιδρυμένον συμπεριπολεῖν, *Fabulantur, Herculem in Sole poſitum eſſe, et una cum illo circumferri.* Ex quibus omnibus perſpicitur, Aegyptios per Herculem ſuum deſignaſſe virtutem Aeterni Numinis, quae in praeclaris effectibus Solis cumprimis eſſet conſpicua.

§ V.

Hercules apud Aegyptios Patronus ſervorum et fugitivorum.

Eſt, quod de Hercule Aegyptiorum ex *Herodoto* obſervatum, addendum adhuc putem. Erat ille in Aegypto Numen Tutelare ſervorum. Qui illius tutelae ſe commiſerant ſervi, illos ad ſupplicium rapere, aut alio modo violare, nefas habebatur. Sic enim hiſtoricorum princeps (*i*) de aliquo Herculis in Aegypto Templo refert: *Erat in eo littore* (prope Canopum) *Herculis Templum, quod nunc quoque eſt: ad quod ſi quis cuiuscunque hominis ſervus confugiens, capiat ſacras notas* (στίγματα ἱρὰ) *ſeſe Deo tradens, cum nefas eſt tangere.* Legenti haec cogitatio mihi oborta eſt, fieri potuiſſe, ut iſta (*k*) conſuetudo commorationi Iſraëlitarum in Aegypto in acceptis referenda ſit. Iſraëlitae certe erant Aegyptiorum ſervi, et

(*h*) De Iſid. p. 655 ed. Steph. vel p. 367 edit. Paris.

(*i*) Lib. II cap. 113.

(*k*) De monumento et titulo Theſei, diu poſt eius mortem erecto, tale quid obſervat *Plutarchus* in fine Theſei p. 31 ed. Steph., quod videlicet extiterit Φύξιον οἰκέταις καὶ τοῖς ταπεινοτέροις καὶ δεδιόσι κρείττονας.

et Aegyptus ipsis quidem fuerat *domus servorum* Exod. XX. 2. Illi vero servi habitaverant in *Gosen*, Terra, quam superstitio Aegyptiorum Herculi consecraverat, ibique ex indulgentia regis, inter Aegyptios circumfusos, satis diu omni libertate et securitate gavisi fuerant. An ea occasione Aegyptii Herculem suum, ut Patronum servorum et fugitivorum venerari coeperunt? Dispiciant eruditi (*).

§. XI.

Conclusio.

Atque sic B. C. D. exeunte hoc anno, praecipuum Dissertationum harum nostrarum argumentum expēdivimus. Ostendimus enim, rationibus non contemnendis, *Gosen*, Israëlitarum in Aegypto domicilium, fuisse illam Regni huius Provinciam, quam Graeci *Heracleopolin*, Arabes *Fioum* nuncupare consueverunt. Superfunt adhuc alia quaedam discutienda, ut fidem data tam liberemus, quae, si Deus vitam, valetudinem, et vires clementer indulserit, proximo, quem ab eius benignitate expectamus, anno, pari methodo, eruditorum iudicio forte (**) subiiciemus.

(*) *Wesselingius*, in notis ad *Herodoti* locum, coniecturam hanc nimis incertam iudicavit.

(**) Numquam tamen, quod sciam, consilium suum *Iablonskius* persecutus est.

DISSERTATIONES TRES

DE TABVLA BEMBINA SIVE ISIACA; ET DE DIEBVS AEGYPTIACIS;

AB AVCTORE RECOGNITAE ET EMENDATAE.

SPECIMEN

NOVAE INTERPRETATIONIS TABVLAE BEMBINAE, VEL, VTI VVLGARITER VOCATVR, ISIACAE.

§ I.

Celeberrimae *Tabulae Bembinae*, vel, uti vulgo fere nuncupari solet, *Isiacae*, quam eruditi omnes ut pretiosissimum antiquitatis Aegyptiacae monumentum venerantur, historiam nunc nullam texo. Non enim iustum commentarium scribo, sed tantum interpretationis novae aliquod specimen (*) lectoribus offero. Verbo tamen monere inutile non erit, in direptione Romae Borboniana a. 1527 Tabulam hanc in manus fabri cuiusdam ferrarii incidisse, a quo eam magnus literarum fautor, *Petrus Bembus* Cardinalis, redemit. Et quia ab eo tempore innotescere coepit, non immerito in memoriam tanti viri, *Bembinam* eam appellare

(*) Insertum est Miscellaneis Berolinensibus ad incrementum Scientiarum ex scriptis Societati Regiae Scientiarum exhibitis, tom. VI p. 139—147.

lare multis placuit. Poſtea *Laurentius Pignorius* eam aeri inciſam, doctoque commentario illuſtratam, in lucem edidit. Quia autem is *Myſteria Iſidis*, ſub ſymbolis myſticis, hic oculis ſubiici, non praeter rationem, credidit, *Menſae* vel *Tabulae Iſiacae* nomen ipſi fecit.

§ II.

Pignorium, uti modo dicebam, Tabulam noſtram erudito et praeſtanti commentario explicuiſſe, omnes norunt. In eo multa ad intelligendas Tabulae figuras, earumque, ut ita dicam, ſenſum literalem illuſtrandum, praeclare et docte obſervata eſſe, libenter fatentur, qui iuſtum literis pretium ſtatuunt. Sed ſenſum arcanum, ſive totius Tabulae, ſive etiam ſingularium eius partium, ſe non attigiſſe aut deprehendiſſe, pro eo, quem ad doctrinam adiunxerat, animi candore ultro fatetur. Poſt eum de nova et veriſſima myſticae huius Tabulae expoſitione audacter multa pollicitus eſt *Athanaſius Kircherus*, in opere illo, quod non veriſſime *Oedipum* inſcripſit. Sed quid dignum tanto hiatu promiſſor ille tulerit, eruditis obſcurum non eſt. Poſt id temporis non defuere, qui, ut aſſequerentur Tabulae noſtrae arcanum ſenſum, coniecturis variis indulgerent. Fuerunt etiam, qui genuinum eius ſenſum, aut omnino non, aut non ſine errandi periculo, explicari poſſe contenderent. Quae fere eſt virorum noſtro aevo doctiſſimorum, interque illos illuſtris nuper editoris (*a*), ſententia.

§ III

(*a*) Dom. *Bernard de Montfaucon* Antiquité expliquée Tom. II Part. II pag. 332. Contra eum nonnulla monet *I. G. Keyslerus* Part. I Itiner. pag. 194, additque, Tabulam Bembinam deinde aſſervatam eſſe in Bibliotheca Regia Taurinenſi.

§ III.

Mihi etiam illa ipſa opinio aliquamdiu viſa eſt longe tutiſſima. Sed cum fortuito quopiam caſu, quod evenire ſaepe ſolet, contigiſſet, ut primo in unius, deinde etiam in alterius figurae abſconditum ſenſum penetrarem, et penetraſſe me clare intelligerem, ſpem concepi fieri poſſe, ut ad intelligendum etiam reliqua, ſi non omnia, ſaltem pleraque et praecipua, aliquando pervenirem. Neque vero ſpes illa in univerſum me fefellit, etſi libenter fatear ſupereſſe adhuc, aut mihi plane nondum perſpecta, aut non niſi per conjecturas explicanda. Verum tamen Tabulae ingenium, indolem et ſcopum me aſſecutum eſſe, confido. Lectoris eſto arbitrari.

§ IV.

Exhibet autem, ut propius ad rem accedam, Tabula noſtra ſeriem ac ordinem *Feſtorum* in Aegypto per totum annum religioſe celebratorum, ita ut cauſa etiam feſtivae ſolemnitatis plerumque ſymbolice adumbretur. Medium totius Tabulae, quod in editione Amſtelodamenſi, quae prodiit anno 1670, et qua ſemper hic utar, litera Z deſignatur (*b*), repraeſentat nobis initium anni civilis, ſeu ortum caniculae, a qua Aegyptii verum ſuum annum auſpicabantur. Tota autem Tabula in tria diſtincta ſegmenta dividitur, quod ratione ſua non caret, et per ſe iam indicat, oculis noſtris exponi annum Aegyptiorum ſacrum. Aegyptios enim

(*b*) Literas etiam Alphabeticas et numeros Arithmeticos, hic occurrentes, ex laudata editione Amſtelodamenſi an. 1670 deſcripſi. In reliquis enim editionibus aut deficiunt, aut aliter exhibentur.

enim antiquiores tres anni tempestates agnovisse et constituisse, vel ex *Diodoro Siculo* intelligitur, qui ex historia huius gentis fabulosa (*c*) refert, *Mercurium* eorum *lyrae a se inventae tres chordas induxisse*, totidem *anni tempora imitatum*. Credidi quondam tria haec tempora esse *hyemem*, *aestatem* et *autumnum*, tempus autem *vernum* comprehendi *aestate*, quia lingua Aegyptiorum, ad designanda illa, quae dixi, tempora, totidem voces habet, *ver* proprium vocabulum non habet, sed *initium aestatis* audit. Dicitur enim *ver* ϩⲏ ⲛ̀ϣⲱⲙ Ps. LXXIV. 17, quod proprie significat *initium aestatis*. ϩⲏ plurimis in locis ponitur de *initio* sive *principio* cuiuscumque rei, et ϣⲱⲙ de *aestate*, Matth. XXIV. 32, Marc. XIII. 28. Et hinc iunguntur Genes. VIII. 22 ⲡⲥϣⲱⲙ ⲛⲉⲙ ⲡⲥϩⲏ ⲛ̀ϣⲱⲙ, *aestas et ver*, sive *initium aestatis*. Verum aliud tamen docet *Diodorus*, ut qui tria illa tempora expresse nominat (*d*) *ver*, *aestatem*, *hyemem*, ut itaque sub *hyeme* contineatur *autumnus*. Dixeris huic divisioni Tabulam nostram respondere, etsi tamen ordo illius, ut mox dicetur, non ad ingenium Aegyptiorum, sed Romanorum potius, conformatus esse videatur. Etenim primum segmentum, in quo Osiris veluti regnat, tempus praecipue vernum et initium aestatis complectitur; secundum, in quo Isis dominatur, incipit a solstitio aestivo, et in aequinoctio autumnali desinit; tertium, quod Horus sibi potissimum vindicat, reliquam autumni et hyemis partem, usque ad

(*c*) Lib. I [cap. 16] pag. 15 edit. Wechel.
(*d*) Lib. I [cap. 11 et 12] p. 11 D et 12 C. [Adde I, 16, c. n. *Wesselingii*].

ad renovatum ſolem vel ſolſtitium hybernum, perſequitur. Hic eſt brevis totius illius Tabulae conſpectus.

§ V.

Non inutile neque ingratum lectori fore exiſtimo, ſi de aetate Tabulae noſtrae aliquid addidero. Eam autem ex principio, quod in Tabula hac anno ſacro aſſignatur, colligi recte et definiri poſſe opinor. Aegyptiis indigenis et ipſius anni et ſolemnitatum omnium ſacrarum principium erat ortus caniculae, aut prima dies menſis Thot. At in Tabula noſtra longe aliter ſe res habet. Ortus enim caniculae et verum anni Aegyptii initium, ut iam monui, Tabulae medium occupat. Illa autem ſolemnitas, quae Tabulam noſtram claudit, in finem anni Romanorum incidit. Deſignat enim tempus *Novi Solis*, uti loquebantur Romani, quod ipſi die XXV Decembris celebrabant, vel *Oſiridis inventi*, ut Aegyptii dicebant, qui, ſi me mea opinio non decipit, celebritati illi diem XI Tybi, i. e. VI Ianuarii, ſacrum eſſe voluerunt. Ex quo apparet, Tabulam hanc anno Romanorum et ipſorum Feſtis attemperatum, uſibus illorum Aegyptiorum potiſſimum videri conſecratam fuiſſe, qui Romae cum eſſent, ſacra tamen ſua religione avita celebrare cupiebant. Quod ſi verum eſt, videtur Tabula noſtra, ſecus atque eruditis plerisque omnibus hactenus viſum eſt, aetatem Caracallae, aut M. Aurelii et Commodi Imperatorum non excedere.

§ VI.

Dictis plenam finem conciliare non potero, niſi Figuras ſingulas ſeorſim explicuero, et quidnam hic ſignificent, oſtendero. Cumque totam Tabulam eo modo percurrere nunc non liceat, ſpeciminis loco,

Figuras ſegmenti primi priores ſex, literis A. B. C. D. E. F. diſtinctas, ſub examen vocabo, quemque illae ſenſum arcanum, aut certiſſime habeant, aut habere probabiliter poſſint, exponam. In iſta autem Tabulae parte, quam interpretari nunc aggredior, Figurae praecipuae ſunt E et F, ex quibus ceterarum fere explicatio pendet, quaeque mihi clavis inſtar fuere, ad totum Tabulae noſtrae ſenſum arcanum recludendum. Sunt enim indicio certo et prorſus indubio, ſignificari hic aequinoctium vernum, vel ſolis in arietem ingreſſum. Sed ſingula propius contemplemur.

§ VII.

Sectionem primam, retineo verba *Pignorii*, *inchoat Oſiris* Fig. A. Ita et mihi videtur. Tenet ille dextra manu, iudice eodem *Pignorio*, *crucem anſatam*, in Aegyptiorum antiquis monumentis ſaepiſſime obviam, de qua multa olim nugati ſunt eruditi, re ipſa phallum, foecunditatis et vitae ſymbolum, uti (*e*) vir doctiſſimus nos docuit. Siniſtra ſceptrum tenet, capite upupae avis inſigne. Quod etſi in ipſa hac Tabula perſaepe occurrat, hic loci tamen ratione quadam arcana carere non videtur. Veteres certe memoriae prodiderunt, upupam Aegyptiis ſymbolum fuiſſe animi grati et beneficiorum acceptorum memoris, amoris itidem, quem erga parentes oſtendunt liberi. *Horapollo*, poſtquam id, quod dixi, obſervaſſet, addit (*f*): *Vnde et divinorum ſceptrorum upupa inſigne atque ornamentum apud eos eſſe ſolet.* Quam appoſite vero

(*e*) Mr. *de la Croze* dans l'Hiſtoire du Chriſtianisme dans les Indes, Liv. VI. p. 430.
(*f*) Hieroglyphic. Lib. I. c. 55.

vero hic quidem ſceptrum tale oſtentet Oſiris, ex ſequentibus intelligi melius poterit.

§ VIII.

Sequitur nunc item Fig. B. *Oſiris, biſulcum animal quoddam veluti conficiens, caprini fortaſſe generis.* Ita *Pignorius.* Poſtremus vero isque longe doctiſſimus Tabulae huius interpres, ſuſpicatur (*g*), *eſſe ſacerdotem, qui animal quodpiam, fortaſſe capreolum, immolet.* Ego *Horum* hic nobis repraeſentari autumo, ſtantem intermedium inter Oſiridem patrem, et Iſidem matrem, ac utrique ſacrificium offerentem. Et vero, quod neſcio, an a quoquam fuerit obſervatum, ſed quod poſthaec quilibet facile animadvertet, in toto hoc ſegmento numina haec tria, ſibi invicem iuncta, ſemper recurrunt. Quod tanto libentius moneo, quia ad eruendam ſymbolorum horum ſignificationem myſticam non poterit non plurimum conferre. Quod vero ad animal attinet, mihi plane dubium non eſt, quin hic cernamus *Orygem*, animal Aegypto proprium, a qua etiam nomen, ſicuti *Plinius* (*h*) vere monuit, ad nos transmiſſum eſt. Vera me dicere, haud invitus credet, qui ea, quae a veteribus et recentioribus, qui Aegyptum adiere, de animali hoc literis prodita ſunt, conſulere operae pretium duxerit. Vnius *Pauli Lucae*, qui ter Aegyptum peragravit, deſcriptionem hancce (*i*) ſubiicio: *Reperiuntur ibi etiam permultae caprae ſylveſtres, veteribus Oryges dictae. Gregatim communiter per montes errant. Pilo*

(*g*) *Montfaucon*, ubi ſupra p. 333.
(*h*) Hiſt. Nat. Lib. 11 cap. 40.
(*i*) Troiſième Voyage fait en 1714 etc. Tom. 11 p. 243.

Pilo caudaque ſimiles ſunt capreis, pedibus vero anteriori-bus, quos breviculos habent, damis. Collum ipſis eſt longum, imberbe ac nigrum. Cornua gerunt recta, ſed in extrema ſummitate nonnihil recurvata. Quis non dixerit, verbis hiſce deſcribi illud animal, cuius imaginem hunc explicamus? Notant veteres omnes, animal hoc impurum habitum, Aegyptiisque inviſum fuiſſe, quare quoties immolandum erat, ſine ullo diſcrimine, nulla antea exploratione adhibita, uti in puris animalibus fieri ſolebat, mactabatur. Et erat omnino eodem loco, quo ſus, animal Aegyptiis omnibus abominabile. Inſtrumentum vero, quo in ſacrificio Orygis Horus utitur, nihil aliud eſt, quam ipſum Orygis cornu, quaſi animal, ſibi inviſum, propriis ipſius armis conficere vellet. Et hoc ipſum obſervationem meam magnopere confirmat. Teſtantur enim (*k*) ſcriptores optimi, *venatores Aethiopicos cornibus Orygum pro armis uti, eo quod grandia et ad ſecandum acuta ſint.* An non et hoc imagini, quam hic cernimus, pulchre convenit? Habemus igitur indubitatum Orygis ſacrificium; quaerenda nunc ſolemnitas ſacra, cui id congruat. Neque vero difficile admodum fuerit, illam invenire. Deſignatur haud dubie tempus aliquod ſacrum, quod ingreſſum ſolis in Arietem antevertit. Et quodnam illud poterit eſſe aliud, quam *Plenilunium*, quod Aequinoctium vernum antecedit, quodque ab Aegyptiis ſolemniſſime celebratum fuiſſe, ex libro quodam perantiquo *de cultu Aegyptiorum*, teſtatur R. *Seba* (*l*) his verbis: *Cum luna plenitudinem*

(*k*) *Agatharchides* de mari rubro, in *Hudſoni* Geographis minoribus Tom. II p. 42, et ex eo *Diodorus Siculus* Lib. III p. 162 [cap. 28, ibi *Weſſelingius*], atque *Strabo* Lib. XVI p. 531 [1117].

(*l*) In *Tſeror Hammor* fol. 70, col. 4. Locum hunc a *B. Danzio* Latine verſum habes etiam in *Meuſchenii* Novo Teſtamento e Talmude illuſtrato p. 899.

nem luminis assequebatur, pleno praedito robore, incipiebant tum Aegyptii supputare menses, initio facto a tempore, quo Sol principium ingreditur Arietis. Qui mensis totus festivus erat illis: cui prae omnibus aliis honorem in cultu religioso deferunt maximum. Et quibusdam interiectis: *Aegyptii incipiebant a plenilunio, et robore eius maximo. Vos incipiatis a tempore ortus ipsius.* Et aliis interpositis: *Forte propter hanc ipsam causam iussit Deus, ut cultum illum Paschalem celebrarent in Plenilunio. Eo scilicet tempore, quo maxime laetabantur illi: sacrificantes planetae Arieti, praefectura eidem supra se collata.* Non omnia, quae tradit hicce Iudaeorum magister, examinare nunc, aut licet, aut vacat. Illud autem merito obſervamus, quod huius maxime loci eſt, plenilunium, in tempus Aequinoctii verni ingruens, ab Aegyptiis cum magna gaudii teſtificatione conſecratum et religioſe celebratum fuiſſe. Meminerunt huius Plenilunii ſacrorum Graeci quoque ſcriptores, *Herodotus*, *Plutarchus*, *Aelianus*, qui etiam docent, in hac feſtivitate Oſiridi et Iſidi ſuem, immundum animal, immolari moris fuiſſe. Pro ſue autem aliud hic cernimus in ſacrificio adhiberi animal impurum, Orygem, forte ſpecialiter in Nomo Thebaeo, ubi omnium ſolemniſſime ſacra haec celebritas peragebatur. Illic vero prae aliis animantibus capras, e quarum genere ſunt Oryges, ad ſacrificia delectas fuiſſe, teſtem locupletem habemus *Herodotum* (*m*). Concinit etiam ratio aenigmatica ſacra, quam de Oryge ſpargebant ſacerdotes. Sed haec et alia plura huius generis prolixius perſequi, rationes inſtitutae huius opellae prohibent. Vnum tantum addam, id ipſum ſacrificium dici quoque *Sacrificium Solis*, quod Horum ipſum in pa-

(*m*) Lib. II. cap. 42.

patris ſui Oſiridis honorem peregiſſe omnium primum, docemur a *Plutarcho* (*n*).

§ IX.

Fig. C. *Iſidem proxime referri* cenſet *Pignorius*, quod difficultatis nihil habet. Ipſa, non ſecus ac Oſiris, manu phallum tenet, vitae ac foecunditatis emblema, de quo plura congeſſi in Collectione MS. vocum Aegyptiacarum v. Φαλλός [t. 1 p. 367—371]. Illi praecipue ſacrificium offerre videtur *Horus*. Nam in plenilunio magno, ita enim licebit appellare, non eſt dubium, quin ſacrificaretur Iſidi, ſive Lunae, ſed non minus tamen etiam Oſiridi. Et hic quidem poſtremus, quaſi honorem ſacrificii, ſibi a filio facti, repenſurus, ſceptrum gerit, capite upupae avis ornatum, ut iam vidimus. Eo enim et gratitudinem ſuam in filium et filii in ſe pietatem ſubinnuere, et veluti conſecrare voluiſſe videtur.

§ X.

Qui Iſidem excipit, a *Pignorio* et ab omnibus iudicatur eſſe *Oſiris*, Fig. D. Ego vero *Horum* hic exhiberi cenſeo, ſed iis tamen ſymbolis diſtinctum, ut una *Herculem* Aegyptiorum in eo agnoſcas. De *Horo* ut cogitem, non me tantum movet anticipata quaedam opinio, in omnibus ſegmenti huius primi Figuris, aut Iſidem, aut vero Oſiridem, aut denique Horum quaerendum ſemper eſſe, quam ſupra tetigi, ſed illa ipſa etiam Hori imago, quae, teſte *Euſebio* (*o*), in urbe cogno-

(*n*) De Iſid. et Oſir. p. 663 edit. Stephani [375]. Confer Pantheon Lib. II cap. III § 10, et Collectionem meam vocum Aegyptiacarum v. Oryx [t. 1 p. 186].

(*o*) Praeparat. Euangel. Lib. III cap. 12.

cognomine Horo, ab aliis dicta Apollinopoli, posita ipsi olim erat. Descriptionem *Eusebii* adiicio: *Est homo accipitris vultum praeferens, ac Typhonem .... iaculo vel venabulo subigens. Ceterum albi coloris simulachrum est.* Erat igitur *Horus*, qui modo humana, modo accipitrina facie fingebatur, armatus *venabulo*, quale hic cernitur. Et isto *venabulo* putabatur conficere Hippopotamum, emblema Typhonis, quod ipsum in limbo Tabulae nostrae sub num. 50 et 51 expressum videri potest. Simulachrum illud porro Hori colorem referebat album, cum Osiris vicissim colore plerumque nigricante repraesentaretur. Neque vero id ab imagine illa, quam hic cernimus, abhorret. Sed, uti dixi, in nostra *Hori* imagine, *Herculem* quoque Aegyptiorum agnosco, qui multiplici ratione, et cum Osiride, et cum Horo, unus fuisse censeri potest. In eo venerabantur Aegyptii, quod alio loco (*p*) testimoniis veterum demonstravi, *virtutem Deorum* et *potentiam Solis*. Credebant, quod hic inprimis observandum, eum tempora moderari, et una cum Sole moveri ac circumferri (*q*). Id vero omnino huius loci est. Videmus enim sequentibus duabus Figuris E. et F. repraesentari, quod dubio omni caret, Solis in arietem ingressum, quem principium temporis et annorum initium crediderunt cum plerisque totius mundi populis Aegyptii veteres. Et in hancce rem eum, quem pro Hercule haberi volo, intentum esse, res ipsa satis loquitur. Alia nonnulla, ex quibus mea de Hercule hic repraesentato opinio confirmari poterit, adiicientur ad Figuram F. Sed ipse ille Hercules, quem

(*p*) In Dissert. de Terra Gosen VIII § 7, 8, 9 [Supra p. 217 sqq.].

(*q*) Plura hac de re videri possunt in Dissertatione illa citata, et in Pantheo Lib. II cap. 3.

quem in Tabula depictum videmus, novum idque egregium prorsus argumentum mihi subministrat, quo dictis hactenus maiorem fidem impetrem. Nimirum avis illa, quam sinistra manu ita tenet, Isidique offert, ut arietem inter cercopithecumque in eadem linea recta conspiciatur intermedius, maiorem et attentiorem curiosi spectatoris considerationem meretur, quam creditum huc usque fuit. *Pignorius* suspicatur, esse hanc alitem *Phoenicopterum*, nullo argumento id comprobans. Id ipsum, quod addit, alitem eum Isidi in deliciis fuisse, nonnisi ex loco *Heliodori* male accepto hausit. *Goropius* vero *Becanus*, coniector infelicissimus, ceu ex *Pignorii* commentario video, *Stymphalidem avem censet, quam Hercules ostentet.* Ecce! et is Herculem mecum agnoscit, etsi non satis intelligam, quid Herculi Thebano, Alcmenae filio, in Tabula hac possit esse negotii. Sed ne lectorem diutius morer, cernimus hic avem, qua non extitit celebrior ulla, etsi tamen fabulosam, *Phoenicem.* Convenit haec imago cum eorum descriptione, qui *Phoenicem* aiunt magnitudine et forma similem fuisse pavoni, sed pulchritudine et colorum praestanti varietate eamdem superasse. Convenit etiam forma, quae avi huic in nummis tribuitur apud *Spanhemium* (r) aliosque. Sed inquies forte, quis hic Phoenici locus? Rem pro me dicat *Plinius*, quo meliorem haec imago commentatorem nanciscì utique non potuit. Ita autem ille (s): *Cum huius alitis vita magni conversionem anni*

(r) de Praest. et Usu Num. p. 245.

(s) Hist. Nat. Lib. x cap. 2. Phoenicem vero re ipsa Aegyptiis nihil aliud fuisse, quam symbolum magnae conversionis annorum, ad verum suum initium, docent veteres, et accuratissime ostendit magnus nostri seculi Chronologus, venerandus *A. des-Vignoles* in Diss. de Annis Aegyptiacis. Vide Miscellanea haec Societatis [Berolinensis] Tom. IV p. 13, et in Chronologia Sacra Tom. II p. 671 et seqq.

anni fieri prodidit idem Manilius, iterumque significationes tempestatum et siderum easdem reverti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die signum arietis Sol intraverit. Annon omnia cum Tabula nostra satis concinne conspirant?

§ XI.

Hunc, quem ego Herculem, *Pignorius* Osiridem credi voluit, *ab Iside discriminat cercopithecus ille sacer*, Fig. E. *cuius praeter* Iuvenalem, *meminere* Lucianus, Prudentius *in Romano Martyre et adversus Symmachum.*

Isis enim et Serapis et grandi simia cauda.

Ornatur autem Isiacis Symbolis, Lunaribus cornibus, orbe patulo, et aspide.

Ita *Pignorius*, cuius annotationem retinui totam, quam et merito probant omnes. Mihi nihil restat, quam ut rationem aperiam, quare *cercopithecus*, vel *cynocephalus*, inter illos enim discrimen nullum est, locum hunc occupet, quidque eo Tabulae auctor significare voluerit. Id nobis *Horapollo*, notissimus Hieroglyphicorum interpres, sic explicabit (*t*): *Aequinoctia significantes, cynocephalum sedentem pingunt. Duobus enim anni aequinoctiis, duodecies in die, per singulas nimirum horas, urinam reddit, idemque et noctu facit*; et quae ibi plura sequuntur. Vides in imagine nostra *cynocephalum sedentem.* Et hunc indicem esse aequinoctii *Horapollo* docet. Hic vero intelligi *aequinoctium vernum*, quando Sol ingreditur arietem, et ex *phoenice*, de qua iam vidimus, constare po-

(*t*) Lib. I cap. 16.

potuit, et ex *ariete*, quem ſuper *cynocephalum* ſtantem cernimus, amplius adhuc conſtabit (*u*).

§ XII.

Equidem *Pignorius* omnia turbat in imagine ſequente Fig. F. explicanda, de qua ille ita ſcribit: *Stat ſupra Thmuis hircus videlicet Mendeſius, Pani ſacer, quem Aegyptii Mendetem vocabant.* Miror profecto haec potuiſſe exidere viro eruditiſſimo, quae ipſe Tabulae conſpectus non poteſt non refellere. Et magis adhuc miror, praeſtantiſſimos omnique laude digniſſimos interpretes *Pignorium* ſecure ſecutos hic eſſe. Verum talis error omnino viro literis intento facilius, quam ruris cultori condonari debet. Ego quidem hic loci hircum nullum video, ſed arietem luculenter et diſtincte depictum: quod diſcere etiam quilibet poteſt a *Kirchero* (*v*). Cernimus igitur in illa imagine (*) *arietem* Aegyptiorum ſacrum, aut ſub eius ſpecie et in eo *Ammonem*, religioſiſſime Thebis cultum. In eius vero honorem Aegyptii primum Zodiaci ſignum, in quo Sol aequinoctium vernum facit, *arietem* eſſe voluerunt, eoque aries aequinoctii verni ſymbolum hic cen-

(*u*) Dum *Kircherum* evolvo, video et eum in Oedipo Tom. III p. 114 perſpexiſſe, Cynocephalum hic eſſe indicem aequinoctii verni. Quare profecto maiorem in modum miror, eum iſta obſervatione, ad detegendum verum Tabulae huius ſenſum, non felicius uſum eſſe. Mihi namque una haec obſervatio fundus fuit et origo reliquarum omnium.

(*v*) In Oedipo Tom. III p. 113.

(*) *Iablonskii* explicationem probavit *Schmidtius* in Diſſertatione de Zodiaci noſtri origine Aegyptia, inſerta eius Opuſculis, quibus res antiquae, praecipue Aegyptiacae, explanatur, p. 36 ſqq.

cenſendum eſt. *Aegyptii*, inquit *Theo* (*w*), *merito ab ariete initium Zodiaci putant, quia in ariete Sol aequinoctium facit.* Variis rem hanc fabulis ſacerdotes Aegyptii involvebant, quae omnes, ſi recte perſpectae eſſent, Phyſiologiae et Aſtronomiae ipſorum arcana non pauca nobis referarent. Sed de re nota et vulgata plura iam non addo. Prope arietem vas videmus poſitum, e quo flores ſurgunt, ſymbolum ſine dubio terrae, nunc per virtutem Solis quaſi renovatae, et tempore hoc verno flores ex ſinu ſuo liberaliter effundentis. Appoſite ad haec R. *Bechai* (*x*), differens de praecepto agni paſchalis, rationem eius ex *Maimonide* hanc reddit, *quod planeta* (*y*) *aries in menſe Niſan maxime valeret, isque planeta fructus germinare faceret.* Alia ex Aegyptiorum monumentis petita, et imaginem noſtram illuſtrantia, conſulto in aliud tempus differo. Vnum tamen, antequam finiam, obſervaſſe operae pretium puto. Aries, quem hic depictum videmus, eſt etiam index Feſtivitatis cuiusdam ſacrae, Thebis in honorem Iovis Ammonis celebratae. Alii, ut videtur, Aegyptii Feſtum in Plenilunio, quod in tempus vernum incidebat, quodque ab omnibus obſervari facile poterat, ſolemniter peragebant; Thebaei vero, Aſtronomiae ſingularem in modum et ſtudioſi et periti, aut ſaltem ſacerdotes, cultum ſuum in ipſum aequinoctii verum tempus, quod hic adumbratur, differebant. De hoc Feſto intelligenda eſſe exi-

(*w*) Scholiis Graecis in *Arati* Phaenomena p. 69 edit. Oxonienſis.

(*x*) In Exod. XII fol. 80. 1. Vide et *Spencerum* de Legibus Lib. II p. 236 edit. Belg.

(*y*) Retinui verſionem *Spenceri*, ſed vox מזל, qua utitur *Bechai*, ſignificat *ſigna Zodiaci*, non minus, quam *Planetas*. Vide *Buxtorfii* Lexicon magnum Talmud. col. 1328.

existimo, quae apud *Herodotum* (z) leguntur: Thebani *certo tantum die quotannis in Festo Iovis arietem unum obtruncant, cuius pellem detractam simulachro Iovis induunt; ad illud deinde aliud ducunt Herculis simulachrum.* Quis non videt, rem, quam *Herodotus* verbis commemorat, hic in imagine depingi? Habemus enim simulachrum Iovis arietinum, et prope illum Herculem constitutum iam observavimus. De Hercule paulo ante idem auctor scripserat: *Iovem, cum ab Hercule, cernere eum volente, cerni nollet, tandem exoratum hoc commentum esse, ut amputato arietis capite, pelleque villosa, quam illi detraxerat, induta sibi, ita sese Herculi ostenderet.* Sub his et consimilibus aliis fabulis, sacerdotes doctrinam suam Physiologicam et Astronomicam, quae non ita difficulter erui potest, populum celabant. Hanc ipsam fabulam deprehendo paulo aliter a Graecis, et aliter etiam ab Arabibus referri. Eiusdem luculenta vestigia in Tabula nostra conspiciuntur. Sed haec speciminis loco iam nunc sufficiant.

(z) Lib. II cap. 42.

CONIECTVRA IN CLAVSVLAM TABVLAE BEMBINAE, VEL ISIACAE,

DE FESTO OSIRIDIS INVENTI, ET DE DIE, IN ANNO AEGYPTIORVM, FESTO HVIC PROPRIO (*).

§ I.

In antecedenti Miscellaneorum volumine, Speciminis novae interpretationis Tabulae Bembinae celeberrimae, vel Isiacae, benevolo lectori obtuli. Expoſui, quaenam ſit, me iudice, Tabulae illius vera indoles, quale ingenium, quis ſcopus. Mihi nempe videtur, exhiberi Tabula illa ſeriem Feſtorum ab Aegyptiis, per totum annum, Romae celebratorum. Initium igitur Tabulae, de quo nullus mihi dubitandi locus relictus eſt, referendum eſſe dixi ad illa Aegyptiorum Feſta, quae gens iſta, tum ipſo Aequinoctii verni tempore, tum paulo etiam ante, religioſa ſolemnitate celebrare conſuevit. Figuras initiales, non quidem pro rei merito, ſed pro inſti-

(*) Legitur in Miſcellaneis Berolinenſibus, tom. VII p. 373—406.

ſtituti mei ratione, breviter explicui. Miſſis nunc omnibus aliis, quae ſequuntur, ſymbolicis imaginibus, ad clauſulam totius Tabulae tranſibo, quae, niſi me omnia fallunt, *Solſtitium hybernum*, et ingruentia in hocce tempus ſacra celeberrima *Oſiridis inventi*, oculis noſtris obiicit. Eum in finem, primo loco, figuras Tabulae noſtrae ultimas, deſignatas in editione Amſtelodamenſi, qua me ſemper uſurum eſſe profeſſus ſum, literis TT, VV, et YY, illuſtrabo, quo facto, idoneis argumentis oſtendere conabor, ſacram hanc ſolemnitatem, in anno Aegyptiorum fixo, d. VI Januarii peragi ſolitam fuiſſe.

§ II.

Tres igitur illas figuras, quarum explicationem nunc aggredior, Solſtitium hybernum ſymbolice nobis repraeſentare, mihi quidem certum ac indubium eſt. Id vero ex prima earum, quam in editione Amſtelodamenſi litera TT deſignatam cernimus, omnium luculentiſſime colligere licet. Siſtitur enim oculis noſtris *puer tenellus*, *infantulus adhuc*, *pedibus indiſcretis*, *et faſciis involutus*, indicium *Harpocratis recens nati*, aut, quod re ipſa idem eſt, *Oſiridis renati*, vel *reperti*. *Horum* Iſidis filium in imagine noſtra conſpici, obſervavit iam dudum *Pignorius*. Ita praeter eum iudicant omnes, quantum recordor, qui rem hanc attingunt. Et quis aberrare hic poſſit? adeo certa *Hori* indicia imago iſta prae ſe fert. *Horum* vero eumdem eſſe, certo nempe ſenſu et reſpectu, cum *Harpocrate*, tum ab aliis obſervatum, tum a *Cupero*, in doctiſſimo *de Harpocrate* Commentario, iis rationibus evictum eſt, quibus aliquid addere velle, idem profecto eſſet, ac *noctuas* mittere *Athenas*. Scimus porro, ex diſertiſſimo *Plutarchi* teſtimonio, Aegyptios *Harpocratis* ſui,

ſui, fabuloſi ſane et aenigmatici, *natales* collocaſſe in *Solſtitio hyberno*. Verba auctoris illius hunc in modum concepta ſunt (*a*): *Dicunt Oſiridem ſepeliri, quando ſemen terra occulitur: in vitam vero redire et rurſus apparere, quando pullulare incipit. Ideo etiam aiunt, Iſin, cum ſe ſentiret eſſe gravidam, appendiſſe ſibi amuletum — et peperiſſe Harpocratem, ſub Solſtitium hybernum, imperfectum et tenerum valde, idque inter herbas modo e terra pullulantes et efflorescentes.*

§ III.

Rem hanc eamdem declarari exiſtimo verſibus iſtis (*b*), qui Apollini Clario tribuuntur, ſed quos vero ex Gnoſticorum Chriſtianorum officina prodiiſſe, loco magis opportuno, pluribus oſtendam,

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαώ,
Χείματι μὲν τ' Ἄϊδην, Δία δ' ἔαρος ἀρχομένοιο
Ἥλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἄβρὸν Ἰαώ.

Dic Deorum omnium ſupremum eſſe Iao,
Quem hyeme Orcum dicimus, ineunte autem vere Iovem,
Aeſtate porro Solem, ac tandem hyeme adventante tenerum Iao.

Verſibus his, qui non tam Graecorum, quam potius Aegyptiorum vetuſtorum Theologiam ſapiunt, explicatur varia Solis per circulum annuum vis ac pot-

(*a*) *Plutarchus* de Iſide et Oſir. p. 671 extrem., 672 edit. Steph. vel p. 377 edit. Wechel.
(*b*) Apud *Macrobium* Saturnal. Lib. I cap. XVIII.

potestas, quae effecit, ut diversis etiam nominibus coleretur. Ineunte vere, vel in Aequinoctio verno, *Iovem Ammonem* impense ab Aegyptiis cultum, eoque Solis in arietem ingressum adumbratum fuisse, quod oraculo Apollinis Clarii commemoratur, ad initium huius Tabulae (*c*) iam observavimus. Hic iam μετοπώρου, quod vertere possumus *hyeme adventante*, oculis subiicere datur *tenerum Iao*. Aegyptii dixissent ἁβρὸν vel νεαρὸν Ἁρποκράτην, *puellum Harpocratem*. Dixissent item ἁβρὸν Ὄσιριν, *tenerum Osirin*, sicuti in alio (*d*) oraculo Apollinis Didymaei,

Ἴσιδι δ' αὖ Φαρίῃ γονίμοις παρὰ χεύμασι Νείλου
Μαςεύειν οἴστροισιν ἑὸν πόσιν ἁβρὸν Ὄσιριν.

Isidi Phariae curae est, ad fluenta fertilis Nili
Clangore sistrorum quaerere tenerum suum maritum Osirin.

Versu secundo pro οἴστροισιν legere malim σείςροισιν, *sistris*, uti etiam in versione expressi. *Sistra* Isidis, quae gestavit etiam Osiridem quaerens, nemini ignota esse confido. Emendationem hanc etiam antecedentes oraculi nostri versus, attente considerati, flagitare mihi videntur. Sed Gnostici, ut ad illos iam redeam, voce sibi plane propria, alludentes ad mysteria religionis suae, dixerunt ἁβρὸν Ἰαώ. Conferri cum his possunt, quae a me deinde scripta sunt in Pantheo Lib. II cap. 6 § 4—8. De usu autem Sistrorum in sacris Aegyptiorum, praesertim Isiacis, abunde dixi in Collectione MS. vocum

(*c*) Vide Miscellanea haec Tom. VI p. 148, 149 [supra p. 240, 241].
(*d*) Apud *Eusebium* Praeparat. Evangel. Lib. V cap. 7.

cum Aegyptiacarum v. *Sistrum* [t. I. Opuſculorum p. 306. ſqq].

§ IV.

Feſtum illud, quod Thebaei in Aegypto ſuperiori, a quibus fabulas et ſacra Harpocratis ad reliquos Aegyptios perveniſſe opinor, *Harpocratis natalem* appellarunt, alii ex Aegyptiis *inventum* aut *renatum Oſiridem* nuncupare conſueverunt. Ex commixtione utriusque Theologiae Mythicae factum eſt, ut inventus ille Oſiris, modo ut maritus, modo ut filius Iſidis, conſideraretur. Res tamen ſemper eodem redit. In Oraculo Apollinis Didymaei, ad quod modo provocavi, dicitur Iſis quaeſiviſſe *Oſirin tenerum ſuum maritum*. Alii in ſacris hiſce eumdem pro filio Iſidis haberi volunt. Ita *Minucius Felix* (*e*); *Iſis*, inquit, *perditum filium cum Cynocephalo ſuo et calvis ſacerdotibus luget, plangit, inquirit. Mox* invento parvulo, *gaudet Iſis, exultant ſacerdotes — nec deſinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Haec tamen Aegyptia quondam, nunc et ſacra Romana ſunt.* Scriptorem iſtum in his imitatur *Lactantius* (*f*): *Iſidis Aegyptia ſacra ſunt, quatenus* filium parvulum *vel perdiderit, vel* invenerit. *Nam primo ſacerdotes eius, deglabrato corpore, ſua pectora tundunt, lamentantur, ſicut ipſa, cum perdidit, fecerat. Deinde* puer producitur *quaſi* inventus, *et in laetitiam luctus ille mutatur. Semper enim perdunt et ſemper inveniunt. Refertur ergo in ſacris imago rei, quae vere geſta eſt.* In his et conſimilibus aliis veterum teſtimoniis, vides ſemper mentionem fieri *pueri* et *parvuli*, qualem in imagi-

(*e*) In Octavio cap. XXI.
(*f*) Lib. I cap. XXI.

gine noſtra contemplamur, dici illum *inventum*, et huius *rei imaginem in ſacris referri*. Mirum ſit, niſi hanc ipſam rem in animo etiam habuerit *Claudianus* (g), quando cecinit:

——— ſic numina Memphis
In vulgus proferre ſolet. Penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem; ſed plurimus infra
Liniger impoſito ſuſpirat veſte ſacerdos (*),
Teſtatur ſudore Deum.

§ V.

Verum ante omnia operae pretium eſſe duco, *Macrobii* verbis ſenſum fabularum Aegyptiacarum arcanum aperire, et eadem opera ea, quae de ſignificatione imaginis noſtrae iam dixi, egregie confirmare. Ita autem ille (h): *Hae aetatum diverſitates ad Solem referuntur, ut* parvulus *videatur* Hyemali Solſtitio, qualem Aegyptii proferunt ex adyto die certa; *quod tunc breviſſimo die veluti* parvus *et* infans *videatur*. Poteritne iam merito dubitari, quin imago illa *parvuli, quam Aegyptii ex adyto certa die proferebant*, quaeque referebatur ad *hyemale Solſtitium*, ſit illa ipſa, quam in Tabula Bembina conſpiciendam hactenus explicuimus? Vnicum hoc praeterea, antequam pedem promoveam, ad confirmandam explicationem meam, prioribus adiicere liceat. Videmus in imagine noſtra puerum tenellum, pedibus indiſcretis, faſciis involutum. Putabimusne habitum hunc corporis, in Tabula, quae tota myſtica eſt, ratione ſua arcana carere? Minime profecto. Eam vero nobis *Horapollo*, nobilis Hieroglyphicorum interpres, ſic explicuit:

(g) De IV Conſulatu Honorii vs. 569 ſeqq.
(h) Saturnal. Lib. I cap. XVIII.

(*) *Burmannus* dedit: L. *et poſita S. veſte* f., *Teſtatus.*

plicabit (*i*): Δύο πόδες συνηγμένοι καὶ βεβηκότες, δρόμον ἡλίου τὸν ἐν ταῖς ΧΕΙΜΕΡΙΑΙΣ ΤΡΟΠΑΙΣ σημαίνουσι. Quorum verborum hic ſenſus eſt: *Duo pedes ſic in unum compacti, tanquam non duo eſſent, ſed unus, et ſic gradum promoventes, ſolis curſum in Solſtitio hyberno ſignificant.* Hic eſt verus verborum illorum ſenſus, quem etiam in Tabula noſtra clare adumbratum videmus. Quae adverſus lectionem conſuetam poſtremus in Belgio editor [*I. C. de Pauw*, et ante eum *Mercerus* ac *Cauſſinus*] obiecit, morari nos non debent.

§ VI.

. . . . . .

Licebit mihi iam eſſe breviori in explicanda figurae ſequenti VV., quae nobis *Anubidem*, Mercurium Aegyptiorum, *capite canino inſignem* repreſentat, quod *Pignorius* recte iam animadvertit. Opportune idem locum attulit *Minucii Felicis*, quem et ego § III ex parte produxi, quique imaginem hanc noſtram felicius, quam ipſe *Pignorius* vidit, illuſtrare poterit. Verba *Minucii* ita ſonant: *Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo — luget, plangit, inquirit: — mox invento parvulo gaudet Iſis, — Cynocephalus inventor gloriatur.* En igitur Anubidem capite canino verendum, quem, ut recte monuit *Pignorius*, *minus proprie Cynocephalum* vocat *Minucius*. Teſtatur *Minucius*, Anubidem illum, ſive Cynocephalum, Iſidi, filium ſuum, aut ſi mavis, maritum quaerenti, et Oſiridi ipſi invento adeſſe, quin imo ceu *inventorem gloriari*; ut igitur ex illa ſolemnitate, quam hic ſubinnui adſtruximus, abeſſe minime poſſit. Perquam facile eſſet, alia ex ſcriptoribus vetuſtis in eumdem ſenſum adiicere. Verum ſufficiant nunc iſta *Martiani Capellae*, in quibus (*k*) fabulae Aegyptiacae ſenſum

(*i*) Hieroglyph. Lib. II cap. 3.
(*k*) Satyric. Lib. II pag. 32, 33.

ſum arcanum ex ingenio ſuo nobis aperire nititur. Ita autem de Mercurio canit:

Qui fata ſuccidentis
Separat libens Oſiris
Sationibus gravari
Genitalibus repertis.

§ VII.

Venio nunc ad figuram Tabulae ultimam, deſignatam literis YY, de qua haec *Pignorius*: *Iſis Tabulam fere concludit, cui Leoninum caput impoſitum.* Et *Iſidem* quidem, nemo eſt, qui non illico agnoſcat. De eo vero, pace *Pignorii* aliorumque, qui in eius ſententiam pedibus eunt, ſubdubitare liceat, ſitne caput Iſidi impoſitum vere Leoninum. Quodſi enim Cebos, qui ſunt ex Cynocephalorum vel Cercopithecorum genere, verum ferociores et adſpectu truciores, in limbo (*l*) Tabulae noſtrae, attente intueor, atque cum hac imagine Iſidis, quam nunc explicamus, confero, videtur mihi caput illius ad formam Cebi propius, quam ad Leonis accedere. Quod tanto minus utique mirandum, cum ſint inter veteres (*m*), qui Cebis caput tribuant, Leonino non valde diſſimile.

§ VIII.

Litem tamen ea de re acrem et pertinacem *Pignorio* non movebo. Sive enim caput ſit Leonis, ſive Cebi, res tamen ſemper eodem ferme redibit. Vtrum

(*l*) V. g. num. 22 et 43, in editione Amſtelod.

(*m*) Eorum teſtimonia diligenter congeſta videri poſſunt apud *Bochartum* in Hierozoico Part. I Lib. III cap. 31.

Vtrum enim eligas, nihil aliud monſtroſa illa mulieris cum fero animali in unum corpus compactio, ſymbolice nobis repraeſentare videbitur, niſi *Lunae cum Sole coniunctionem.* Sit caput, quod Iſidi attextum videmus, leoninum, quid quaeſo emblemate illo Aegyptiorum ſignificabitur aliud, quam vis et poteſtas *Solis*, addita iam *Iſidi*, id eſt, *Lunae?* Id enim in hieroglyphicis Aegyptiorum picturis Leonem ſemper deſignaſſe, *Pignarius* (*n*), auctoritate veterum, tam luculenter probavit, ut hic quidem otium mihi fecerit. Rem eamdem veteres Perſae ſymbola aliquantum diverſo repraeſentabant, quod in his tangit *Statius* (*o*):

Seu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Ad quae verba *Lutatius* haec commentatur: *Perſae in Spelaeis coli Solem primi inveniſſe dicuntur. Eſt enim Sol in Spelaeo* (*p*) *leonis vultu, Perſico habitu cum tiara, utrisque manibus bovis cornua comprimens, quae interpretatio ad Lunam dicitur,* (lege *ducitur*). *Nam indignata ſequi fratrem, occurrit illi, et lumen ſubtexit. His autem verſibus ſacrorum myſteria patefecit. Sol, lunam minorem potentia et humiliorem ducens, taurum inſidens cornibus torquet. Quibus dictis Statius lunam bicornem intelligi voluit, non animalia, quibus vehitur.* Et quibusdam interiectis: *Simulachrum eius fingitur reluctantis tauri cornua retentare: quo ſignificatur, lunam ab eo lumen accipere, cum coeperit ab eius ra-*

(*n*) Vide eius Commentar. in Tabulam Bembinam p. 64, 65, 68, 69.
(*o*) Thebaid. Lib. I. fin.
(*p*) Verba haec *leonis vultu* addidi ex ſequentibus.

radiis ſegregari. Sequuntur illic alia, quae ad rem hanc faciunt, ſed quae deſcribere non vacat.

§ IX.

Quodſi autem caput hocce, quod in noſtra imagine ſuperſtitio Aegyptiaca capiti Iſidis impoſuit, ſit non leonis, verum, ut ego potius ſuſpicor, *Cebi* vel *Cynocephali*, res illa, de qua hactenus dixi, etiamnum apparebit luculentior. Conſtat enim ex diſerto *Horapollinis* teſtimonio, *Cebum*, vel quod idem fere eſt, *Cynocephalum*, ſunt enim haec animalia unius generis, Aegyptiis fuiſſe notiſſimum emblema coitus Lunae cum Sole. Verba eius ſunt (*q*): *Cynocephalum pingunt, Lunam ſignificantes*, (dicendum erat, *Lunae coitum cum Sole ſignificantes*, quod ex nunc ſequentibus liquido intelligitur). *Nam animal hoc conſenſum quemdam cum Deae congreſſu, ex quo et affici ſoleat, habet. Vbi enim aliquanto tempore Luna cum Sole congrediens, expers luminis, opacaque permanet, tum mas Cynocephalus, nec quoquam intuetur, nec veſcitur, ſed demiſſo in terram vultu, indignabundus, velut Lunae raptum deplorans, triſtatur:* cuius rei imaginem, ad vivum plane expreſſam, Tabulae noſtrae limbus nobis exhibet num. 43. Alia quae apud eumdem auctorem adduntur, omitto. Ad rem eamdem *Plinius* procul dubio digitum intendit, de ſimiis his caudatis ſcribens (*r*): *Mutianus* tradit, *luna cava* (i. e. in coniunctione Lunae et Solis) *triſtes eſſe, novam exultatione adorare.* Satis, niſi fallor, ex his mens pictoris et emblematica picturae ſignificatio perſpici poterit.

§ X.

(*q*) Hieroglyphic. Lib. I cap. 14.
(*r*) Lib. VIII hiſt. nat. cap. 54.

§ X.

Quaerat forſan aliquis: Quid vero illa Lunae cum Sole amicitia et coniunctio ad *Solſtitium hybernum?* cuius hic potiſſimum rationem haberi contendo. Cur tempore *renovati*, vel *renati Solis*, ſolemnia et panegyres Lunae decernuntur? Nam deſignari hic ſolemnitatem Aegyptiis ſanctiſſimam, magnaque pompa celebratam, ipſa imago, attente conſiderata, per ſe ſatis teſtatur. Certe Oſiride invento et renato, ſacra fieri Iſidi, quod imago noſtra utique innuit, nihil mirum. Concinunt imagini huic veterum teſtimonia, quorum nonnulla § III adduxi, quae honorem beneficii huius ad *Iſidem* referunt, quippe quae *Oſirin quaeſiverit*, *quaeſitum invenerit*, ac denique *de invento cum ſacerdotibus gaviſa fuerit.* Id autem eſt, quod in imagine noſtra depingi credo. Neque vero rei huius ratio obſcura eſt. Aegyptii enim, non ſecus atque gentes aliae (*s*), Lunam tamquam terrae noſtrae matrem quamdam et nutricem, quae virtute ſua in eam influeret, et ad foecunditatem eius plurimum conferret, ſemper venerati ſunt. Credidere iidem, Lunam hanc ſuam virtutem ac poteſtatem a *Sole* mutuari, unde fieret, ut appropinquante ad Hemiſphaerium noſtrum Sole, Lunae in terram noſtram beneficia ampliora quoque et conſpicua magis eſſent. Finxerunt itaque, Lunam, Sole ab Hemiſphaerio noſtro recedente, deſiderio eius teneri, eumque ſtudioſe quaerere, redeunte vero eodem et veluti invento, impenſe gaudere. Hac de cauſa igitur, renovato Sole, ſolemniſſima panegyris, ab Aegyptiis in honorem Iſidis ſuae, inſtituebatur, qua beneficia Solis et Lunae

er-

(*s*) Videri ea de re poſſunt *Natalis Comitis* Mythologia Lib. III cap. 17, *Gerh. Io. Voſſius* de Theologia Gentili Lib. II cap. 19.

erga ſe, coniunctim, grata memoria recolebant, quod in imagine noſtra hieroglyphice adumbratum volvere.

§ XI.

A vero non valde, opinor, aberravero, ſi dixero, panegyrin hanc noſtram, de qua diſſerui, eſſe ipſa *Iſea*, Feſtum in Aegypto religioſe celebratum, quod in *Solſtitium hybernum* ingruiſſe (*t*) *Eudoxus* et alii Graeci memoriae prodiderunt. Equidem (*u*) *Geminus*, *Eudoxum* et ceteros Graecos, ex quibus id refert, erroris manifeſti reos eſſe pronunciat, eo, quod in anno Aegyptiorum vago, qui tempore *Eudoxi*, et diu etiam poſt obtinuit, Feſta ſemper moverentur et, ſpatio annorum 1460, totum annum pervagarentur. Concludebat ex eo *Geminus*, Feſtum, quod aliquando in ipſum Solſtitium hybernum inciderat, poſt annos 120, toto menſe ab eodem diſtare debuiſſe; eamque cenſuram calculo ſuo (*v*) *Petavius* confirmat, quam vere, neſcio. Eſtne quisquam, qui ſibi facile perſuadeat, *Eudoxo*, magni nominis Aſtronomo, qui Aſtronomiae ſtudio Aegyptum petierat, ibique ſacerdotibus ſumma familiaritate coniunctus fuerat, quinimo eorumdem convictu (*w*) ſedecim menſes, aut, ut (*x*) nonnulli volunt, tredecim integros annos uſus erat, rationem anni Aegyptiorum adeo ignotam fuiſſe, ut neſciret, Feſta ipſorum, quovis quadriennio, die uno recedere, et ſic pergere, usque dum poſt confectos

(*t*) Teſtante *Gemino*, in Elementis Aſtronomiae, edit. *Petavii* in *Uranologio* pag. 33 fin.
(*u*) Loc. cit. pag. 33 fin., 34.
(*v*) In notis ad *Geminum*, in *Uranologio* p. 410, 411.
(*w*) *Diogenes Laertius* Lib. VIII ſegm. 87.
(*x*) *Strabo* Geograph. Lib. XVII p. 554 [1159].

ſectos annos 1460 ad priſtinum ſuum initium rediret? Quare ſuſpicor potius, *Eudoxum* de tali *Iſeorum* Feſto loqui, quod ſemper in Solſtitium hybernum ingruebat, verum in anno Aegyptiorum vago una cum Solſtitio procedebat. Nam Solſtitia et Aequinoctia ipſa, vel ſolemnes eorum commemorationes, in anno illo vago, non aliter atque reliqua Aegyptiorum Feſta proceſſiſſe, vel ex unius *Ptolemaei magna ſyntaxi* liquido perſpicitur. Sic, ut exemplum afferam, teſtatur (y) auctor ille, anno poſt obitum Alexandri M. 463, qui eſt, ſecundum *Calviſium*, A. C. 141, *aequinoctium vernum* incidiſſe in d. VII *Pachon* (II Maii), *Solſtitium aeſtivum* in XI *Meſori* (IV Auguſti), et *aequinoctium autumnale* in IX *Athyr* (V Novembris). Si igitur in illo Aegyptiorum anno Solſtitia recedebant, receſſiſſe etiam Feſta illis adſtricta, utique neceſſe eſt. Ab *Iſeorum* hoc Feſto laeſo et exoptato, quod in Solſtitium hybernum ingruiſſe fixi, diverſa omnino fuere, quod nec *Geminus*, nec *Petavius* recte animadverterunt, *Iſea* alia lugubria, quippe quae reſpiciebant ad Oſirin, ſollicite adhuc quaeſitum, uti priora referebantur ad Oſirin, iam cum gaudio inventum. *Iſea* iſthaec lugubria, quae *Plutarchus*, obſervante etiam *Petavio*, in menſem *Athyr*, reſpondentem fere noſtro *Novembri*, incidiſſe teſtatur, inciderunt in *Athyr*, anni non vagi, ut falſo ſibi perſuaſit *Petavius*, ſed fixi Aegyptiorum. *Plutarchus Iſea* haec celebrata eſſe dicit (z) d. XVII *Athyr*, et ſequentibus, auctor vero *Kalendarii Romani*, editi ſub Conſtantio Imperatore, eadem in principio menſis Novembris locat, cuius diſcrepantiae rationem alio loco aperiam. Sed in quem anni Aegyptiorum fixi men-

(y) Libro III pag. 72 edit. Graec. Baſil.
(z) Libro *de Iſide et Oſiride* p. 635, 653, 655, edit Stephani.

menſem atque diem, *Iſea* noſtra, laeta ac auſpicata, ſeu, quod plane idem eſt, *Feſtum inventi Oſiridis*, conferri merito oporteat, nunc disquiramus.

§ XII.

Feſtum *Oſiridis inventi*, ſive, quod idem eſt, *renati*, inter ſolemnitates Aegyptiorum religioſas omnes praecipuum locum habuiſſe, vix erit, qui inficias ire ſuſtinuerit. Celebratum ſemper ab Aegyptiis fuiſſe, magna cum gaudii teſtificatione, ſatis docent noti illi *Iuvenalis* (*a*) verſus:

Exclamare libet, populus quod clamat Oſiri
Invento,

ad quae verba haec obſervat vetus eius interpres: *Populus Aegypti invento Oſiri dixit:* Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Formulae huius Feſtivae, uti eam *Iuvenalis* recte interpretatur, cuius hic ſenſus eſt, *invenimus, et una laetamur*, etiam apud (*b*) alios mentio occurrit. Sed in dubium adhuc vocatur, quisnam Feſtivitati huic, in anno Aegyptiorum, proprius dies dicatus fuerit. Scriptor (*c*) haud ita pridem perelegans et eruditus, Feſtivitatem hanc in *veris principium* coniicit. Et fateor, rationem, qua utitur, eſſe ingenioſam, et ab indole Theologiae Aegyptiorum non ita alienam. Verum aliter tamen re ipſa gentis illius ſacerdotibus viſum fuiſſe, nunc, credo, palam eſt. *Marshamus*, doctus et laborioſus antiquitatis Aegyptiacae

(*a*) Satyra VIII. 29, 30.
(*b*) *Athenagoras* Legat. pro Chriſtianis p. 24. *Firmicus* de errore profan. relig. p. 5.
(*c*) Mr. *des Landes* Hiſtoire Critique de la Philoſophie Tom. I p. 151.

eae indagator, *menſem Iunium* ſolemnitati iſti *dicatum* (*d*) cenſet, forte, quod ſub idem fere tempus mundum conditum fuiſſe, Aegyptiorum traditio ferebat. *Scaliger* mavult (*e*) menſem *Athyr*, qui Romanorum *Novembri* fere reſpondet, eumque ſecutus *Seldenus* (*f*), qui nobis etiam erroris huius ſui originem, quam mox examinabo, indicat. *Kircherus* hic quidem non adeo procul a veritate aberravit, quando ſacra haec (*g*) menſe *Choeac*, i. e. *Decembri*, celebrata eſſe affirmat.

§ XIII.

Seldeno et *Kirchero* fraudi fuerunt verba *Plutarchi*, quippe quae haud dubie in mendo cubant, quae tamen correcta et meditate expenſa, ad inveſtigandam veritatem inſigniter profeſſe nobis poterunt. Verba *Plutarchi* (*h*) haec ſunt: *Menſe Athyr, quando nox fit longior, tenebrae creſcunt, lucisque ſuperatur et tabeſcit vis: tunc ſacerdotes cum alios lugubres ritus exercent, tum bovem auratum, nigro byſſino amictu contectum, Deae nempe* Iſide *tum lugenti, oſtentant. Eſt autem bos Oſiridis pariter* (*i*) *et terrae ſymbolum.*

(*d*) In *Canone Chronico* p. 31 edit. Franeq.
(*e*) *De emendatione Temporum* Lib. II p. 70.
(*f*) Libro *de Diis Syris* Syntagm. I cap. IV p. 141, et Syntagm. II c. IX p. 335.
(*g*) *Oedipi Aegyptiaci* Tom. II Part. II p. 262.
(*h*) De Iſide et Oſir. p. 653 ed. Steph. vel 366 ed. Wechel.
(*i*) Graecus Textus, in editionibus, quas conſulere nunc poſſum, Stephaniana, Baſileenſi et Wecheliana, habet. Βοῦν γὰρ Ὀσίριδος εἰκόνα καὶ γῆν νομίζουσιν. Lege καὶ γῆς, et ſic verte (*).

(*) In editione nova Oxonienſi καὶ γῆν retinuit Cl. *Wyttenbachius*, ſed pro Ὀσίριδος εἰκόνα recepit Ἴσιδος εἰκόνα, cum et ratio ipſa id poſtularet, et duo codices confirmarent. In Latina interpretatione tantum legitur: *bovem enim Iſidis ducunt imaginem.* Καὶ γῆν idonea ratione poteſt defendi.

lum. Ritus illos per quatriduum continuum a d. XVII *Athyr* (XIII Novemb.) *peragunt. Die vero menſis* XIX *noctu ad mare deſcenditur, et ſacram ciſtam Stoliſtae, (quaſi veſtitores diceres) una cum ſacerdotibus efferunt, in qua eſt intus aurea arcula, cui infunditur ab iis aqua potabilis, ac clamor tollitur ab his qui adſunt* (*k*), *vociferantibus* Oſiridem eſſe Inventum. En igitur *Oſiridem inventum!* idque dicitur contingere ſolere die XIX menſis, cum paulo ante menſis *Athyr* nominatim facta eſſet mentio. Licebitne igitur *Seldeno* aſſeverare, haec omnia *uno eodemque menſe Athyr Aegyptiis celebrata fuiſſe*, cum *Plutarchus* id clare teſtetur? Ego vero minime cenſeo. Verba enim *Plutarchi*, ex quibus id elicitur, corrupta eſſe, ſi aliunde non conſtaret, ex ſolo tamen rerum et verborum contextu evidenter colligitur. Ait enim auctor ille, Aegyptios per quatuor dies continuos, initium faciendo a (*l*) d. XVII *Athyr*, ſacra lugubria peregiſſe propter Oſirin deperditum. Qua ratione autem id verum eſſe poſſit, ſi die XIX eiusdem menſis Oſiris iam inventus, eoque luctus omnis in laetitiam verſus fuiſſet? Senſit hoc dubio procul *Kircherus*, eamque ob rem, menſem ſequentem *Choeac*, ſive *Decembrem* ſubſtituit. Verum profecto, ne in hoc quidem ſubſiſtendum, ſed miſſo etiam eo, ad hunc qui ſequitur, *Tybi*, vel *Ianuarium*, pergendum erat. Nam ſecundum rationes anni fixi Aegyptiorum, quod (*m*) mox ad liquidum perducetur, ineunte *Ty-*

(*k*) Eſt illa vociferatio, cuius *Iuvenalis* meminit. Vide ſupra § XII.

(*l*) Obſerva hunc ipſum diem a *Plutarcho* in eodem libro, duobus aliis in locis, etiam nominari, p. 635 et 655 edit. Stephani, ut igitur dubitandi locus non ſit, quin haec ſit lectio genuina.

(*m*) Vide infra § XVI.

Tybi, id eſt, in confiniis *Decembris* et *Ianuarii*, Oſiris nondum putabatur inventus. Neque tamen minus certum eſt, ſolemnitatem *Oſiridis inventi* praecedere menſem *Mechir*, vel *Februarium*. Auſim ergo dicere, eſſe plus quam probabile, *Plutarchum* ita ſcripſiſſe: Τῇ δὲ ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα (μηνὸς Τυβὶ) νυκτὸς ἐπὶ θάλασσαν κάτεισι, *die vero* XIX *Menſis Tybi, noctu ad mare deſcenditur*. Nempe hic contigit, quod etiam alias in hoc libro *Plutarchi* obſervavi, ut vitio librariorum, qui rerum iſtarum prorſus erant imperiti, nomen menſis exciderit. Nec me meae coniecturae de verbis *Plutarchi* poſtea poenituit in Collectione MS. vocum Aegyptiacarum v. Τυβί [t. I Opuſcul. p. 353]. Quem tamen et ſimiles errores nolim adſcribi eximio ſcriptori, ſed multo potius librariis, aut indoctis, aut ſaltem minus accuratis, aut etiam nimium feſtinantibus.

§ XIV.

Mihi vero *Plutarchus* ipſe, quem ſic, uti nunc monui, ſcripſiſſe, veroſimillimum eſt, nondum ſatisfacit. Credo potius, optimum illum auctorem, cum ita ſcriberet, dum in rebus minus obviis congerendis occupatus eſſet, ſed ab aliis falſus, levem errorem commiſiſſe. Omnibus ſtudioſe expenſis, in eo mihi acquieſcendum putavi, maximam illam *Oſiridis inventi* ſolemnitatem ab Aegyptiis d. XI *Tybi* vel VI. *Ianuarii* peragi conſuevīſſe. Auctorem habeo *Epiphanium*, ex quo id confici poſſe, confido. Apud eum quidem haec tantum leguntur, quae ad inventum Oſiridem non pertinere multis videbuntur (*n*): διόπερ τῇ ἑνδεκάτῃ Τύβι κατ' Αἰγυπτίους, πάντες ὑδρεύονται ὕδωρ, καὶ ἀποτιθέασιν ἐν αὐτῇ τῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν πολλαῖς πατρί-

(*n*) Haeresi LI quae eſt *Alogorum* § 30 p. 451.

τρίσιν, *quae cauſa eſt*, *cur* die XI Tybi, *omnes in Aegypto aquam hauriant*, *eamque ibidem*, *uti praeterea multis aliis in locis*, *reſervent.* Operae tamen pretium erit, obſervaſſe, ſermonem eſſe de ſolemnitate, in Aegypto, die certa, ab omnibus celebrata, idque menſe *Tybi*, in quem feſtivitas iuventi Oſiridis certo certius ingruit. Solemnitatis illius pars erat ὕδρευσις, *aquatio*, quam etiam fuiſſe ceremoniam non ignobilem pompae Oſiriacae, ex verbis *Plutarchi*, ſupra § XIII allatis, iam intelleximus. *Deſcendebatur* enim in illa *ad mare*, vel *ad aquam*, et *hauriebatur aqua potabilis.* Idem confirmabo alio doctiſſimi huius ſcriptoris loco, ubi (*o*) ex Aegyptiorum traditionibus iſta refert: Ἔνιοι δὲ Παμύλην τινὰ λέγουσιν ἐν Θήβαις. (*p*) ὑδρευόμενον ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διὸς φωνὴν ἀκοῦσαι, διακελευομένην ἀνειπεῖν μετὰ βοῆς, ὅτι μέγας βασιλεὺς εὐεργέτης Ὄσιρις γέγονε, *Alii Pamylen quemdam aiunt*, *cum Thebis e Templo Iovis* aquam peteret, *vocem exaudiviſſe*, *qua iuberetur* magno cum clamore annunciare, Oſirin, *regem magnum et beneficum*, natum eſſe. Vides hic ὕδρευσιν, *aquationem.* Vides *magnum clamorem*, nato Oſiride editum. Vides denique ipſum *Oſirin natum.* An non haec in memoriam revocant illa *Iuvenalis*, quibus uſi iam ſumus?

Ex-

(*o*) De Iſide et Oſir. p. 633, ed. Steph. vel 355, Wechel.

(*p*) In editionibus noſtris legitur ὑδρευομένην, tanquam *Pamyle* mulier eſſet. Sed mox *Plutarchus* de *Pamyle* loquitur ceu viro ἐγχειρήσαντος αὐτῷ τοῦ κρόνου, et ſic iterum paulo poſt. Itaque lectionem hanc ſecutus, hic etiam ſcripſi ὑδρευόμενον (*).

(*) ὑδρευόμενον recepit Cl. *Wyttenbachius.* Placuerat item *Squirio*,

Exclamare libet, populus quod clamat Oſiri Invento.

Quodſi igitur loca *Plutarchi* adducta inter ſe, et cum *Epiphanii* verbis attente conferas, manifeſtum evadet, utrumque unam eamdemque ſolemnitatem in animo habere, niſi quod *Epiphanius* eam referat ad d. XI Tybi, *Plutarchus* vero ad d. XIX eiusdem menſis. Eſtne vero credibile, ſolemnitatem tantam, per totam Aegyptum, ab omnibus, eodem menſe, intra paucos dies bis peractam fuiſſe?

§ XV.

Verum qua tandem ratione litem, quae eſt inter *Plutarchum* et *Epiphanium*, componemus? Hic quidem ſolemnitatem, uti iam vidimus, coniicit in d. XI *Tybi*, vel VI *Ianuar.*, ille vero in d. XIX *Tybi*, vel XIV *Ianuarii*. Equidem in hac cauſa, miſſo *Plutarcho*, *Epiphanii* partes ſequi non verebor. *Plutarchum* aliquando, in rebus huius generis, ſcribendo aberraſſe, nihil mirum. At *Epiphanium* in eadem re aberrare omnino non potuiſſe, aio. Differebat enim de re, Chriſtianorum omnium ore tum temporis celebrata, et ab omnibus in Oriente firmiter credita, Servatorem nempe noſtrum d. XI *Tybi*, vel VI *Ianuarii*, quondam a *B. Virgine Maria* in lucem editum fuiſſe, et eodem quoque die, poſt annos triginta, miraculo primo verſae in vinum aquae, gloriam ſuam hominibus manifeſtaſſe. Addebant plerique, hoc quoque die Dominum a Iohanne Baptiſta in Iordane tinctum fuiſſe. In hoc igitur error profecto committi non potuit. Scribit porro *Epiphanius*, eodem illo die, per totam Aegyptum, ſingularem prorſus aquae virtutem perſentiſci, quare ab omnibus hauriatur et domi recondatur. Neque in eo poteſt eſſe error. Nam mos ille a ſacerdotibus Iſidis in Aegypto primum ſancitus, poſtea ad

Chriſtianos etiam tranſiit, perſuaſos, Dominum noſtrum illo ipſo die aquam in vinum convertiſſe, huiusque miraculi ſuo etiam tempore paſſim extare veſtigia. Ex Aegypto conſuetudinem hanc ad alios quoque in Oriente Chriſtianos dimanaſſe, vel ex hoc *Chryſoſtomi* teſtimonio (*q*) conſtat, digno, quod etiam hic legatur: *Hoc enim die*, inquit, loquens de VI Ianuarii, *baptizatus eſt Dominus, eoque ſanctificavit aquam. Idcirco omnes in ſolemnitate hac* (*r*) *media nocte aquatum eunt, et aquam hauſtam domi reponunt, ac in annum integrum cuſtodiunt, etc.* Ex his igitur, et pluribus aliis, quae adferri poſſent, certo intelligitur, *Epiphanium* ea, quae de ὑδρεύσει Aegyptiorum refert, recte omnino et vere, in d. XI *Tybi* reieciſſe. At *Plutarcho* in huiusmodi re levem errorem committere facillimum erat; levem enim errorem hunc, et merito, appello. Scripſit namque TH ΕΝΝάτῃ ἐπὶ ΔΕΚΑ, pro eo quod ſcribi debuerat, et quod ſcripſit *Epiphanius*; TH ΕΝΔΕΚΑτῃ, in quo inter ſcribendum aberrare, homini, tot variisque cogitationibus intento, quam non proclive erat?

§ XVI.

Cum iis, quae hactenus obſervavi, tenor fabulae Aegyptiacae de Oſiride et Iſide, ſub cuius aenigmatibus

(*q*) In Homilia *de Baptismo Chriſti*, Operum edit. Montfaucon. Tom. II p. 369. Ceterum morem illum hodieque in Oriente obſervari conſtat. Vide *Pagii* Criticam in Annales *Baronii* ad A. C. 29 Num. VII.

(*r*) Rogo lectorem, ut id obſervet. *Epiphanius* rem hanc ſilentio praetermiſerat, ſed meminit ejus probe *Plutarchus* adductus a me § XIII. Ita *Plutarcho* etiam hic cum *Epiphanio*, aut cum re, quam tangit *Epiphanius*, pulchre convenit.

bus et ſymbolis ſacerdotes Theologiam ſuam et Phyſiologiam vulgum celare conſueverant, exacte conſpirat. Fabulae illius, quam omnium accuratiſſime *Plutarchus* in libro *de Iſide et Oſiride* literis mandavit, tale argumentum eſt. *Oſiris a Typhone ſociisque coniuratis occiditur d.* XVII *Athyr* (XIII Novembr.). *Interemtum Oſirin Sacerdotes plangunt, luctumque ſuum variis ceremoniis demonſtrant. Iſis vero ex Aegypto in Phoeniciam proficiſcitur, ibi charum ſuum Oſirin quaeſitura.* Sic reliqua pars menſis *Athyr* et *Chöeac* tranſigitur. Sequenti *menſe Tybi* (vel Ianuario) *redit ex Phoenicia in Aegyptum, et quidem* d. VII (id eſt II Ianuarii) cuius rei memoriam (*s*) die illo quotannis Aegyptii recolebant. *Paucis autem diebus poſt, ecce quaeſitum ſuum maritum invenit.* Tricas fabularum nunc non moror, contentus indicaſſe, hanc eſſe rei ſummam. Si igitur, ut fabulae hae tradunt, Iſis d. VII *Tybi*, vel II *Ianuarii*, in Aegyptum appulit, et brevi poſt Oſirin invenit, quis non iudicabit, egregie cum reliquis fabulae partibus concinere, ſi dicatur, factum id eſſe d. XI *Tybi*, id eſt VI *Ianuarii*. Et profecto, die illo ipſo Aegyptios ſolemnitatem quamdam inſignem Romae peragere ſolitos fuiſſe, ex eo etiam colligo, quod in praeſtantiſſimo illo *Kalendario Romano*, quod ſub Imp. Conſtantio, Conſtantini M. filio, compoſitum fuit, in *Ianuario* haec legantur: VIII *Idus Ianuarii* (s. d. VI Ianuar.) *dies Aegyptiacus*. Nam per *dies Aegyptiacos*, ſaepius in Kalendario illo memoratos, intelligi Feſtivitates religioſas Aegyptiorum peculiari Diſſertatione, quae hanc ipſam mox ſequetur, argumentis non contemnendis evincam.

§ XVII.

(*s*) *Plutarchus* de Iſid. et Oſir. pag. 662 ed. Steph. 371 Wechel.

§ XVII.

Auſimne vero et iſtud libere profiteri, quod mihi jam dudum in mentem venit? verba illa, quae, tanquam ex *Manethonis* Dynaſtia ſecunda, *Africanus* (*t*), ac ſpeciatim *Euſebius* (*u*), hunc in modum referunt, ἐπὶ τοῦ ἑβδόμου μυθεύεται τὸν Νεῖλον μέλιτι κεκραμένον ἡμέρας ιά ῥυῆναι, *ſub ſeptimo* rege, *Nilum melle temperatum* XI *diebus fluxiſſe comminiſcuntur*, re vera ad noſtrum negotium ſpectare? *Manethoni* enim multa aliena, non modo ab *Africano* primum et *Euſebio*, ſed poſtea etiam ab otioſis Monachis, adtexta fuiſſe, et ſaepe per ingentem errorem, vix dubitabit unquam quisquis Dynaſtias ſcriptoris illius Aegyptii, uti conſervatae ſunt, accurate et meditate legere dignatus fuerit. Huius furfuris etiam eſſe, quae nunc citavi, magnopere ſuſpicor. Quidam ex vetuſtis Chriſtianis facilem nimis aurem Gnoſticis, huiusmodi fabellarum, ut credo, auctoribus, praebuerant; ſingulari prorſus et vere miraculoſa Providentia Dei fieri, ut illo die, quo Dominus noſter Chriſtus Ieſus, Bethlemi primum natus, deinde etiam in Iordane baptizatus, ac per miraculum etiam aquae in vinum converſae illuſtri modo glorificatus fuerat, die videlicet VI *Ianuarii*, multi per orbem fluvii, ac ſigillatim Nilus in Aegypto, virtutem vini adſciſcerent, ac lacte veluti et melle fluerent. Rem enim hanc (*v*) *Epiphanius*, ut indubiam, ſua aliorumque experientia teſtatam, refert. Re ipſa traditiones huiusmodi fabulis Ethnicorum deberi, et Chriſto Domino antiquiores eſſe, *Caſaubonus* (*w*) abunde probavit. Verum Gnoſticorum frau-

(*t*) Apud *Syncellum* in Chronographia p. 55.
(*u*) Apud eumdem *Syncellum* p. 55, 56, et in editione *Scaligeri* p. 14.
(*v*) Haereſi LI § 30.
(*w*) Exercitat. XIII adverſus *Baronium*, num. XXII.

fraudes et credulitas Chriſtianorum quorumdam effecerunt, ut res, a ſacerdotibus Iſidis in Aegypto, et Bacchi in Graecia, conficta et in ſe prorſus imaginaria, non tantum ut vera crederetur, ſed etiam Baptismo ac Miraculis Chriſti in acceptis ferretur. Ipſam hanc rem tangi in illis verbis, quae non tam ex *Africano* et *Euſebio*, quam potius eorum interpolatoribus nunc retuli, mihi veroſimile ſit. Quando igitur lego, Nilum *diebus* XI melle temperatum fluxiſſe, id ex eo hauſtum opinor, quod *die* XI *Tybi* Nilus traderetur vim plane ſingularem et mellitam veluti dulcedinem adipiſci. Quisnam vero fons erroris tam putidi extiterit, dicere omnino nequeo. Etiam coniecturae huic in univerſum, quam non niſi pro coniectura haberi velim, ſi cordato lectori displiceat, non invitus renunciabo.

§ XVIII.

Dum in iſtis verſor, memoriam forte ſubit, quod non ita pridem, in itinerario auctoris cuiusdam recentis, relatum legi, quodque, ſi veritati eſſet conſentaneum, non mediocriter, ea quae diximus, confirmaret. Auctoris huius verba, ne forte incautum quempiam decipiant, e Germanico Latine converſa appono. Loquens de Inſulis Moluccis in India Orientali, illic locorum ſe haec accepiſſe teſtatur (*x*): *Pro certo affirmatur, ex hiſce regionibus veniſſe celebratos tres illos reges, qui ex Oriente Hieroſolymam, et inde Bethlehemum, petierunt eo fine, ut Ieſum infantem illic adorarent. Erant enim inter Aſtronomiae cultores, ſecundum diſciplinam Aegyptiorum, tum temporis facile principes, eodemque tempore, Romae imperante Ti-*

(*x*) Carl Friedrich Behrens Reiſe durch die Süd-Länder. Franckfurth 1737. Sect. XVIII p. 168, 169.

Tiberio, audiverant, apud Iudaeos extare vaticinia de novo rege tum exorituro, quem potentem fore in mundo Monarcham, resque Iudaeorum feliciter restituturum esse, credidérant. Superfunt hic antiquissima gentis istius monumenta, arborum corticibus inscripta, reique huius historiam complectentia. Quo tempore apud nos memoria trium regum festiva recolitur, (d. VI Ianuar.) *ipsi* Festum Astrorum *celebrant. Nautae nostri Belgici tempore illo circumcursitant, stellam gestantes. Reges autem cibum et potum, et alia praeterea dona, illis praebent, quo facto, Festum more gentilium celebratur. Rex quidem Ternatensis nomen suum Religioni Christianae addixit, verum duo reliqui superstitiones Ethnicas etiamnum sequuntur. Non semel incidi in sacerdotes Muhammedanos in India, qui peregrinationem Meccanam aliquoties susceperant, aut qui in Academia illius urbis literis operam dederant, inque historia gentium Asiaticarum non parum versati erant. Ex horum relationibus accepi, extare in Bibliotheca Meccana Chronicon de rebus gestis regum Moluccanorum, in quo memoriae proditum sit, tres reges, ante permulta secula per Arabiam in Iudaeam profectos fuisse, cum in coelo signa ac prodigia penitus insueta observassent, ac tempore non ita multo interiecto, feliciter in patriam redisse.* Quod si igitur relationibus hisce fidem adhibemus, in India olim, ab Astronomis antiquissimis, secundum disciplinam Aegyptiorum institutis, d. VI *Ianuarii* celebratum fuit *Festum Astrorum*, quod quam simile sit Festo *Osiridis inventi*, pluribus explicare opus non est. Verum non dissimulabo, antiquas Moluccanorum relationes mihi magnopere suspectas esse. *Tres* insularum Moluccarum *reges* praecipui, qui in traditione illa innuuntur, Ternatensis, Tidorensis, et Batsianensis, non sacris idolorum favent, quod hic ut certum ponitur, verum ante hos trecentos fere annos, religio-

ni

ni Muhammedanae ſe initiari paſſi ſunt. Teſtantur hoc (y) Luſitani, qui ex Europaeis noſtris omnium primi oras has adierunt, idemque poſtea peregrinatores ceteri, qui illos ſecuti ſunt, confirmarunt omnes. Feruntur quoque inſularum Moluccarum incolae ſupra modum rudes, literarumque omnium expertes eſſe. Quae cauſa eſt, ut fides iactatorum illorum Annalium Moluccenſium apud me magnopere vacillet.

§ XIX.

Vnam ſupereſſe hic difficultatem video, quam tacitus praeterire non poſſum. Dixi nempe, Tabulae Bembinae clauſulam, quam nunc illuſtrandam ſumſi, ſpectare ad Solſtitium hybernum, illiusque tempus deſignare. Quod quomodo verum eſſe poterit, ſi ſolemnitas iſta diei VI Ianuarii propria fuerit, quae a vero Solſtitio tam longe abeſt? Praeterea, an non cuique Figuras Tabulae noſtrae, paulo attentius contemplanti, vero videbitur ſimillimum, imaginem ultimam, literis YY. diſtinctam, rem nobis deſignare diverſam ab illa, quam imago TT. oculis noſtris ſubiicit? Non adeo difficile erit, ſcrupulos hosce, qui ſe omnibus ſponte offerunt, ita eximere, ut dubitandi argumentum omne tollatur. Non vehementer repugnabo, ſi quis exiſtimaverit, duas has imagines res etiam diſtinctas cogitationi noſtrae obiicere. Sed haec tamen cum iis, quae hactenus diſputavi, conciliari rectiſſime poterunt. In imagine TT. *Solſtitium hybernum* repraeſentari, vix credo fore quemquam, qui in dubium vocare voluerit. Deſignatur itaque hic ipſum verum Solſtitii hyberni tempus. Imago vero YY. nos admonet ſolemnitatis publicae, occaſione hac inſtitutae, ſed

(y) Vide *Maffei* Hiſt. Indic. Lib. V p. 225, 226.

ſed a die Solſtitiali nonnihil remotae. Adhuc propius ad ingenium Tabulae noſtrae accedere videbimur, ſi ita exiſtimaverimus, in imagine TT. adumbrari ſolemnitatem ſacram, ipſo Solſtitiali die a ſacerdotibus, Aſtronomiae ſtudioſiſſimis, celebratam. Hanc in animo habuiſſe videtur *Macrobius*, ubi iſta memoriae prodidit, ſupra iam allata § V, *ut Sol parvulus videatur hyemali Solſtitio, qualem Aegyptii proferunt ex adyto die certa, quod tunc breviſſimo die veluti parvus et infans videatur.* Haec erat ſolemnitas ſacerdotibus, alumnis ipſorum, et initiatis, propria et peculiaris, ac vere Philoſophica. Imago vero YY, me iudice, ſymbolum erit Feſtivitatis publicae, aliquanto poſt a toto populo religioſe et cum gaudio concelebratae.

§ XX.

Enim vero id quod dixi, a genio et conſuetudine veterum alienum omnino non eſt. Conſuetudinis huius, non in Aegyptiorum modo, ſed Romanorum quoque Faſtis, veſtigia reperire licet. Romani quondam ſolemnitati hyemalis Solſtitii in Faſtis ſuis dicaverant diem XXV Decembris. Ille in vetuſto *Kalendario Romano* vocatur *Natalis invicti Solis.* Eo die *Solem* dici ſolere *novum*, *Servius* (z) Grammaticus non ignobilis obſervat, quia, ut (a) idem teſtatur, die illo *Solſtitium hyemale* celebrabatur. Non neſciebant Romani, Solſtitium verum ſolere diem iſtum antevertere, et tamen ſolemnem illius memoriam collocabant in d. XXV Decembr. propter rationem, quam hunc in modum exponit *Iulianus* Imperator (b): *Non enim*

quo

(z) In *Virgilii* Lib. VII Aeneid. 720.
(a) Idem in Lib. I. Georgic. 100.
(b) Oratione IV Operum edit. Spanhemii p. 156.

quo die Sol converſionem facit, ſolemne illud peragi voluerunt maiores noſtri; ſed quo demum manifeſtus eſt omnibus illius ad ſeptentriones a meridie progreſſus. — Itaque ſtatim exacto ultimo menſe, qui Saturno dicatus eſt, ante initium anni, magnificentiſſimos ludos in honorem Solis committimus, quos invicto Soli nuncupamus. Simile quid Aegyptiis etiam viſum eſſe, ut credam, pluribus rationibus adducor, ita tamen, ut verum Solſtitii hyemalis diem inter ſe concelebrarent ſacerdotes, in alium vero diem ſolemnitatem eius publicam reiicerent, diem nempe XI *Tybi*, vel VI *Ianuarii*, idque in Tabula noſtra adumbratum eſſe cenſeo.

§ XXI.

Non invitus fateor, diem VI *Ianuarii* a vera Solſtitii hyberni tempore paulo longius remotum eſſe, quod novam difficultatem parere poſſe videtur. Sed cogitandum erit, rationem anni Sacri Aegyptiorum, ſive Feſtorum ab ipſis antiquitus conſecratorum, id omnino flagitaſſe. Inter Oſiridis caedem, inter eiusdem inveſtigationem et inventionem, iuſta debuit utique obſervari temporis menſura, fundata in placitis Theologiae et Phyſiologiae Aegyptiorum. Ea ſine dubio cauſa eſt, cur reditus Iſidis e Phoenicia in Aegyptum, quod ſupra iam oſtendimus § XV, a gentis huius Theologis in diem II *Ianuarii* reiecta fuerit, unde per ſe iam ſequebatur, ipſam Oſiridis inventionem, et rei eiusdem ſolemnem teſtificationem, non niſi poſt aliquot dies ſuccedere poſſe. Itaque ſatis commode Feſtivitas haec in d. VI *Ianuarii* collocata eſt. Si vetuſtiſſimi Aegyptiorum Theologi (*c*), quibus magnopere curae cordique fuerat, ut ordo Feſtorum

(*c*) Notiſſimus eſt eam in rem *Gemini* locus, in *Petavii* Uranologio p. 33, et ab eruditorum permultis allatus.

rum per totum annum esset vagus et ambulatorius, praevidere potuissent venturum esse tempus, quo annus suus ex vago redderetur fixus, seriem Festorum aliter forte dispositissent. Verum postea facta illa olim dispositio et ordinatio, quia rationibus Sacrorum sine dubio innixa fuit, in anno etiam fixo retineri debuit.

§ XXII.

Scimus praeterea, Alexandrinos (*d*) omnium primos, neglecto antiquo Aegyptiorum anno vago, fixum et in usu civili et in Sacris introduxisse. Mirum igitur nemini videri debet, Graeculos hos, qui iam olim sub regno Ptolemaeorum, plurimas gentis suae doctrinas et superstitiones in Theologiam atque Sacra Aegyptiorum invexerant, nunc etiam, ubi anni forma mutanda et figenda erat, opportunitate hac usos esse, resque sic disposuisse, ut inter Osirin Aegyptiorum Bacchumque suum, uti nec minus inter religiosas solemnitates, Numini utrique sacratas, summa appareret convenientia. Graecos certe plurimas et praecipuas in honorem Bacchi solemnitates ea anni tempestate celebrasse, quae Festo Osiridis in anno Aegyptiorum fixo dedicata fuit, multis modis testatum est. *Casaubonus*, qui id quoque (*e*) observat, haec veteris Grammatici

Vide tamen, si placet, *Seldenum* de Diis Syris Synt. I cap. IV p. 144 sqq., et *Dodwelli* Appendicem ad Dissertationes Cyprianicas § IV, V. Scholiastes *Germanici* refert, reges Aegypti olim a sacerdotibus inaugurandos. *iureiurando adigi* consuevisse, *neque mensem neque diem intercalandum, quem in festum diem immutarent, sed* CLXV *dies peracturos, sicut institutum est ab antiquis*, pag. 120 edit. Sanct. Andreanae.

(*d*) Vide *Dodwellum* loc. supra citato. Adde *la Chronologie de l'Histoire Sainte* de Mr. *des Vignoles* Tom. II. p. 703. sqq.

(*e*) Exercit. XIII in Baronium, Num. XXII.

et (*f*) verba adducit: *Lenaeon* menſis *eſt Ianuarius: vocatus autem eſt Lenaeon, quia Baccho torcularium praeſidi hoc menſe feſtum celebrant, quod Ambroſiam appellant.* Quibus ſimilia habet *Etymologici magni Auctor*, in Ληναίων. Similiter de Templo quodam Bacchi in Arcadia loquens (*g*) *Pauſanias* ait: *Sacra illic fieri Baccho tempore hyberno*, ἐν ὥρᾳ χειμῶνος. Vbi obſervatu indignum non eſt, *Ptolemaeum* in libro *de Apparentiis fixarum* (*h*), ex *Euctemone* et *Philippo*, Graecis Aſtronomis, notare ad d. XI *Tybi*, ſive VI *Ianuarii*, tum eſſe μέσον χειμῶνα, *mediam hyemem.* Addere poſſumus, Feſta in honorem Bacchi peracta, plerumque apud Graecos in d. VI *Ianuarii* incruiſſe. Colligo id ex teſtimonio *Plinii*, haec nos docentis (*i*): *In Andro inſula templo Liberi patris fontem Nonis Ianuarii* (d. V Ianuar.) *ſemper vini ſapore fluere Mutianus ter Cos. credidit: Dios Tecnoſia vocatur.* En feſtum in memoriam nativitatis Bacchi celebratum d. V Ianuarii, ideoque *Dios Tecnoſia* nuncupatum, quo fontis aqua in vinum mutari credebatur! Quam non ſimilia haec ſunt iis, quae in Feſto *Oſiridis inventi*, aut *renati*, apud Aegyptios peragebantur? Inter Feſta etiam utriusque gentis, non eſt niſi unius diei diſcrepantia, quae forte ex diverſa computandi dierum principia ratione deduci poſſit. Alia plura huiusmodi Feſta, et eodem, ut videtur, tempore, Graecos conſecraſſe, vel iſta *Diodori* (*k*) teſtari poſſunt:

(*f*) Video verba haec eſſe *Moſchopuli* in Scholiis Graecis ad *Heſiodi* Opera et Dies p. LXVIII. a. edit. Venetae Trin. Cavelli.

(*g*) In Arcadicis p. 252, edit. Graecae Sylburgii.

(*h*) Haec verba ex Codice MS. Saviliano ſupplet *Fabricius* in Biblioth. Graeca Vol. III. p. 440. Deſunt enim in editione Petavii, Vranolog. p. 79.

(*i*) Lib. II hiſtor. natur. cap. CIII.

(*k*) Lib. III p. 199 fin. edit. Rhodom. [cap. 65].

ſunt: *Teji et hoc argumento probant, Bacchum apud ſe natum eſſe, quod adhuc ſtato tempore, fons per ſe ſcaturiens, in urbe ſua, fragrantiſſimum e terra vinum effundat.* Pluribus haec omnia illuſtrari et explicari poſſent; ſed obiter nunc tantum adferuntur, neque illis immorabor.

§ XXIII.

Hanc ego veram rationem fuiſſe exiſtimo, ob quam Gnoſtici, primi inter Chriſtianos, natale Servatoris noſtri Feſtum vel Epiphania d. VI Ianuarii celebrare coeperint. Novimus hoc ex teſtimonio *Clementis Alexandrini*, qui de *Baſilidianis* ſcribit (*l*), *quod diem* XV *Tybi, alii vero diem* XI *memoriae baptismi Chriſti conſecraverint.* Haec *Clemens* non omnino accuratiſſime, ut credo. Primo enim cenſeo, diem illum, de quo loquitur, pari modo, memoriae et nativitatis et baptismi Chriſti ſacrum fuiſſe. Saltem tempore inſecuto, Chriſtianos eodem illo die, VI *Ianuarii*, utramque memoriam, in Aegypto, et in pleriſque Orientis partibus, ſancte celebraſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Nempe a Gnoſticis conſuetudo haec, quae viſa fuit traditione certa inniti, ad alios dimanavit. In eo vero *Clementem* puto a vero aberraſſe, quod memoriae prodiderit, Gnoſticos memoriam baptismi Domini paragere, non uno eodemque die, alios quippe id facere d. XV *Tybi*, (X *Ianuar.*) alios vero d. XI *Tybi* (VI *Ianuar.*) Incidit Clemens noſter in Codicem depravatum, in quo pro ια. uti ſcribi debebat, id eſt XI, ſcriptum erat, errore perquam facile ιε. id eſt, XV. Error hicce inter ſcribendum a librario admiſſus, *Clementem* ipſum in erro-

per-

(*l*) Stromatum Lib. I p. 340 [408].

ris ſocietatem pertraxit. Ceterum Gnoſtici omnes diem VI *Ianuarii* memoriae et nativitatis et baptismi Domini conſecratum voluere, eodemque die ſuos baptismo frequentiſſime immergere ſolebant, cuius rei veſtigia ſatis luculenta, etiam in *Gemmis* ipſorum, quae vulgo appellantur *Abraxeae*, oſtendere poſſum. Voluerunt igitur Gnoſtici, eodem die, quem vetus Aegyptiorum ſuperſtitio cultui Solis dedicaverat, memoriam adventus Chriſti Domini, *Solis Iuſtitiae*, et laetiſſimorum eius beneficiorum recolere. Hoc ipſum eorum inſtitutum, quamvis non ab omni parte recte perſpectum, tangere et vituperare videtur *Irenaeus*, quando de ipſis haec refert (*m*): *Ad omnia Gentilium Feſta et oblectamenta, quae ad idolorum honorem cultumque celebrantur, ipſi conveniunt primi.* Id vero aliter cave accipias, quam quomodo nunc a me expoſitum eſt.

(*m*) *Adverſus haereſes* Lib. I cap. VI § 3, edit. Maſſueti.

COMMENTATIO

DE

DIEBVS AEGYPTIACIS, IN VETVSTO KALENDARIO ROMANO COMMEMORATIS (*).

§ I.

In coniectaneis meis ad clausulam Tabulae Bembinae, vel Isiacae, § XVI, usus sum auctoritate vetusti *Kalendarii Romani*, sub imperio Constantii, circa an. 354 compositi, ut probarem, Aegyptios Romae d. VI *Ianuarii*, vel d. XI *Tybi*, Festum aliquod genti suae solemne celebrasse. Id enim ex hisce *Kalendarii* illius verbis collegi: IV *Non. Ianuar. dies Aegyptiacus.* Equi-

(*) Primum edita est Tom. VII Miscellaneorum Berolinensium pag. 406—442. — Sententia *Iablonskii* de significatione *Dierum Aegyptiacorum in Kalendario Romano*, quam h. l. commendarat, displicuit *Sinnero*, Tom. I Catalogi Codd. MSS. Bibliothecae Bernensis, p. 42, et minus certa visa est *Schmidtio*, in Opusculis, quibus res antiquae, praecipue Aegyptiacae explanantur, p. 60 sqq., coniecturam tamen *Iablonskianam* probanti de loco *Plutarchi*, de Is. et Osir. p. 363, supra memoratam p. 259 sq. In Kalendario, quod, adiectum Missali MS., in Bibliotheca Genevensi asservatur, videturque scriptum seculo X, mensi cuique praeter Decembrem adscribuntur *dies Aegyptiaci*, monente *L. Senebier*, V. Cl., in Catalogo Codd. MSS. istius Bibliothecae p. 108—110, qui intelligi vult *dies nefastos*, *infaustos*, *atros*, vulgo dictos, neque adeo ad sententiam *Iablonskii* accedit.

Equidem inter eruditos hactenus nondum penitus convenit, quidnam per *dies* illos *Aegyptiacos* intelligere oporteat. *Lambecium* certe virum doctiſſimum, cum ea de re ageret, ita iudicaſſe lego (*a*): *De die Aegyptiaco, cuius mentio in hoc Kalendario paſſim occurrit, nondum mihi ſatis liquet.* Non ignorabat vir meliоribus literis egregie politus, quae eſſet, apud alios quosdam ſcriptores, *dierum Aegyptiacorum* ſignificatio, et quomodo viri eruditiſſimi eos eſſent interpretati. Verum quo erat ingenii acumine, pervidit facile, vulgarem illam vocis huius acceptionem, in *Kalendario Romano*, quod illuſtrandum ſumſerat, locum omnino habere non poſſe. Quare maluit ingenue fateri, de *die* illo *Aegyptiaco ſibi hactenus nondum ſatis liquere.*

§ II.

Praeter *Lambecium* ceteri omnes, in quos quidem ego incidi, *dies Aegyptiacos* interpretantur *dies* ex poſitione aſtrorum *infauſtos*, ideoque ad inchoandum vel perficiendum quidquam inidoneos, de quibus, ut alios nunc taceam, *Salmaſius* inprimis erudite et diligenter (*b*) commentatus eſt. Apud *Lindenbrogium*, *dies* hi *Aegyptiaci*, in veteri membrana, ordine erant notati, quos utinam nobiscum communicaſſet. Initium, ut ipſe refert, in membrana ita ſonabat (*c*): *Incipiunt dies Aegyptiaci, in quibus nulla opera incipere debes.* Obſervatione autem indignum non eſt, quod ſcriptores plerique, qui *dierum Aegyptiacorum*, ſen-

(*a*) In annotat. ad Kalendarium Conſtantii Imp. p. 305 edit. Schurtzfleiſchii.

(*b*) In libro *de Annis Climactericis*, p. 815 ac ſeqq.

(*c*) *Lindenbrogius* Obſervat. in *Ammianum Marcellinum* a ſe editum, Lib. XXVIII p. 184.

ſenſu illo, commemineruñt, ſint Eccleſiaſtici. Illos inter eſt (*d*) *Ambroſius*, qui in Epiſtola Paſchali ad Epiſcopos Aemiliae ſcribit, plerosque Chriſtianos more Paganorum ſolere *varios quoque curſus Lunae obeundis negotiis commendare, vel cavere quosdam dies; quemadmodum plerique poſteros* dies, *vel* Aegyptiacos *declinare conſueverunt.* Nota ſunt (*e*) quoque, et ſaepius ab eruditis adferuntur haec *B. Auguſtini* (*f*) verba: *Plena ſunt conventicula noſtra hominibus, qui tempora rerum agendarum a Mathematicis accipiunt. Iam vero ne aliquid inchoetur, aut aedificiorum, aut huiusmodi quorumlibet operum*, diebus, quos Aegyptiacos vocant, *ſaepe etiam nos monere non dubitant.* Extat (*g*) Conſtitutio aliqua Synodalis *Augerii Montefalconii*, Epiſcopi Conſeranenſis in Gallia, qui ſeculo XIII floruit, in qua etiamnum iſta legas: Dies *quoque* Aegyptiaci, *conſtellationes, lunationes, Kalendae Ianuarii, initia menſium, dies, menſes, annus, curſus Lunae, Solis et ſiderum, ſuperſtitioſe obſervari non debent, credendo videlicet, in illis virtutem ineſſe, quoniam ſuperiora cauſa non ſunt, ſed ſigna.* In omnibus hiſce locis dubium non eſt, quin nomine *dierum Aegyptiacorum* deſignentur tales, qui, iudicio Aſtrologorum, ex ſiderum ſitu et ad ſe invicem relatione, pro infauſtis habendi ſunt. Hos utique in mente etiam habebat *Marinus* Platonicus, qui de Proclo ſuo

(*d*) Citatus a *Schurtzfleiſchio*, in notis ad Kalendarium Romanum p. 321.

(*e*) Id eſt, *dies poſtridie Kalendas, Nonas, et Idus.* Vide locum *Macrobii* citandum mox § III.

(*f*) In Epiſtolam ad Galatas cap. IV, Operum Tom. IV col. 1234 edit. Baſil. 1556.

(*g*) Eam vulgavit *D. Bern. de Montfaucon* Tom. III. Supplement. Antiquit. p. 201, et emendatius in nova Bibliotheca Bibliothecarum MSS. Codicum, Tom. II p. 1157.

ſuo obſervat (*h*): *Aegyptiorum nefaſtos dies diligentius obſervabat, quam illi ipſi.*

§ III.

Quae etſi ita ſint, ego tamen ſemper etiam atque etiam dubitavi, utrum, in *Kalendario* noſtro, *dierum Aegyptiacorum* eadem ſignificatio eſſe poſſet. Si quis enim *Kalendarium* iſtud a capite ad calcem attente perlegendum ſumſerit, in eo toto non videbit annotatas, niſi ſolemnitates, ſive ſacras, ſive civiles, Romanorum publicas, Senatus auctoritate aut decretas, aut approbatas. Quid? an ſolemnitatibus huius generis putabimus accenſeri etiam poſſe dies, quorum exiſtimatio nulla alia re nititur, quam febricitantis cuiusdam Aſtrologi (*i*) decretis, cuius praeterea calculi, ab aliorum in hac arte magiſtrorum rationibus, non parum diſſident, ut igitur decretis his nihil vanius aut incertius fuerit. Romani ipſi, ex edicto Pontificum dies quosdam, experientia, ut credebant, edocti, prò atris haberi volebant, nempe (*k*) *poſtridie omnes Kalendas*, *Nonas* et *Idus*, quas etiam Auguſtum Imperatorem religioſe obſervaſſe, *Suetonius* (*l*) memoriae prodidit. In *Conſtitutione Synodali*, cuius § ſuperiori mentio eſt facta, *dies* hi *Romani* cum *diebus* Aſtrologorum *Aegyptiacis* rectiſſime prorſus coniunguntur et conferuntur, et tamen dierum huiusmodi, quos religio Romanorum expaveſcere iubebat, nullam in *Kalendario* noſtro rationem haberi videmus. Quis igitur fa-

(*h*) In vita Procli cap. XIX, ubi vide etiam notas *Fabricii* p. 36 edit. Anglic.
(*i*) Vide rei huius exempla § V.
(*k*) *Macrobius* Saturnal. Lib. I cap. XVI p. 186.
(*l*) In *Octavio* cap. 92.

facile ſibi perſuaſerit, *diebus Aegyptiacis*, ſive atris et infauſtis Aſtrologorum, inter publicas Romanorum celebritates, locum tamen fuiſſe aſſignatum? Credat Iudaeus Apella.

§ IV.

Tanto autem magis in illa, quam dixi, ſententia confirmor, quod artes ac diſciplinas Aſtrologorum, ſive, uti a Romanis vocantur, Chaldaeorum, Magorum, Mathematicorum; omnes ſeveris legibus prohibitas, et ex urbe proſcriptas ſemper fuiſſe, meminerim. Regnante Tiberio, etſi is conſortio Mathematicorum non parum delectaretur, *facta* tamen *de Mathematicis Magisque Italia pellendis Senatus Conſulta*, *Tacitus* (*m*) ſcriptum reliquit; qui item (*n*) teſtatur, ſub imperio Claudii, *de Mathematicis Italia pellendis factum Senatus Conſultum atrox.* Has vero leges etiam poſt id temporis repetitas fuiſſe et in vigore perſeveraſſe, vel unus *Domitius Vlpianus* (*o*) nos docere poterit. *Praeterea*, inquit is, *interdicta eſt Mathematicorum callida impoſtura et obſtinata perſuaſio. Nec hodie primum interdici eis placuit, ſed vetus haec prohibitio eſt. Denique extat Senatus Conſultum* (*p*), *Pomponio et Rufo Coſſ. factum, quo cavetur, ut Mathematicis, Chaldaeis, hariolis et ceteris, qui ſimi-*

lem

(*m*) Annal. Lib. II cap. 32.
(*n*) Annal. Lib. XII cap. 52.
(*o*) Lib. VII de Officio Proconſulis, in egregio fragmento, quod reperitur in *Collatione Moſaicarum et Romanarum legum* antiqua Pithoeana Tit. XV p. 73, 74.
(*p*) Anno Tiberii Imp. quarto, unde patet eſſe illud SCtum, cuius modo ex *Taciti* Annal. Lib. II cap. 32 mentio facta eſt.

lem (*q*) *incertum fecerunt, aqua et igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur.* — *Sed fuit quaeſitum; utrum ſcientia huiusmodi hominum puniatur, an exercitio et profeſſio. Et quidem apud veteres dicebatur, profeſſionem eorum, non notitiam eſſe prohibitam. Poſtea variatum* (*r*). *Non diſſimulandum eſt, nonnunquam irrepſiſſe in uſum, ut etiam profiterentur et publice* (*s*) *proponerent. Quod quidem magis per contumaciam et temeritatem eorum factum eſt, quā auſi erant vel conſulere vel exercere, quam qui fuerat permiſſum.* Equidem nunquam defuere, etiam inter Imperatores, virosque principes orbis Romani, qui decreta Mathematicorum Aſtrologica colerent vehementer et ſuſpicerent; verum leges tamen publicae ſemper ſubſtiterunt, quod ab *Vlpiano* vidimus obſervatum. Vnde *Tacitus* de Mathematicis loquens (*t*), acute, ut ſolet, *genus hominum*, inquit, *potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ci-*

(*q*) *Pithoeus* in notis corrigendum coniicit *artem*. Ego malim *quaeſtum* (*).

(*r*) Ita recte locum hunc emendat *Salmaſius* in notis ad Scriptores Hiſtoriae Auguſtae Tom. 1 p. 927.

(*s*) Secutus et hic ſum emendationem *Salmaſii*.

(*t*) Hiſtoriar. Lib. 1 cap. 22.

(*) *Lipſii*, *Gothofredi*, *Nerii*, *Röveri*, aliorum virorum eximiorum, coniecturas criticas de his ceterisque *Vlpiani* verbis lege in notis p. 785 Iprud. Ante-Iuſtin., et in *H. Canneglieteri* Comment. ad Fragm. vet. Iprud. p. 295, cui placet *ſimile incertum fecerunt*. Longius a vulgari ſcriptura recedit *I. Canneglieterus*, not. ad *D. Vlpiani* Fragm. p. 249, legendum ſuſpicatus, *ſimilem in urbe artem fecerunt*. In Actis Literariis Societ. Traiectinae Tom. 1 p. 185, *I. Sterke* ſcribendum putat, *ſimilem rem ineptam*. Quam correctionem vel mutationem mihi in memoriam revocavit *Smallenburgius* noſter, Vir Clar., pariter monens, minori etiam molimine legi poſſe, *ſimilem rem incertam*.

civitate noſtra et vetabitur ſemper et retinebitur. Et illo ipſo Conſtantio Imperatore, quo regnante *Kalendarium* noſtrum editum eſt, Edicta priora adverſus Mathematicorum diſciplinas novis ſtabilita fuiſſe, teſtantur ipſius hac de re leges, in (*u*) *Codice Theodoſiano* ſuperſtites. Eſtne igitur probabile, in *Kalendario* Romano, publico, ut videtur, uſui deſtinato, inter maximas urbis principis ſolemnitates, numerari etiam dies, quorum nulla poteſt eſſe auctoritas, quam quae ex diſciplina Mathematicorum, tot ſeveris legibus proſcripta et damnata, petitur?

§ V.

Quodſi autem *dies Aegyptiacos* Kalendarii Romani cum *diebus Aegyptiacis* Aſtrologorum accuratius conferre, operae pretium ducamus, quis eſt, qui non illico animadvertere cogatur, rationem horum dierum, a ſe invicem, toto coelo differre? Duos enim *dierum Aegyptiacorum*, quos Aſtrologi ſic vocant, latèrculos nobis ſuppeditavit (*v*) *Salmaſius*, quos cum Kalendario noſtro comparare licet. In altero eorum hos tanquam *dies Aegyptiacos* notatos deprehendimus:

Ianuarii	*dies*	2	et	4.
Februarii	*d.*	2	et	26.
Martii	*d.*	4	et	20.
Aprilis	*d.*	3	et	20.
Maii	*d.*	7	et	22.
Iunii	*d.*	3	et	12.
Iulii	*d.*	6	et	22.
Auguſti	*d.*	4	et	15.

Sep-

(*u*) Lib. IX, Tit. XVI, Leg. IV, V, VI.
(*v*) De Annis Climactericis p. 816, 817.

Septembris	*d.*	3	et	14.
Octobris	*d.*	3	et	21.
Novembris	*d.*	5	et	11.
Decembris	*d.*	3	et	14.

Si iam laterculum hunc comparemus cum *diebus Aegyptiacis*, in *Kalendario Romano* annotatis, quodnam poterimus aliud ferre in hac cauſa iudicium, quam quod *Salmaſium* ipſum (*w*) tuliſſe videmus, hocce nempe: *Nihil eſt, quod conveniat in hac adnotatione dierum infauſtorum, cum illa quae in Kalendario eſt Conſtantii, praeter unum diem, nempe ſecundum Ianuarii, qui in utraque recenſione infauſtus notatur.* Pace tamen magni *Salmaſii* dictum ſit, *praeter ſecundum diem Ianuarii*, alios eſſe dies, in laterculo, et in *Kalendario Romano*, qui inter ſe conveniant, videlicet III *Aprilis*, VI *Iulii*, III *Octobris*, et XIV *Decembris*. Haec caſu ita contingere potuiſſe, quivis intelligit. Verum quanta non, quaeſo, eſt diſcrepantia inter *dies Aegyptiacos* Kalendarii Romani, et *dies Aegyptiacos* Aſtrologorum, quae ſupereſt? Alium *dierum Aegyptiacorum* laterculum *Salmaſius* nobis eodem loco offert, quorum haec eſt ſeries:

Ianuarii	*dies*	2	et	4.
Februarii	*d.*	16	et	21.
Martii	*d.*	4	et	20.
Aprilis	*d.*	3	et	20.
Maii	*d.*	6	et	20.
Iunii	*d.*	4	et	18.
Iulii	*d.*	6	et	20.
Auguſti	*d.*	1	et	5.
Septembris	*d.*	1	et	20.

Octo-

(*w*) *Salmaſius*, ubi ſupra p. 817.

Octobris d. 3 et 20.
Novembris d. 5 et 11.
Decembris d. 3 et 24.

In quo laterculo non maior, quam in praecedente, apparet cum *Kalendario Romano*, in notatione *dierum Aegyptiacorum*, conſpiratio. Alii igitur omnino ſunt *dies Aegyptiaci*, quos Aſtrologorum filii nos cavere iubent, alii, quos a Romanis obſervatos fuiſſe, *Kalendarium Conſtantii* teſtatur.

§ VI.

Neſcio tamen, quo iure dies illi infauſti, quorum duos laterculos *Salmaſius* produxit, et quos vocat *dies Aegyptiacos*, nomen hoc re ipſa mereantur. Equidem non dubito, quin Aſtrologi illi, quibus laterculos debemus, placita Aegyptiorum, in genere, ſecuti fuerint, alioquin dies, ab illis notati, *Aegyptiaci* dici non potuiſſent. Verum gente ſuſpicor fuiſſe Graecos, non Aegyptios, ac praeterea propriis ſuis cogitatis et meditatis videntur non parum indulſiſſe, unde factum eſt, ut in uno eodemque negotio iſti duo laterculi tam inſigniter a ſe invicem diſcreparent. Forſitan igitur *dies Aegyptiaci*, in laterculis *Salmaſianis* deſcripti, nomen hoc pleno iure non mereri multis videbuntur. Ne igitur ſententiae meae ex hac obſervatione detrimentum aliquod oriatur, dabo *diem Aegyptiacum*, infauſtum, et iudicio totius gentis publico pro tali habitum, ſed qui tamen inter *dies Aegyptiacos* Kalendarii noſtri nullus comparet. Is eſt *d.* XXVI *Auguſti* menſis, de quo *Plutarchus* haec in literas retulit (*x*): *Ita-*

(*x*) De Iſide et Oſir. p. 634 edit. Steph. vel 356 edit. Pariſ. 1624.

Itaque tertium Epactarum diem reges pro Nefasto *habebant*, (ἀποφράδα νομίζοντες) *ideoque non dabant responsa, neque ante noctem corpora curabant.* Dies tertia Epactarum est, uti monui, d. XXVI *Augusti*; illam in Aegypto iudicatam fuisse ἀποφράδα *nefastam* testatur *Plutarchus*, qua ipsa voce usus etiam est *Marinus* (y) supra iam citatus, ubi scribit de Proclo: *Aegyptiorum nefastos dies*, (τὰς παρ' Αἰγυπτίοις ἀποφράδας) *diligentius observabat, quam illi.* Et tamen *tertiae Epactarum*, sive *d.* XXVI *Augusti*, inter *dies Kalendarii Romani*, non magis locus est, quam in *Salmasii* laterculis. Aliud ergo profecto sibi volunt *dies* infausti *Aegyptiaci* Astrologorum, aliud *dies Aegyptiaci* Kalendarii nostri, quorum genuinam indolem nunc age curatius investigemus.

§ VII.

Sunt autem *dies Aegyptiaci* in *Kalendario Romano* commemorati, uti ego quidem censeo, dies festi, quos religio Aegyptiorum genti huic praecipiebat, quosque Romae solemniter observare, Senatus indultu permissum erat. Variam quidem sacra Aegyptiorum fortunam Romae experta sunt, saepe contemta ac ludibrio habita, saepius urbe expulsa; sed tandem tamen caput ita extulere, ut pari, cum avitis Romanorum sacris, religione et celebritate a multis publice colerentur, et nonnisi una cum Romanorum superstitione propria ac domestica tandem aboleri potuerint. Pluribus argumento huic, quod (z) alii docte et diligenter persecuti sunt, nunc non inhaerendum esse pu-

(y) § II.

(z) *Pignorius* in Expositione Tabulae Isiacae cap. II. *Chifletius* ad Gemmas Abraxeas p. 136. *Cuperus* in Harpocrate p. 149, 159.

puto. Seculo igitur, poſt natum Chriſtum Redemtorem, tertio et quarto, ſacra Aegyptiorum poſt multiplicem luctam emerſere, iusque civitatis Romanae impetravere, ut in eadem pene cum avitis Romanorum ſacris veneratione eſſent. Quia vero ſacrorum ceremoniae, antiqua Aegyptiorum religione ſancitae, a ritibus Romanorum ſacris immane quantum differebant, quia alia feſtivitatum ſacrarum tempora propria erant Aegyptiorum genti, alia Romanis, nihil profecto erat convenientius, quam ut in *Kalendario Romano* dies, religioni Aegyptiorum conſecrati, a ſolemnitatibus Romanorum hoc diſtinguerentur et ſignarentur diſcrimine: *Dies Aegyptiaci.*

§ VIII.

Vera me dicere facile largietur, quisquis *Kalendarii* huius *Romani* ingenium et indolem paulo accuratius inveſtigare operae pretium duxerit. Nihil enim, quod iam ſemel monui, continet aliud, quam celebritates publicas, ſacras, civiles, legibus Romanorum aut ſancitas, aut certe permiſſas. Videas igitur, inter ſolemnitates Romanorum religioſas atque publicas, in *Kalendario* noſtro annotatas, non patrias tantum et avitas occurrere, verum etiam peregrinas, ex Senatus Conſulto tamen civitate Romana donatas. Huius generis ſunt *Cybeles*, ſive, ut Romani loquebantur, *Magnae Deûm matris* feſtivitates ſacrae, e Phrygia Romam advectae, ibique magna religione conſecratae. Hinc namque eſt, quod ad *d.* IX *Kal. Aprilis* (XXIV *Martii*) legamus annotatum *Sanguen*, et ad *d.* IX *Kal. Aprilis* (XXV *Martii*) *Hilaria.* Ad prioris diei ſolemnitatem reſpexit *Tertullianus*, cum iſta Romanis obiiceret (*a*): *Viderit Cybele, ſi urbem Romanam, ut*

(*a*) In Apologetico cap. 25.

ut memoriam Troiani generis adamavit, vernaculi ſui ſcilicet, adverſus Achivorum arma protecti, ſi ad ultores tranſire proſpexit, quos ſciebat Graeciam, Phrygiae debellatricem, ſubacturos. Itaque maieſtatis ſuae in urbem collatae grande documentum noſtra etiam aetate propoſuit, cum M. Aurelio apud Syrmium reipublicae exempto, die ſexto decimo Calendarum Aprilium (XVI Martii), *Archigallus ille ſanctiſſimus, die nono Calendarum earundem* (XXIV Martii), *quo* Sanguinem *impurum, lacertos quoque caſtrando, libabat, pro ſalute Marci iam intercepti.* De eodem die *Trebellius Pollio* haec habet (*b*): *Nam cum eſſet nuntiatum, nono Calend. Aprilis* (XXIV Martii) *ipſo in Sacrario Matris,* Sanguinis die, *Claudium Imperatorem factum.* Cauſa autem, quod dies iſte diceretur *Sanguinis dies*, haec fuit, quod eo ſacerdotes Deae Phrygiae, diſſectis et dilaniatis brachiis, atque effuſo ſanguine, luctum ſuum immodicum teſtarentur. Nempe, ut vetus quidam Grammaticus (*c*) nos docet, *Phryges, vere* ineunte, *plangebant Attin* ſuum vel Adonin. Itaque *d.* IX *Kal. Aprilis* (XXIV *Martii*), qui Romanis erat ultimus dies hyemis, Romae plangebatur Attis ſive Adonis. Is *dies* erat *ſanguinis.* Die vero ſequenti XXV Martii, quo Romani celebrabant (*d*) *Aequinoctium vernum*, celebrabantur etiam *hilaria* illa, quae in *Kalendario* noſtro annotantur. Id ex Phrygum Theologia, hunc in modum nobis explicabit *Macrobius* (*e*): *Praecipuam autem Solis in his ceremoniis*

(*b*) In vita Claudii cap. 4, inter Scriptores Hiſtoriae Auguſtae, Tom. II p. 359.

(*c*) Scholiaſtes *Nicandri* Graecus in Alexipharmaca p. 64 edit. Colonienſis.

(*d*) *Columella* de R. R. Lib. IX cap. 14. *Servius* in *Virgilii* Lib. I, Georg. vſ. 100.

(*e*) Saturnal. Lib. I cap. XXI.

niis verti rationem, hinc etiam poteſt colligi, quod ritu eorum catabaſi (Solis deſcenſu) *finita*, (*d.* XXIV *Martii*) *ſimulationeque luctus peracta, celebratur laetitiae exordium, a. d. octavum Calendas Aprilis*, (XXIV Martii) *quem diem* Hilaria *appellant, quo primum tempore Sol diem longiorem nocte protendit.* In eodem noſtro *Kalendario* legimus in *Aprile* menſe, *Pridie nonarum Aprilis* (IV Aprilis) *Ludi Megaleſiaci*, quam novimus pariter feſtivitatem eſſe religioſam, e Phrygia Romam delatam. Res eſt nota valde, eamque hiſce tantum *Ciceronis* verbis (*f*) illuſtrabo: *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio noſtri Maiores ante templum, in ipſo Matris magnae conſpectu, Megalenſibus fieri, celebrarique voluerunt — quorum religio tanta eſt, ut, ex ultimis terris arceſſita, in hac urbe conſederit.* Quid plura? Annon ex his perſpicuum eſt, *dies Phrygiacos*, non minus atque Aegyptiacos, in *Kalendario Romano* annotari?

§ IX.

Praeter ſuperſtitiones has, ex ultima Phrygia, quemadmodum *Cicero* loquitur, Romam advectas, notantur etiam in *Kalendario* noſtro dies, quos antiqua Perſarum religio genti ſuae ſacros eſſe voluit, quia labente tempore Roma ipſa eosdem concelebrare dedignata non eſt. Eo pertinere arbitror, quod ad menſem *Maium* obſervatum deprehendimus, III *Idus Maii* (XIII Maii) *Ludi Perſici*, et mox, XVI *Kal. Iunii* (XVIII Maii) *Perſici.* Nempe *Ludi* illi *Perſici* initium ſumebant *d.* XIII *Maii*, et abſoluti erant d. XVIII eiusdem menſis. *Ludos* vero illos, quorum in *Kalendario* noſtro perſaepe mentionem fieri videmus, plerum-

(*f*) In Oratione de haruſpicum reſponſis cap. 12.

rumque religionis cauſa et in Deorum honorem factos fuiſſe, et res ipſa docet, et ex iis, quae § VIII de *Ludis Megaleſiacis* ex *Cicerone* monuimus, ſatis liquere poteſt. Erant igitur (*g*) *Ludi Perſici*, *Mithrae*, ita Perſae vocabant *Solem*, ab iis inſtituti, qui placita Zoroaſtris, et ceremonias Magorum approbabant. Eorum autem numerum Romae non adeo exiguum fuiſſe, quam credi forte poſſet, vel ex iis colligere licet, quae Commodum ipſum, Romanorum Imperatorem, feciſſe ſcimus. Ille enim (*h*) *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, quum illic aliquid ad ſpeciem timoris vel dici vel fingi ſoleat.* Imperatore Conſtantio, eoque adeo tempore, quo *Kalendarium* noſtrum compoſitum eſt, *Sacra* illa *Mithriaca* Romae etiamnum publice et ſolemniter, nemine prohibente, peragi conſueviſſe, *Philippus à Turre*, vir et dignitate et eruditione illuſtris, qui de ſacris illis copioſiſſime diſſeruit, ex lapidibus docte (*i*) probavit. Viginti circiter annis poſt, haec demum ſcripſiſſe *Hieronymum* ad *Laetam* legimus (*k*): *Ante paucos annos, propinquus veſter Gracchus, nobilitatem patritiam nomine ſonans, quum praefecturam gereret urbanam, nonne ſpecum Mithrae et omnia portentuoſa ſimulachra — ſubvertit, fregit, excuſſit.* Hanc vero Gracchi praefecturam urbanam in A. C. 378 coniiciendam eſſe, erudite demon-

(*g*) Tanto melius Sacra haec potuerunt dici *Ludi*, quod re ipſa eſſent *ridendum ſpectaculum, et hiſtrionica repraeſentatio*, unde factum eſt, ut ſacerdotes *Mithrae* appellentur *ludii* et *mimi*. Vid. *Phil. à Turre* Monumenta veteris Antii p. 206, 207.

(*h*) *Lampridius* in Commodo cap. 9, in Scriptoribus Hiſt. Aug. Tom. I p. 498.

(*i*) De Mithra cap. ultimo, in Monumentis veteris Antii p. 244.

(*k*) Epiſt. LVII, Operum ed. Benedict. Tom. IV col. 591.

monſtratum dedit (*l*) doctiſſimus vir, cuius modo mentionem feci. Is igitur demum annus et *Ludis Perſicis* et *Sacris Mithriacis* in Italia finem attulit, quorum ceteroquin, et Romae, et in urbibus vicinis, etiam hodie, non obſcura reperiuntur veſtigia ac monumenta.

§ X.

Vidimus igitur, in *Kalendario* noſtro, *dies* etiam *Perſicos*, quomodo nuncupari utique recte potuiſſent, unde conjecturam facere licet, quid de *Aegyptiacis* pronunciandum ſit. Et ne coniecturis nudis rem hanc conficere velle videamur, age paulo propius nunc *dies* Kalendarii noſtri *Aegyptiacos* examinemus, ac videamus, num non feſtivitatibus Aegyptiorum ſacris dicatos fuiſſe, aliunde probare poſſimus. In *Ianuario* menſe, primus ex *diebus Aegyptiacis* incidit in IV *Non. Ianuarii*, id eſt, II *Ianuarii*, qui Aegyptiis eſt VII *Tybi*. Et eo quidem die Aegyptios ſacra ſolemniter feciſſe Iſidi, hocce *Plutarchi* teſtimonio (*m*) docere poſſum: *Itaque Aegyptii ſeptima menſis Tybi ſacrificantes, quam diem nominant Iſidis ex Phoenice adventum, in placentis imaginem fingunt equi fluviatilis vincti.* Sequitur in eodem *Kalendario*, ad *d.* VIII *Idus Ianuarii*, id eſt, VI *Ianuarij*, vel XI *Tybi*, *dies Aegyptiacus*. Et hunc quoque ſancte et religioſe ab Aegyptiis omnibus tranſigi conſueviſſe, alio *Plutarchi* teſtimonio probare poſſem, niſi ſcriptor ille eruditus, eo loco, quo de feſtivitate huius diei diſſerit, aliud agendo, levem errorem admiſiſſet, quem (*n*) alibi de-

(*l*) *Phil. à Turre* libro cit. p. 247.

(*m*) *Plutarchus* de Iſide et Oſir. p. 662 edit. Stephani, vel 371. Pariſ.

(*n*) In Coniectaneis ad Clauſulam Tabulae Bembinae § XIV.

detexi. Mihi ceteroquin dubium nullum eſt, quin dies iſte Aegyptiis omnibus longe fuerit ſanctiſſimus. In menſe *Februario*, ad *d.* v *Kal. Martii*, ſeu xxv *Februarii*, ſecundum Aegyptios *d.* i *Phamenoth*, ſimiliter notatum legimus: *Dies Aegyptiacus.* Diem vero illum Aegyptiis ſacrum et ſolemnem fuiſſe, teſtem habeo rurſus *Plutarchum*, in haec verba ſcribentem (*o*): Τῇ νουμενίᾳ τοῦ Φαμενὼθ, *prima die menſis Phamenoth, Feſtum celebrant, quod ingreſſum Oſiridis in Lunam appellant, eſtque id veris initium.* In menſe denique *Octobri*, ad *d.* v *Non. Octobris*, *d.* iii *Octobris*, vel, ſecundum Aegyptios, *d.* vi *Phaophi*, recurrunt verba illa, conſueta: *Dies Aegyptiacus.* Hunc ipſum vero diem religioſo cultui Aegyptiorum conſecratum pariter fuiſſe, auctoritate *Plutarchi* comprobare poſſum, cuius iſta verba adſcribo (*p*): *Dicunt, Iſin, cum ſe ſentiret eſſe gravidam, appendiſſe ſibi amuletum, ſexta die menſis Phaophi, et peperiſſe Harpocratem ſub Solſtitium hybernum.* Annon igitur dies etiam iſte in Aegyptiorum Feſtis ſacer ac venerabilis habebatur?

§ XI.

Non diſſimulabo, *Plutarchum* in eodem libro, ex quo iſta nunc excerpſi, alios quosdam feſtos Aegyptiorum commemorare dies, qui in *Kalendario Romano*, nomine *dierum Aegyptiacorum*, notati non deprehenduntur. Verum id cauſae meae obeſſe nulla plane ratione poteſt. Etenim Feſta a legislatoribus Aegyptiorum

(*o*) De Iſide et Oſir. p. 368 edit. Paris.
(*p*) Idem ibid. p. 377.

rum conſecrata, in ipſa Aegypto, neque ab omnibus, neque eodem tempore concelebrari ſolebant. Quaedam toti Aegyptiorum genti erant communia, alia nonniſi in urbibus quibusdam, aut Praefecturis, celebrare moris erat. Solemnitatibus etiam iisdem, communi laetitiae conſecratis, alius nonnunquam in Thebaide, alius in Aegypto inferiori dies dicatus erat atque ſacratus. *Plutarchum* de Feſtis Praefecturarum totius Aegypti omnibus ſine diſcrimine loqui, res ipſa docet, ſectus atque in *Kalendario* noſtro factum eſt. Nam qui ex Aegypto Romam tranſibant, et in urbe illa domicilium figebant, erant ut plurimum Alexandrini, aut ex Aegypto inferiori, qua mari vicina eſt, oriundi, ex quo coniicere proclive eſt, notationem *dierum* feſtorum *Aegyptiacorum*, in noſtro *Kalendario*, attemperatam eſſe Faſtis Aegyptiorum Alexandrinorum. Facile vero praeterea et id evenire potuit, ut in nonnullis diebus Aegyptiorum feſtis, Romae celebratis, mos obſervaretur prorſus peculiaris et ſingularis, cuius etiam in *Kalendario* hocce veſtigia mihi deprendiſſe videor.

§ XII.

Praeter *dies* illos *Aegyptiacos*, in *Kalendario Romano* annotatos, quos ſacris Aegyptiorum ſolemnibus dicatos fuiſſe, ex *Plutarcho* demonſtravimus, occurrunt in eodem *Kalendario* alii, de quibus idem plane dicendum eſſe, ex aliis vetuſtae hiſtoriae monumentis conſtat. Operae pretium me facturum puto, ſi de eorum nonnullis id paulo uberius oſtendero. *Februario* itaque, ad *d.* VII *Id. Februarii*, vel ſecundum Aegyptios XIII *Mechir*, legimus notatum: *Dies Aegyptiacus*. Cuius rei forte rationem auctor Geoponicon nobis

bis in his ſuppeditabit (*q*): *Plerique ſane, et ante ceteros* (*r*) *Varro Romanus, id dicunt eſſe Veris initium, quando Zephyrus ſpirare ut plurimum incipit, id eſt d.* VII *Id. Februarii.* Tempus hocce, ut laetiſſimum, *Horatius* deſignat, ita canens (*s*):

Solvitur acris hiems, grata vice veris et Favoni.

Et ne forſitan exiſtimes, hoc Romanis fuiſſe peculiare, teſtem dabo *Ptolemaeum*, qui (*t*) id ipſum Aegyptiis quoque, Alexandrinis nempe, tribuit, verum loco XIII *Mechir*, ipſe *d.* XIV eiusdem menſis annotavit: XIV *Mechir*, inquit, *Aegyptiis et Eudoxo initium veris.* Diſcrepantia illa unius diei, quae in *Ptolemaeo*, uti dixi, obſervatur, nullius profecto ponderis eſt. Nam in ipſa Aegypto, ſolemnes ſacrorum celebrationes, in urbibus diverſis, ſaepe uno alterove die diſtuliſſe, multis modis teſtatum eſt. Forſitan etiam Aegyptii Romae habitantes, cum diſcrepantia adeo levis eſſet, idem cum Romanis veris initium celebrare maluerunt. Nolim omittere, diem illum, de quo nobis ſermo nunc eſt, in *Kalendario Romano* annotatum, hodieque obſervari in Faſtis Aegyptiorum, ſi *Vanslebio* ſcriptori non indiligenti credimus, iſta referenti (*u*): *Hyems Aegyptiorum medio Decembri incipit*

(*q*) Lib. I p. 4 edit. Baſil. Graec.
(*r*) De Re Ruſtica Lib. I cap. 28.
(*s*) Carminum Lib. I Od. IV, niſi tamen Poëta noſter ad Aprilem potius reſpexerit, quod viro doctiſſimo *Iano Kutgerſio* placet, Lection. Venulin. cap. II.
(*t*) De apparentiis inerrantium, in *Petavii* Vranologio, p. 81.
(*u*) In itinerario Gallice edito Pariſ. 1698. p. 35.

cipit. Haecce anni tempeſtas clemens et iucunda eſt; dummodo ſeptem dies excipias, ab Aegyptiis nuncupatos Berd il agiuz, *quaſi dicas* frigus vetulae. *Initium ſumunt* (*v*) *d.* VII *Februarii, durantque ſeptem continuos dies, quibus per horas matutinas frigus ſentitur paulo rigidius. Eodem tempore aër nubibus plerumque obvelatus eſt, pluvia obſervatur frequentior, ventorumque impetus vehementior.* Qualia etiam apud (*w*) ſcriptorem recentiorem alium, ſed ex *Vanslebio*, ut credo, repetita leguntur.

§ XIII.

Sed pergamus ad *Martium* menſem, in quo ad *d.* IX *Kal. Aprilis* (XXIV Martii), vel ſecundum Aegyptios XXVIII *Phamenoth* legimus: *Dies Aegyptiacus.* Illo die, qui *dies ſanguinis* ideo nuncupabatur, cultores Matris Deûm Phrygiae, Attinem ſuum plangebant, ut, poſtridie eiusdem diei, de eo invento aut redivivo gauderent, ac *hilaria* celebrarent. Equidem ignoro, an non hoc ipſum Aegyptiis, Romae viventibus, argumentum aliquod ſuppeditaverit, ut diem hunc eumdem conſecrarent. Magnam enim inter Phrygum Aegyptiorumque Theologiam conſenſionem fuiſſe, non uno indicio oſtendi poteſt. Quicquid autem illius ſit, ego potius ſuſpicor, Aegyptios Romanos die XXIV *Martii*, vel XXVIII *Phamenoth*, memoriam aequinoctii verni recoluiſſe. Alexandrini ſolemnitatem eamdem peragebant *d.* XXVI *Phamenoth*; ſive XXII *Martii*, quod

(*v*) *Herbelotus* in Bibliotheca Orientali, articulo *Agiuz*, ait, dies illos ſeptem eſſe ſolſtitii hyberni.

(*w*) *Paul. Lucas* in itinerario de Anno 1714, Tom. II p. 239.

quod (*x*) permulti teſtantur. Romani vero, quod proprii gentis huius togatae (*y*) ſcriptores nos docent, ſacro huic deſtinaverant *d.* VIII *Kal. Aprilis*, id eſt, XXV *Martii*, vel ſecundum Aegyptios XXIX *Phamenoth.* Inter duos hoſce dies intermedius eſt ille, quem in *Kalendario* noſtro notatum deprehendimus, XXIV *Martii*, vel XXVIII *Phamenoth*, quem ad eamdem ſolemnitatem ſpectaſſe, mihi plus quam verosimile fit. Et certe a quibusdam in ipſum hunc diem reiectum fuiſſe aequinoctium vernum, ſcimus ex diſerto teſtimonio (*z*) auctoris *Geoponicôn.* Eorumque calculos ſecuti fuiſſe videntur, qui *dierum Aegyptiacorum* Romae celebratorum rationem diſpoſuerunt.

§ XIV.

Vbi ad menſem *Aprilem* perventum eſt, duos annotatos videmus *dies Aegyptiacos*, qui ſe, unico tantum die interpoſito, illico conſequuntur. Nam ad *d.* XIII *Kal. Maii*, id eſt, XIX *Aprilis*, vel ſecundum Aegyptios, XXIV *Pharmuthi*, legimus: *Dies Aegyptiacus;* et idem mox repetitur ad *d.* XI *Kal. Maii*, vel XXI *Aprilis*, aut ſecundum Aegyptios XXVI *Pharmuthi.* Ita ſcriptum reperio in editione Kalendarii noſtri *Herwartiana*, qualem recudi fecit *Schurtzfleiſchius* p. 270.

(*x*) *Ptolemaeus* in Vranolog. *Petavii* p. 83. *Anatolius* apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. Lib. VII cap. 32. *Epiphanius* Haereſi LI §. 26, 27.

(*y*) Vetus *Kalendarium Ruſticum* in *Martio*, itemque aliud *Kalendarium* Faſtis *Ovidii* in Codd. MSS. praemiſſum. *Columella* Lib. IX cap. 14. *Servius* in Lib. I Georgic. 100.

(*z*) Lib. I pag. 5 edit. Baſil. Graec.

p. 270. In Codice alio, ex quo novam eiusdem editionem procuravit *Bucherius*, *Aprilis* menſis cum aliis nonnullis plane deëſt. In editione porro *Lambecii*, ea ſaltem, quam *Schurtzfleiſchius* repetitam nobis dedit, ad unum tantum, non duos dies, id annotatum legimus, *diem* nempe XXI *Aprilis*, XXVI *Pharmuthi* Aegyptiorum. Qua in re ego lectionem Codicis *Herwartiani* reliquis omnino anteferendam putem. Romae igitur, menſe *Aprili*, duo celebrabantur *dies Aegyptiaci*, brevi unius tantum diei intervallo interiecto, dies XIX et XXI. Quodſi iam Faſtos Aegyptiorum conſulamus, illi, ut opinor, rationem rei huius optimam et certiſſimam nobis ſubminiſtrabunt. Eam ita explicat (*a*) *Theo*, celebris *Arati* interpres: *Aratus ortum vergiliarum in vere locat. Matutino enim exoriuntur cum Sole, quando is in Tauro exiſtit, poſt d.* XXV *Pharmuthi* (d. XX. Aprilis). *Menſis ille cum Romanorum Aprili congruit, idque ipſum tempus meſſis eſt apud Aegyptios.* Liquido ex his perſpicitur, diem inter duos *Aegyptiacos dies*, notatos in *Kalendario Romano*, intermedium fuiſſe in Aegypto meſſis initium, quod etiam recentioribus (*b*) virorum doctorum obſervationibus confirmatur. Ideoque dies ille impenſa Aegyptiorum religione omni procul dubio colebatur. Ipſum hoc videtur eſſe Sacrum, cuius *Diodorus Siculus* mentionem facit, ubi ſcribit (*c*): *Etiam nunc meſſis tempore, oblatis ſpicarum primitiis, incolae iuxta manipulos plangere, Iſidemque invo-*

(*a*) Scholiis Graecis in *Arati* Phaenomena p. 31 edit. Morelli, 36 b, edit. Oxon.

(*b*) Vide viri venerandi *I. A. des Vignoles* Chronologiam Sacram Tom. I p. 555. Adde *Mailleti* deſcriptionem Aegypti Tom. II p. 95, 96 editionis ſecundae.

(*c*) Lib. I p. 13 edit. Wechel. [cap. 14.].

vocare ſolent. Id quod idcirco faciunt, ut honorem pro inventis Deae ſub primae inventionis tempus retribuant. Huic Feſto Aegyptii, qui Romae degebant, tres integros dies ſacros eſſe voluerunt, *d.* XIX, XX et XXI *Aprilis*, quorum in *Kalendario* noſtro, more ſolemni, primus tantum et ultimus dies nominantur. Hac ratione factum eſt, ut et diem in Aegypto ſolemnitati huic dicatum, *d.* XX. *Aprilis* complecterentur, et eadem opera ſuperſtitioni Romanorum veliſicarentur, ut qui *d.* XIX *Aprilis* ludos ſuos *cereales* ſolemniter clauderent, die vero XXI *Aprilis* natalem urbis ſuae religioſe concelebrarent, quod etiam in *Kalendario* noſtro obſervatum videmus.

§ XV.

Praetermiſſo menſe *Maio*, in quo non deprehendo, quod operam meam poſcat, tranſeamus iam ad *Iunium*, in quo, uti in reliquis etiam fere conſuevit fieri, duos *dies Aegyptiacos* videmus annotatos. Nam primo quidem ad VII *Id. Iunii* (VII *Iunii*), vel ſecundum Aegyptios XIII *Payni*, legitur appoſitum: *Dies Aegyptiacus.* Non memini quidem, me apud ſcriptores veteres, Graecos Romanosque, de hoc nominatim die quicquam legiſſe memoriae proditum. Verum non dubito tamen, quin ſacer habitus, et cultui Aegyptiorum religioſo deſtinatus fuerit. Lucem aliquam hic nobis praebent ſcriptores Arabes, quantumvis rei geſtae veritatem fabulis ineptis incruſtare, ac propemodum totam involvere ſoleant. Audiamus igitur (*d*) *Murtadium*, Arabem ſcriptorem, uti ſuſpica-

(*d*) De admirandis Aegypti, ex verſione Gallica et editione *P. Vattierii* p. 164, 165.

cabatur (*e*) eius editor, Seculi XIII, in haec verba (*f*) ſcribentem: *Ferunt, ad Amrum filium Alaſi, cum, in ditionem receptâ Aegypto, Misram* (*g*) *intraſſet, menſe Payni, acceſſiſſe regionis illius incolas, eique expoſuiſſe, Nilum fluvium, ex praeſcripto certae cuiusdam legis, tempore praeſtituto, in arva ſua effundi, eaque irrigare, et legem illam nunquam violari. Cumque Amrus quaeſiviſſet, ecquaenam lex ea eſſet, hoc reſponſum tuliſſe:* Duodecima *menſis huius* Payni, *virginem pudicitiae intactae ex manibus parentum, quibus, ut in negotium hoc conſentiant, ſatisfieri primum debet, accipimus, eamque deinde, veſte ſplendida et pretioſis monilibus exornatam, noctu deducimus ad Nilum, ac ultimo in fluvium huncce praecipitem damus. Hoc facto, fluvius adſcendit, et agros noſtros implet.* Rem eamdem ex aliis gentis Arabicae ſcriptoribus, et ex traditione in Aegypto pervulgata, repetunt (*h*) permulti, qui iter in illas terras ſuſceperunt. Quis iam eſt, qui non illico ſentiat, fabulam ſic nobis narrari, cui nulla, ne vel minima quidem, ſpecies veri ineſt, et de qua ante recentiores hos Arabes Muhammedanos, egregios fabularum fautores, nemo unquam fando aliquid audivit.

§. XVI.

(*e*) *Vattierius* in Praefat. p. 40.

(*f*) Neglecta hic orthographia interpretis Gallici, eam, quae hodie recepta magis eſt, ſecutus ſum.

(*g*) Vrbem, quae poſtea *Kahira*, vulgo *Cairo*, vocata eſt.

(*h*) *Vansleb* relation d'un voyage d'Egypte p. 52. *Lucas* relation du voyage fait en 1714, Tom. I p. 316. Les *Nouveaux Mémoires des Miſſions* Tom. VII p. 134. *Maillet* Deſcription d'Egypte, Tom. I p. 86.

§ XVI.

Verum uti tamen rumor etiam falſus non temere naſcitur, et ſub fabularum tegumentis aliquid veritatis ſubeſſe ſolet, ita mendax quoque iſta Arabum traditio viam forte nobis oſtendet, ad invenienſdam veram cauſam, ob quam in *Kalendario Romano d.* XIII *Payni* nuncupetur *dies Aegyptiacus.* An non enim id ſaltem hinc intelligitur, eo tempore, quo Arabes Aegyptum ſubiugarunt, regionis illius incolas *d.* XII *Payni* ſolemniter, ut feſtum, cum gaudio celebraſſe? De quo tanto minus dubitari poteſt, quia res ipſa in hodiernum usque diem perſeverat, eiusque memoria quotannis recolitur. Nempe perſuaſum eſt Aegyptiis (*i*), a *d.* XII *Payni* incrementa Nili adſcendentis, à quo omnem regionis ſuae fertilitatem expectant, conſpicui fieri, et ab illo tempore ſenſim progredi, ex quo etiam (*k*) ſit, ut, poſt *d.* XII *Payni*, Liturgiis ſuis hanc orationem interſerant (*l*): *Dignare, o Domine, fluvios plenitudine aquarum: benedic illis, fac ut adſcendant ſecundum menſuram ſuam.* Alia etiam dici huic volunt propria, ex quibus ingentia in totam Aegyptum redundent bona. Explicemus id verbis ſcriptoris admodum recentis, ſed laudati. Is autem ita (*m*): *Vixdum aquilo ſpirare incepit, cum ecce morbi illi omnes evaneſcunt. Ventus hicce, humidita*

(*i*) *Vansleb* lib. cit. p. 48.
(*k*) Idem auctor p. 57.
(*l*) Liturgia *Gregorii*, in Collectione *Renaudotii* Tom. I p. 33. Ego verſionem meam adornavi ad normam Codicis MS., quem olim in Bibliotheca Lugdunenſi Batava evolvi.
(*m*) *Maillet* Deſcription d'Egypte Tom. I p. 72.

te plurima, quam, dum in Aegyptum ruit, attraxit, turgidus, ſemper ſentitur d. XII *Payni ſecundum Coptos. Quia igitur humiditate ſua inſignem aëri mutationem infert, id ipſum occaſionem dedit traditioni cuipiam, cuius nulla apud veteres veſtigia reperiuntur; ſed quae tamen habetur pro certiſſima et teſtatiſſima. Dicunt autem, die illo coelitus decidere rorem, quem ipſi guttam vocant, cuius virtute aër perpurgetur, et corruptio omnis diſpellatur.* Guttae huius meminerunt omnes, qui de admirandis Aegypti eâ literis prodidere, quae in Aegypto ipſi aut viderunt aut audiverunt, qui tamen et id addere ſolent (*n*), guttam hanc, poſtquam Nilo, fermenti inſtar, admixta fuit, incrementi eius cauſam eſſe. Sed pace viri ingenioſi affirmare mihi liceat, traditionis huius, non ita recentis, atque ipſe ſibi perſuadet, veſtigia ſatis luculenta apud veteres reperiri. Nam quod nunc *guttam roris coeleſtis* Aegyptii hodierni vocare ſolent, id maiores eorum vetuſtioribus temporibus *guttas lachrymarum Iſidis* dixerunt, et his quidem eamdem plane virtutem tribuerunt. *Multi ex indigenis*, ut ſcribit *Pauſanias*, de Aegyptiis loquens (*o*), *ajunt*, Lachrymas Iſidis *efficere, ut Nilus augeatur, et in arva ſe effundat.* Paulo aliter *Lutatius*, non ineruditus *Statii* interpres, qui Nili incrementa lachrymarum guttis etiam, ſed lachrymis Aegyptiorum in acceptis fert. Verba eius ſunt (*p*): *De Sacris Iſidis tractum: quia proventum fructuum Aegyptii quaerunt usque ad ye-*

(*n*) *Vansleb* p. 48, le Pere *Sicard*, dans les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. VII p. 119, ac ſeqq.

(*o*) In Phocicis p. 350, edit. Wechel. Graec. [lib. X cap. 32, ibi Kuhnius].

(*p*) In *Statii* Thebaid. Lib. I vſ. 265.

veros planctus. Nam irrigatio Nili ſupradictorum fletibus *imploratur.* En fletus, ſive lachrymas, quibus irrigatio Nili deberi credita eſt; usque adeo traditio illa Aegyptiorum veteribus cognita et pervulgata fuit. Ex his igitur, ut nunc ad rem, unde digreſſus eram, redeam, ſatis liquere arbitror, *d.* XII *Payni* Aegyptiis, ab omni hominum memoria, ſacrum fuiſſe et venerabilem, ut qui fertilitatis, quam a Nilo anxie expectabant, prima ſpecimina dare ſoleret, ipſosque optima quaeque ſperare iuberet. Ne quem vero turbet, velim, quod in *Kalendario* noſtro, non *d.* XII ſed XIII *Payni* notatum videamus. Nam diſcrepantiae huius generis leviores, in Faſtis Aegyptiorum, obſervantur plures, earumque rationes (*q*) alio iam loco indicavi.

§ XVII.

Quia in hoc argumento iam verſor, lectorem aequo animo laturum eſſe confido, ſi, quidnam de origine vera fabulae illius Arabicae, quam § XV retuli, cenſeam, diſtinctius nonnihil explicuero. Tradunt autem Arabes, inter ſolemnitates, apud vetuſtos Aegyptios *d.* XII *Payni* conſecratas, fuiſſe et hanc, quod Nilo virginem immolaverint, eamque vivam in fluvium praecipitaverint. Arabem profecto eſſe oportet, qui iſtud credat. Verum quis dubitet, quin a vetuſtis Aegypti incolis, inter alia laetitiae publicae illius diei argumenta, inter grates coeleſtibus perſolutas, Nilo etiam ſacrificia oblata fuerint? Cumque Aegyptii, etiam in ſacris deorum, a ſanguine pecudum abſtinere ut plurimum ſolerent, vero diſſimile non eſt, loco pecudum, Ni-

(*q*) Supra § XI et XIII.

Nilo et ceteris diis in ſolemnitate illa ferta, liba, ac placentas oblatas fuiſſe. Id autem, ſi recte coniicio, *Plutarchus* docere (*r*) nos in his voluit: *In ſacrificiis, quae menſibus Payni et Phaophi peragunt, placentas coquunt, quae pro inſigni aſinum vinctum impreſſum habent.* Nempe ſacrificia haec offerebantur eo tempore, quo Nilus adſcendere incipiebat, menſe *Payni*, et quo creſcere deſinebat, menſe *Phaophi*, non ſecus atque hodie regionis illius incolae, *in officio Divino matutino, a d.* XII Payni, *ſive Iunii, usque ad d.* VIII Phaophi, *vel Octobris, orationem peculiarem recitant, qua Deum precantur, ut incrementis Nili benedicat, et fluvium ad iuſtam ſuam menſuram adſcendere iubeat* (*s*). Poſſum adferre aliud, in quo vetuſti illius Aegyptiorum moris veſtigia ſervantur adhuc luculentiora (*t*): *Nam die illo, quo gutta cadit*, id eſt, d. XII Payni, *mulieres in Aegypto non minus, quam in aliis regionibus, ſuperſtitioſae, inter cetera, hoc etiam inepte ſatis ſibi perſuadent, guttam illam, dum illabitur in terram, maſſam etiam quamdam farinae aqua ſubactae, quam nocte praecedente aëri expoſuerunt, fermentare. Ex maſſa illa* placentas *poſtea coquunt, quas partim aliis dono mittunt, partim vero ſibi ipſis ſervant, et in domibus ſollicite cuſtodiunt, ea opinione ineſcatae, mederi eas adverſus morbos.* Quis hic non videat reliquias ſuperſtitionis illius, quam vetuſtioribus Aegyptiis *Plutarchus* tribuit. Placentae illae vetuſtiorum Aegyptiorum, figuram, uti iam ex *Plutarcho* intelleximus, impreſſam habebant aſini, id eſt, Typhonis, genii mali, vinculis conſtricti, et ex his

(*r*) De Iſid. et Oſir. p. 646 edit. Steph. vel 362.
(*s*) *Vansleb* relation d'un voyage fait en Egypte p. 57.
(*t*) *Maillet* Deſcription d'Egypte Tom. I p. 72.

his placentis aliquas, de quo dubitandum non videtur, in Nilum proiiciebant. Rem ipsam, ut plurima alia, post id temporis retinuerunt Christiani, eo tantum discrimine servato, ut ritus antiquos, in solemnitate Niliaca adhibitos, ad placita religionis suae magis attemperarent. Itaque suspicor, eos loco asini vincti, qui in vetustiorum Aegyptiorum placentis visendus erat, placentulis suis imaginem B. Virginis Mariae impressisse, earumque unam, aut etiam alteram, in Nilum conieciſſe. Aegyptii antiquiores Nilum suum in tutela Isidis esse, et lachrymis eius augeri credebant. Quid vetat nos augurari, Christianos, seculo forte quinto adulto, aut sexto, Isidi beatam Virginem substituisse, eiusque imaginem Nilo obtuliſſe? Hodie certe, Aegyptios, quando Nilus adscendere desiit, *d.* VIII *Phaophi*, post alios ritus, solemnitati huic dicatos, ad ultimum crucem in medium Nilum mittere, scriptores fide digni (*u*) testantur. Quidni olim maiores eorum idem cum imagine B. Virginis feciſſent? Hinc sine dubio rumor ille natus, Aegyptios virginem quotannis in Nilum solitos suisse praecipitare. Sed ego haec diiudicanda aliis libenter relinquo.

§ XVIII.

Satis de *d.* VII *Iunii*, vel XIII *Payni*, quem inter *dies Aegyptiacos* Kalendarium nostrum collocat. Est et alter in eodem mense *dies Aegyptiacus*, congruens cum *d.* XX *Iunii* Romanorum et XXVI *Payni* Aegyptiorum. Ita enim in *Kalendario* legimus: *Dies* XII *Kal. Iulii* (XX Iunii) *dies Aegyptiacus*. Diem hunc olim Aegy-

(*u*) *Vansleb.* ubi supra p. 57. *Maillet* Tom. I p. 87.

Aegyptiis ſolemnem ſacrumque extitiſſe, viri eruditi iam pridem, ducta ex hodiernis Aegyptiorum moribus et ritibus coniectura, obſervarunt. Quam in rem apponere iuvabit verba *Vanslebii*, cui literae hae plurimum debent, et qui aliorum diligentiam, velut ſtimulis admotis, incitavit. Sic vero ille (*v*): *Die* XXIX *Iunii, qui Sanctorum Apoſtolorum Petri et Pauli memoriae conſecratus eſt, incipiunt incrementorum Nili, progreſſus, per urbem Cairum publice annuntiare. In Kalendario Coptorum dies hic eſt* XXVI *Payni, quo etiam peragunt Feſtum Gabriëlis Angeli. Diem illum ſermone Arabico, qui nunc hominibus illis vernaculus eſt, nuncupant* Beſciaret innil be Masre, *id eſt*, diem, quo incrementa Nili annuntiantur Cairi. Paulo ante (*w*) autem obſervaverat, idque iure merito, adhibitos ab antiquioribus in negotio hoc ritus, maxima ex parte, hodienum ſervari. Mitto alios, qui eiusdem rei relationes hiſtoricas nobis reliquerunt. Id unum ex *Vanslebio* nunc obſervaſſe ſatis mihi erat, diem ſolemnitati huic deſtinatum a Coptis, ſive Aegyptiis, eſſe *d.* XXVI *Payni*, diem illum ipſum, qui in *Kalendario Romano* notatus eſt ceu *dies Aegyptiacus*. Crediderunt nempe ab omni tempore Aegyptii, *die* XII vel XIII *Payni*, guttam roris coeleſtis, in Nilum fermenti inſtar illabentis, incrementa eius efficere et praeſagire, poſt aliquot autem dies illa ita conſpicua evadere, ut iam incrementi gradus obſervari poſſent. Hoſce incrementi Niliaci gradus publice primum *d.* XXVI *Payni* annuntiare, et ſic usque ad menſem *Phaophi* pergere, ſemper moris fuit. Plura alia de diei huius celebritate in medium adferre poſſem. Verum

(*v*) *Vansleb*, ubi ſupra p. 68.
(*w*) Ibid. p. 67.

rum plus ſatis mihi iam videor de *diebus* noſtris *Aegyptiacis* diſſeruiſſe. Tempus igitur eſt, ut ſcriptioni huic modum finemque ſtatuam, atque vela contraham.

§ XIX.

Antequam vero finiam, aequum eſſe cenſeo, ut dubiis nonnullis, quae lectorum animis obiicere ſe poſſent, occurram, eaque pro virili evellam. Quid enim, inquiat aliquis, Aegyptiis, Romae morantibus, et vitam forte totam tranſigentibus, cum Nilo, ut de incrementis eius ſolliciti eſſent, eorumque memoriam annuam religioſa celebritate recolerent? Obiectionem hanc fateor eſſe notae levioris. Quia tamen mihi in mentem venit, credidi id, quod mihi contigit, contingere aliis itidem poſſe. Satisfaciam igitur dubio huic, ſed paucis. Aegyptiis omnibus, ſive in patria, ſive alibi locorum viverent, nihil unquam neque maius, neque ſacratius, neque venerabilius erat Nilo fluvio, cui Aegyptus, patria dulciſſima, tantam bonorum copiam debebat. Totam Aegyptum credebant (*x*) *imaginem coeli*, et in ea Nilum ſeptemo ſuo alveo ſidera coeli imitari iactabant. Quae res *Manilium* non latuit, ex mente Aegyptiorum ita (*y*) canentem:

(*x*) Pſeudo-*Hermes Trismegiſtus* allocutione ad Aſclepium, inter Opera *Apuleii* p. 90 edit. Elmenhorſtii.

(*y*) Aſtron. Lib. III p. 73 edit. Scaligeri. Ceterum ſecutus ſum emendationes *R. Bentleii*, ſummi viri.

Atque haec Niliacas demum eſt menſura per oras,
Qua rigat aeſtivis gravidus torrentibus arva
Nilus, et erumpens imitatur ſidera mundi
Per ſeptem fauces, atque ora fugantia Pontum.

Idem teſtatur *Heliodorus*, qui (z) *Deum eſſe*, inquit, *Nilum fingunt Aegyptii, et ex Numinibus maximum ducunt, aemulum eſſe coeli, fluvium praedicantes.* Itaque (a) *ſolemnitates ipſorum ſacrae ad unam omnes ſpectabant ad Nilum* (b), *nihilque erat, quod tam impenſe colerent* Aegyptii, *atque hunc fluvium.* Quin imo ſcimus ex teſtimonio *Servii*, celebris Grammatici, Aegyptios Romae, in ſacris, Nilum quaſi praeſentem videre ſibi viſos eſſe: *Sciendum*, ait (c), *in ſacris ſimulata pro veris accipi — nam et in templo Iſidis* Romae *aqua ſparſa de Nilo eſſe dicebatur.* Eſtne igitur, quod quis miretur, Feſta, in honorem Nili adſcendentis et agros Aegypti irrigantis decreta, ab Aegyptiis Romae etiam celebrari conſueviſſe.

§ XX.

Verum id forte altioris indaginis quibusdam videatur, quod praeter *dies Aegyptiacos*, de quibus nondum ſatis liquet, in *Kalendario* noſtro commemorentur Feſta alia, velut *Iſidis Navigium*, *Serapia*, *Iſia*, de quibus nemo ſane ambigit, quin ſignificent ſolemnia re-

(z) Aethiopic. Lib. IX p. 423 edit. Bourdelot.
(a) *Ariſtides* Rhetor in *Aegyptiaco* fin. p. 96 b, edit. Graecae Florentinae.
(b) *Plutarchus* de Iſid. et Oſir. p. 629 edit. H. Steph.
(c) In *Virgilii* Aeneid. Lib. II vſ. 116.

religionis Aegyptiorum ſacra. Cur illa, dicat quispiam, ab *Aegyptiacis diebus* manifeſto diſtinguuntur, ſi tamen *dies Aegyptiaci* feſtos gentis huius dies deſignent? Non negabo igitur, quod res ipſa clarius multo loquitur, quam ut negari poſſit, eſſe aliquam inter *Iſia* ac *Serapia*, et *dies Aegyptiacos* diſcrepantiam. Verum diſcrepantiam hanc in eo ſitam eſſe contendo, quod Feſta Aegyptiorum notiora, *Serapia* nempe ac *Iſia*, ſacra quaedam peculiaria deſignent, ab antiquo inter Romanos nota et celebrata, *dies* vero *Aegyptiaci* ſolemnitates gentis huius in univerſum omnes ſignificent, diu poſt, auctoritate Imperatorum, et permiſſu Senatus Romani introductas, et promiſcue tum publice concelebratas. Quod ad priora illa *Iſiorum* et *Serapiorum* ſolemnia attinet, videntur ea non tam ab ipſis Aegyptiis, quam potius a Graecis ad Romanos transmiſſa fuiſſe, et paulatim ſacris horum patriis annumerari coepiſſe. Certe in non uno ex vetuſtioribus Romanorum Kalendariis ſolemnia haec ut Romana inter reliqua referri, nemini obſcurum eſſe poteſt.

§ XXI.

Vt hoc exemplo aliquo ſatis luculento illuſtrem, eſt inter antiquiora Aegyptiorum Feſta, Romae celebrari ſolita, et in *Kalendario* noſtro annotata, Feſtum, quod *Navigium Iſidis* nuncupatur, ad *d.* III *Non. Martii*, vel V *Martii*. Illud vero, quale nempe in Graecia et Romae celebrari ſolebat, exiſtimo in univerſum ingenio Graecorum deberi, non Aegyptiorum, ut igitur longe potiori iure pro ſolemnitate Romana haberi poſſit, quam pro Feſto religionis Aegyptiacae. In eadem ſententia video quoque fuiſſe *Lactantium*,

cum in haec verba ſcriberet (*d*): *Quo igitur argumento probari poteſt, nec Europam in Tauro ſediſſe, nec Io factam bovem? Quod certus dies habetur* in Faſtis, *quo* Iſidis navigium *celebratur; quae res docet, non tranaſſe illam, ſed navigaſſe.* Igitur dies ille habebatur in *Romanorum Faſtis.* Et celebritatis illius vera origo, non ex fabulis allegoricis Theologiae Aegyptiorum, ſed Graecorum ſolorum, peti recte poteſt. Non equidem ignoro, Aegyptios in Faſtis ſuis aliquod etiam celebraſſe *Iſidis* ſuae *navigium*, quod ita appellare poſſis, diem nempe, quo memoriam reditus deae huius e Phoenicia in Aegypto recolebant. Verum Aegyptii ſacrum illud vocabant, ut diſerte *Plutarchus* tradit (*e*), ἄφιξιν Ἴσιδος ἐκ Φοινίκης, *adventum Iſidis e Phoenice*, Graeci vero et Romani ſolemnitatem ſuam dicebant *navigium Iſidis.* In eo quidem parum omnino ſitum. Verum id maioris utique momenti quivis facile putabit, quod Aegyptii ſolemnitatem illam peragerent (*f*) *d.* II *Ianuarii*, ea anni tempeſtate, qua mare frequentari (*g*) nondum ſolebat, Graeci vero et Romani celebritatem ſuam coniicerent in menſem *Martium*, aut illam anni partem, qua navigaturis mare nunc apertum eſſe credebatur. Solemnitas Aegyptiaca ſpectabat ad Oſiridem iam

iam

(*d*) Lib. I cap. II.

(*e*) De Iſid. et Oſir. p. 662 edit. Steph. vel 371 Pariſ.

(*f*) Vide *Plutarchum* loc. cit., et confer hanc Commentationem § X.

(*g*) Epigramma Graecum de Menſibus Aegyptiorum, in *Anthologia* Lib. I cap. XCI num. II, initium navigationis refert ad *Mechir* menſem, reſpondentem *Februario* Romanorum,

Σημαίνει πλωτῆρσι Μεχεὶρ πλόου ἀμφιπολεύειν.

Indicat nautis Mechir navigationem inſtituere.

iam inveniendum, Graeca vero ad felix navigationis auſpicium. Eam celebritatem prolixe *Apuleius* deſcribit, ubi inter alia et haec legimus (*h*): *Tunc unus ex his, quem cuncti Grammatea dicebant — fauſta vota praefatus Principi magno, Senatuique et Equiti, totique Romano Populo*, nauticis navibus, *quaeque ſub imperio mundi noſtratis* (*i*) *reguntur, renuntiat ſermone rituque Graecienſi ita*, ΛΑΟΙΣ ΑΦΕΣΙΣ. In verbis hiſce Graecis mirum in modum eruditi ſe torſerunt. Multi ea contulere cum celebratiſſima illa formula, qua olim concionem plebis Chriſtianae dimittere moris erat: *Ite, miſſa eſt.* Verum concionem illam, de qua *Apuleius* loquitur, verbis illis dimiſſam nondum fuiſſe, ex iis, quae illico ſequuntur, certo perſpicitur. Res ipſa clare docet, legendum eſſe ΠΛΟΥ ΑΦΕΣΙΣ, id eſt, *Navigationis initium.* Ἄφεσις Graecis *initium* rei cuiuscunque ſignificat, ducta metaphora a carceribus in ſtadio, ex quibus dimittebantur curſores, curſum ſuum auſpicaturi, quod erudite docuit (*k*) *Salmaſius.* Quando igitur Grammateus ille omnibus, ac *navibus nauticis* ſigillatim, renuntiabat ΠΛΟΥ ΑΦΕΣΙΣ, idem eſt, ac ſi dixiſſet: *Licet nunc omnibus navigationem feliciter auſpicari.* Vnde confeſtim ſequitur apud *Apuleium: Quam vocem feliciter cunctis evenire, ſignavit populi clamor inſecutus.*

§ XXII.

(*h*) Lib. XI Mileſiorum p. 265 edit. Elmenhorſtii. [p. 789. Conf. tom. I Opuſculorum, p. 143, 144.].

(*i*) Malim hic legi *vehuntur.* Senſus tum perſpicuus, *renuntiat nauticis navibus, quaeque* (pro *quaecunque*) *ſub imperio mundi noſtratis vehuntur.* Fauſta igitur quaeque Grammateus ille apprecabatur navibus in Orbe Romano iter facturis.

(*k*) De Annis Climactericis p. 268.

§ XXII.

Ex his intelligi iam poteſt, *navigio Iſidis* et aliis nonnullis *Iſiorum* et *Serapiorum*, ad Graecorum ritus inflexorum, ſolemnibus Romae locum dari potuiſſe, antequam tota Aegyptiorum religio civitate donaretur. Et id re ipſa etiam uſu veniſſe, ex genuinis hiſtoriae Romanae monumentis (*l*) a viris eruditis egregie demonſtratum iam eſt. Ad antiquiora illa Feſta, pauca tantum numero, quibus Roma a longo iam tempore aſſueta erat, acceſſerunt tandem, ſeculo poſt Chriſtum natum ſecundo et tertio, ſub Antoninis, Commodo et Caracalla, *dies* noſtri *Aegyptiaci*, totam ſacrorum ab Aegyptiis inſtitutorum ſeriem complexi, qui etiam nonniſi ſublata tota in univerſum Gentilium ſuperſtitione celebrari deſierunt.

(*l*) Vide cumprimis *Cuperi* Harpocratem p. 149, 150.

OBSERVATIONES,

QVAS IPSE *IABLONSKIVS*

ADSCRIPSIT EXEMPLO

PANTHEI AEGYPTIORVM,

NVNC PRIMVM EX AVTOGRAPHO EDITAE.

OBSERVATIONES

AD

PANTHEON AEGYPTIORVM.

PARS PRIMA.

Pag. 3. l. 16. *Orion Grammaticus.* Videtur hic is esse, quem *Proclus* audivit Alexandriae, atque ex genere sacerdotali apud Aegyptios prognatum fuisse, testatur *Marinus* in vita Procli cap. VIII

Pag. 6. l. 17. *Ea omnia*, cet. Non tamen per *Iunonem* Aegyptiorum semper tantum designatur eorum *Athor*, sive *Venus*. Vide modo loca, in notis citata. In illis, v. g. apud *Porphyrium* Iuno nonnunquam designat *Lucinam*, vel *Ilithyan*, Aegyptiis dictam *Bubastin*. Vide Lib. III Pantheï cap. III. § 7.

Pag. 12. l. 23. *Mochus vocat aetherem.* Ex eo apparet, causam, *Aeonis* et *primogeniti*, non fuisse ventum aliquem, hic vocatum *Kolpian*, quod vellet *Rich. Cumberlandius* in animadversionibus ad historiam Phoenicicam *Sanchoniathonis* p. 231 ac seqq., sed aliquid vere divinum, quod *Sanchoniathon* dixit *vocem oris Dei*, *Mochus* vero apud *Eudemum aetherem.*

Pag. 19. l. 14. *Doceat nos Proclus* Lib. II in Timaeum Platonis p. 117. Χώρισμα μέν ἐστιν, ὡς χώ-

ρα τῶν εἰδῶν καὶ τόπος, οὔτε δὲ πέρας, οὔτε πυθμὴν, οὔτε ἕδρα περὶ αὐτήν ἐσιν, ὡς ἄπειρον καὶ ἄσατον, καὶ ἀόριστον οὖσαν ἀζηχὲς δὲ αὖ σκότος, καὶ αὐτὴ ὡς ἀνείδεον λαχοῦσα τὴν φύσιν, ὀνομάζοιτο ἄν. ὥς τε καὶ Ὀρφεὺς κατὰ τοῦτον τὸν λόγον, ἀπὸ τῆς πρωτίσης τῶν νοητῶν ὑποςάσεως παράγει τὴν ὕλην· ἐκεῖ γὰρ τὸ ἀζηχὲς σκότος καὶ τὸ ἄπειρον. — Τῇ δὲ ὕλῃ τὸ ἀλαμπὲς δι' ἔνδειαν, καὶ τὸ ἄπειρον, οὐ κατὰ δυνάμεως περιουσίαν, ἀλλὰ κατ' ἔλλειψιν· καὶ μὴν καὶ ἡ Αἰγυπτίων παράδοσις τὰ αὐτὰ περὶ αὐτῆς φησιν. Doceat id nos *Damaſcius* —

Pag. 20. l. 8. ſqq. Pro *quia illique* legendum *quin illius*. Totus *Plutarchi* locus ita ſe habet: τὴν μυγαλὴν ἐκτεθειάσθαι λέγουσιν ὑπὸ Αἰγυπτίων τυφλὴν οὖσαν, ὅτι τὸ σκότος κ. τ. λ. Ex quo patet, Aegyptios non modo Tenebras exiſtimaſſe priores luce, ſed easdem etiam per σωματοποιΐαν ut Divinitatem religioſe coluiſſe. — Quod ita lingua ſacerdotum allegorica et ſymbolica videmus exprimi, *Tenebras eſſe primum principium*, vel *Tenebras eſſe priores luce*, id alii diſtincte magis et proprie ſic extulerunt, ἀρχὴν μὲν εἶναι τὴν ὕλην, uti *Diogenes Laërtius* in Prooem. § 10. Vide et locum *Procli* citatum ad p. 19.

Pag. 22. l. 16. *Valerius Flaccus* Argon. Lib. VII. 520.

— — *quem tanta utinam fiducia noſtri.*
Sit mihi, nocturnaeque Hecates, *veſtrique vigoris.*

Pag. 24. l. 5. *Lunam* cet. Nam regnum eius *nocturnum* eſt. Sic *Manilius* Aſtron. Lib. III. 197.

Conſule tum Phoeben imitantem lumina fratris
Semper, et in proprio regnantem tempore noctis.

Pag.

Pag. 30. l. 23. *Poëtas Tragicos.* Et certe *Euripides* eamdem plane ſententiam aliis etiam in Tragoediis propoſuit, uti in *Supplicibus* v. 532, Tom. II p. 13 extr. et 14.

Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. ——

Pag. 32. l. 17. *Vt anima multo tempore perduret.* Videtur haec fuiſſe ſententia Aegyptiorum, animam, qua corpori coniuncta fuerat, illius ſocietate delectari, et illam quaerere, dum licet. Quamdiu corpori, quod iam animaverat, adhaerere poteſt, ſecundum illos, ab eo ſe non ſeparat; ſed ubi corpus illud prorſus ad cohabitandum inhabile evadit, tum aliud corpus quaerit. Hinc dogma Metempſychoſeos, quod ab Aegyptiis ad Orientales fere omnes tranſiit. De eo ſic diſſerens, in vita *Francisci Xaverii*, introducitur aliquis Iaponum Bonzius vel ſacerdos: *Tu dois donc ſcavoir, que le monde n'a jamais eu de commencement, & que les hommes à proprement parler, ne meurent point. l'Ame ſe dégage ſeulement du corps, ou elle étoit enfermée, & tandis que ce corps pourrit dans la terre, elle en cherche un autre frais & vigoureux, ou nous renaiſſons tantôt avec le ſexe le plus noble, tantôt avec le ſexe imparfait, ſelon les diverſes conſtellations du ciel, & les differens aſpects de la Lune.* Lettre du Père *Bouchet*, dans les *Lettres édifiantes*, Recueil XIII p. 99, 100.

Pag. 32. l. 29. *Porphyrius.* — Poſſunt haec verba illuſtrari ex doctrina Aegyptiorum, quam memoriae prodidit *Plutarchus* de animae procreatione in Timaeo.

maeo p. 1886 edit. Steph. (*): Αἰγύπτιοι μὲν οὖν μυθολογοῦντες, αἰνίττονται, τοῦ Ὥρου δίκην ὄφλοντος, τῷ μὲν πατρὶ τὸ πνεῦμα καὶ τὸ αἷμα τῇ δὲ μητρὶ τὴν σάρκα καὶ τὴν πιμελὴν προσνεμηθῆναι. Illuſtra haec ex doctrina Aſtrologorum apud *Seldenum* de Diis Syris p. 92, et *Salmaſium* de Ann. Climact. p. 125.

Pag. 33. l. 2. *Haec Epicharmi.* — *Epicharmum* imitatur *Lucretius* in his, Lib. II. 1004.

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras: et quod miſſum eſt ex aetheris oris,
Id rurſum coeli rellatum in templa receptant.

Eodem ſpectat locus *Euripidis* allatus ad p. 30. Ad illuſtrandam hanc *Epicharmi* ſententiam, conferendus utique erit *Diogenes Laërtius* Lib. III § 10, et addenda omnino, quae ad verſus *Epicharmi*, illic citatos, *Caſaubonus* obſervat.

Pag. 36. l. 12. Eumdem in ſenſum *Athenagoras*, ſupplicat. pro Chriſtianis p. 133 (edit. Oxon. 1682 in 12mo), δηλοῦσι μὲν καὶ Αἰγυπτίων οἱ λογιώτατοι, οἳ θεοὺς λέγοντες, αἰθέρα, γῆν, ἥλιον, σελήνην, τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους θνητοὺς νομίζουσι, καὶ ἱερὰ τοὺς τάφους αὐτῶν. Quod ultimo addit de hominibus mortalibus ad dignitatem divinam evectis, ex recepta Chriſtianorum doctrina hauſit, qui id ipſum ex Graecis quibusdam aevi poſterioris acceperant, novisque rationibus adſtruxerant.

Pag. 41. l. 7. *Thales Mileſius.* Pertinet et huc, quod de eo *Varro* obſervat de Re Ruſtica Lib. II cap.

(*) Monet *Wyttenbachius* V. Cl. tom. V p. 119, non ſatis expeditam eſſe huius loci rationem: forte legendum, Αἰγ. μὲν τοῦν αἰν. ἃ μυθολ. Mox putat corrigendum μέρει aut μέρος pro μέν.

cap. 1 § 3. *Sive enim aliquod fuit principium generandi animalium, ut putavit Thales Mileſius et Zeno Cittieus: ſive contra principium horum extitit nullum, ut credidit Pythagoras Samius, et Ariſtoteles Stagirites.* Adde *Vitruvium* Praefat. Lib. VIII, et *Servium* in *Virgilii* Lib. IV Georg. 364. Ceterum doctrina illa Aegyptiorum, de aqua initio rerum, etiam reperitur apud Brachmanas Indorum, teſte *Rogerio* Lib. II cap. 1 p. 141 edit. Gallic.

Pag. 41. l. 24. Confer cum hac doctrina Orphica *Diogenem Laërtium*, qui rem eamdem, ſed verbis propriis, et diſtincte tradit in Prooem. § 10. Doctrina haec Orphei allegorica de ovo etiamnum reperitur inter traditiones Brachmanum Indorum. Aiunt enim illi, *Ixoreta* (id eſt, divinitatem) *transmutatum fuiſſe in ovum, et ex illo mundum prodiiſſe.* Vide *Baldaeum* in Deſcriptione Inſulae Ceylonis fol. 435. a. b., et *Abr. Rogerii* Portam apertam Lib. II cap. V.

Pag. 42. l. 17. *In ſe habuiſſe rationes Naturae totius.* Ita veteres etiam Philoſophi loquebantur, teſte *Chalcidio*, cuius haec ſunt verba Commentariis in Timaeum Platonis cap. XXXIX p. 192. edit. Fabricii: *Cum enim Deus Opifex ſit origo numerorum, omnibusque ex ſe ſubſtantiam ſubminiſtret, rationesque earum tam ſimplices, quam multiplicatas, ipſa contineat, ceteris numeris, incrementis, imminutionibusque mutatis, ſola* Monas *inconcuſſo iure eſt, atque in ſtatu ſuo perſeverat; ſemper eadem, ſemper immutabilis, et ſingularitas ſemper, quemadmodum divina omnia, quae nulla temporis progreſſione mutantur, ſuntque ſemper impatibili felicitate.*

Pag. 45. in not. *Nili filius.* Et ſic *Cicero* ipſe paulo ante cap. 21, *tertius a Vulcano Nili filio.*

Pag.

Pag. 49. l. 12. *Nempe reliqui Dii.* Applica hic doctrinam Platonicorum de Opifice, quam ex *Chalcidio* deſcripſi ſupra ad p. 42.

Pag. 50. l. 8. *Vulcanus, Mens.* — Id quoque traditum fuiſſe in Theologia Aſſyriorum et ab Orpheo, monet *Simplicius* Lib. IV in *Ariſtotelis* Phyſicam auſcult. fol. 150. b.

Pag. 62. l. 11. Originem fabulae de olea Minervae ſacra narrat *Plutarchus* in Themiſtoclis vita, p. 221 edit. Steph.

Pag. 63. l. 6. *Natura maſculo-foeminina.* Ex Aegyptiorum igitur fontibus manavit, quod *Orpheus*, ſive quisquis ſub hoc nomine latere voluit, tradit de Minerva, Hymno in hanc Deam [v. 10],

Αρσην μὲν καὶ θῆλυς ἔφυς.

Pag. 75. l. 2. Hinc eſt, ut videtur, quod etiam Graeci Minervae ſuae arietem vernalem conſecraverint. Ita *Servius* in Lib. XI Aen. v. 259, Adde *Manilium* Lib. II v. 439, et confer ad iſtum locum notas *Scaligeri* p. 139.

Pag. 78. l. 22. ΝΕΣΤ, *decernens.* — Illud hic omnino monendum, analogiam grammaticam requirere, ut a ΝΕΣ fiat ΝΗΣΤ, et ΝΗΣΘ, ſicut ab ΝΑΣ, *miſereri*, fit ΝΑΗΤ, et ΝΑΗΘ, et ſic alia huiusmodi derivata formantur, ut a ΤΕΝΝΩ, *contero*, fit ΤΕΝΝΗΔΟΤ, *contritus*, a ΤΔΟΒΕ *circumcido*, fit ΤΔΟΒΗΤ, *circumciſus*. Sic igitur a ΝΕΣ formatur ΝΗΣΤ, et ΝΗΣΘ; poſterius plane eſt Νηὶθ *Platonis*, prius comparet in compoſitis illis, de quibus vide § 3.

Pag.

Pag. 82. l. 2. *Aelianus.* Operae pretium est considerare, quae idem scriptor ex traditione Aegyptiorum de Leonibus memoriae prodidit, Lib. v. de Animal. cap. 39, et cum his conferre eorumdem doctrinam de *Phtha*, sive *Vulcano.*

Pag. 90. l. 28. *Vox δαίμων — malo sensu accipitur.* Expendere operae pretium est, haec ex Itinerario *Caroli Ponceti* Aethiopico (dans le IV Recueil *des Lettres édifiantes*) p. 135. *On me pria, de voir une personne de qualité, qui étoit malade. Un des assistans me dit à l'oreille* Mich, *c'est-à-dire,* l'Esprit malin la frappé. An vox haec et Aegyptiis et Aethiopibus est communis? Certe ex ϛϧ, *δαίμων*, formatur ⲙ̀ϛϧ, quod analogice significat *δαιμονιακὸν*, id est, *possessum*, vel *percussum a Daemone.*

Pag. 91. l. 6. *Vocem* ϛϧ, *quae bonam solet habere significationem.* Pauca tamen exempla in contrarium reperiuntur, v. gr. Matth. VIII. 16, XVII. 18.

Pag. 94. l. 25. *Graeci recentiores, arcanam v. Aeg. doctrinam assecuti non sunt, tria.* — Legendum est: Graeci recentiores, cum arcanam v. Aeg. doctrinam non assecuti essent, tria. —

Pag. 99. l. 5. *Ἀγαθὸς δαίμων.* Ex Miscellaneis Lipsiensibus Novis Vol. VI p. 644, nota sequens hic apponenda erat, ab operis Lipsiensibus, ut videtur, omissa. *Etiam apud* Manethonem *in Dynastia, vel regno Deorum, fit mentio ἀγαθοῦ δαίμονος. Sed quis ille sit, pluribus disquirere, vix operae pretium esse duxi. Adeo illic pleraque a genio vero Theologiae Aegyptiacae aliena sunt. Sed rei huius culpa potest esse penes interpretem Graecum, qui forte miram confusionem induxit.* Adde, *etsi tamen ego culpam omnem malim in* Manethonem *ipsum relicere, qui aut rerum Aegyptiacarum ita pe-*

peritus non fuit, atque videri voluit, aut monumenta antiqua patria studio deditaque opera corrupit, ut Ptolemaeis velificaret.

Pag. 104. l. 28. Παμβώ. In Apophthegmatibus Patrum, Tom. I Monumentorum *Cotelerii* p. 463, τῷ Ἀββᾷ Παμβώ. Vid. etiam p. 491, 526, 637, et alibi.

Pag. 105. l. 23. ϯⲑⲣⲏ ⲙ̀ⲃⲟⲛ̣. Non multum hinc abit ⲑⲣⲟ ⲙ̀ⲃⲟⲛ, quod legitur Numer. XIV. 11.

Pag. 111. in nota **. Adde le Voyage de *Thevenot* Tom. I Liv. II p. 833, *Pococke's* Observations on Egypt p. 195.

Pag. 113. l. 5. *Ita mala.* — *Suidas* in voce Ἱερὰ νόσος p. 655 scribit: Ἱερὰ νόσος. αὕτη τῇ σελήνῃ ἀνάκειται· ὑπὸ γὰρ ταύτην γίνεσθαί φασι. Vltima verba forte legenda sunt, ὑπὸ γὰρ ταύτης αὐτὴν γ. φ. Observationem de morbo sacro, qui τῇ σελήνῃ ἀνάκειται, sumsit *Suidas* ex *Artemidori* Oneirocriticis Lib. II p. 100, quod et *Rigaltius* monuit. In libris N. T. vocantur epileptici σεληνιαζόμενοι. Consulantur interpretes eruditi ad Matth. IV. 24, XVII. 15, ac loca plura similia.

Pag. 117. l. 23. *Si nomen* — *Aegyptiacum* rel. Ⲉⲣⲙⲟⲩ videtur apud Aegyptios cognomen fuisse *Lunae*, quatenus illa credebatur hominibus certo quodam tempore mala ac ipsam etiam mortem inferre. Inde enim factum esse opinor, ut σεληνιαζόμενος, *Lunaticus*, qui gravia et tristia a Luna patitur, interpretibus Aegyptiacis dicatur ⲙⲡⲉⲣⲙⲟⲩ, Matth. IV. 24, XVII. 15.

Pag. 125. l. 12. *Osiridem sive Solem.* Potest huc referri, quod Indi in lingua sua antiquissima et sacra,

cra, quam *Samſcrit* vocant, paucis tantum intellecta, *Solem* vocent *Suri*. Vide *Rogerii* Portam apertam Lib. I cap. XV, non procul ab init., Lib. II cap. IV fin. et cap. IX p. 207. *Baldaeus* in Deſcriptione Ceylonis p. 194: *Wie dem* Eswara (qui idem eſt cum *Iſuren*) *bey den Malabaar die ſonne iſt.*

Pag. 128. l. 10. *Sollinus* cap. XLI ſcribit: Nonnullos affirmare, *omnem exceſſus* (ἀναβάσεως) *originem de Sole fieri, primamque exultantiam tumoris concipi, cum per cancrum Sol vehitur.* Confer hic omnino *Dodwell's* Diſcourſe concerning Sanchoniathon p. 106 ſqq. Similia omnino Indorum Brachmanes, diſcipuli Aegyptiorum, fingebant de ſuo *Gange*, fluvio ſibi ſanctiſſimo, quem idcirco etiam *fluvium coeleſtem* nuncupabant. Vide *Abrah. Roger* de la Religion des Bramines Lib. II cap. XIX. Le *P. Bouchet* dans une lettre, qui ſe trouve au XV Recueil des *Lettres édifiantes* p. 12: *La ſource du Gange, ſelon l'opinion des Indiens, eſt toute celeſte. C'eſt, diſent ils, un de leurs Dieux, qui la fit de couler de ſa tête ſur le mont Ima.*

Pag. 129. l. 23. Confer cum hoc Pſaltis loco *Aelianum* de Animal. Lib. V cap. 39.

Pag. 129. l. 34. *In membra diſcerptus.* *Proclus* in Timaeum *Platonis* Lib. III p. 200: Τὸν Διόνυσον οἱ Θεολόγοι μεριζόμενον, εἰς ἑπτὰ μερισθῆναι λέγουσιν. ἑπτὰ δὲ παντᾳμέρη χούρου διεμερίσαντο, καὶ τῷ Ἀπόλλωνι τὴν ἑπτάδα ἀνεῖσαν, ὡς συνέχοντι πάσας τὰς συμφωνίας.

Pag. 130. l. 11. *Graecos.* Et hic a Graecis quibusdam ſe in eam induci ſententiam paſſus eſt Celeb. *la Crozius*, ut et ipſe exiſtimaret, Oſiridem eſſe inventorem vitis, Hiſt. du Chriſtianisme des Indes, Liv. VI p. 430.

Pag.

Pag. 133. l. 24. *Indorum Brachmanes.* Conferatur *Baldaeus* in Deſcriptione Orae Malabaricae et Ceylonis p. 449.

Pag. 138. l. 24. *Cui litera trina.* Nempe ΦΡΗ eſt nomen trium literarum. Obſerva haec *Sanchoniathonis* apud *Euſebium* Praepar. Lib. 1 cap. x p. 25 edit. Graec. Rob. Steph. [39]: Ὧν εἷς ἦν Ἴσιρις τῶν τριῶν γραμμάτων εὑρετής. Videtur utique per *tres literas* intellexiſſe nomen triliterum ΦΡΗ. Et ſic nomen Dei ſanctiſſimum Hebraïcum יהוה, ſolet appellari τετραγράμματον, *quadriliterum.* Ita nomen ſolis ΦΡΗ, quod Aegyptiis ſacroſanctum omnino nomen erat, a ſapientibus eorum vocari potuit τριγράμματον, *nomen triliterum*, ad quod hic digitus intenditur. Sed quid hoc ſibi vult, *Iſiridem fuiſſe inventorem trium literarum, vel nominis triliteri?* Certe *Oſiris* id ipſum ſignificat, quod *tres literae* deſignant, nempe ΦΡΗ, *Solem.* Verum re hac tamen accuratius expenſa, ſententiam nunc muto.

Pag. 141. l. 22. *Quinque mundorum.* Vide eumdem [*Plutarchum*] libro eodem [de Oraculorum defectu] p. 422, et inprimis pag. eadem lit. F., 423. A., 426. F., 427. A., F., 428. A., 430. B.

Pag. 144. l. 3. In fabulis de Oſiride ſacerdotum allegoricis illa vel primum locum meretur, quod fingeretur mortuus eſſe, et renaſci. Videndum, an non hac in re ipſi conveniat, cum *Bramma*, magno Indorum Numine. De eo enim Brachmanes fingunt, *quod moriatur quotannis et in vitam quoque toties redeat.* *Baldaeus* in Deſcriptione peninſulae Indicae et Ceylonis Inſulae p. 438. b. Idem tamen de eodem p. 559. a. ſcribit: *Dasz er nach verlauff*

vie-

vieler jahre ſterbe, und hernach wieder lebendig werde.

Pag. 149. l. 21. Obſerva, *pluviam* Coptis dici etiam ⲙⲱⲩⲥ, Levit. xxvi. 3, Deut. xi. 14. Eſſet proinde ⲙⲱⲩⲥ ⲥⲣⲥ, Oſi-iri, *pluviae auctor*, vel *pluviae largitor.*

Pag. 156. l. 5. *Poſt exitum Israëlitarum ex Aegypto an.* 320. Calculus hic mirifice confirmatur ex *Leonis* Libro *de Diis Aegyptiis* apud *Clementem Alexandr.* Lib. I Stromat. p. 322 [382]. Ait enim *Leo*, *Iſidem fuiſſe tempore Lyncei undecima generatione poſt Moſen.* Si enim, quod veteribus familiare eſt, generationem accipias pro annis 30, *undecim generationes* conficient annos 330. Si igitur Iſis poſt Moſen vixit generatione undecima, vixit anno poſt eum circiter 320. Operae autem pretium eſt, apud *Clementem* etiam conſiderare antecedentia. Quando autem dicitur, *Iſidem fuiſſe tempore Lyncei*, nihil aliud niſi hoc innuitur, tempore Lyncei, Aegyptios Lunam coluiſſe ſub nomine ſymbolico *Iſidis*, quod utique tum factum eſt, cum Sol nomine *Oſiridis* populis propoſitus fuit adorandus. Verumque hoc factum eſt eo tempore, quo annus Aegyptiorum, additione 5 dierum ἐπαγομένων, ſuum accepit complementum, et Theologia Aegyptiorum antiqua mythica conſtituta fuit.

Pag. 157. l. 21 ſqq. *Artemidorus* Lib. II cap. 13, Δράκων ὁρώμενος — χρόνου σημαίνει — διὰ τὸ ἀποδιδύσκεσθαι τὸ γῆρας, καὶ πάλιν νεάζειν· τὸ γὰρ αὐτὸ καὶ τῷ χρόνῳ συμβέβηκε, κατὰ τὰς τοῦ ἔτους ὥρας, γηρᾶν τε καὶ νεάζειν. Vide et *Macrobium* Saturn. Lib. I cap. 20.

Pag. 158. l. 6. *Anticlidem. Plinius* Lib. VII cap. 56: *Anticlides in Aegypto inveniſſe* literas *quendam nomine Menona tradit* XV *annis ante Phoroneum an-*

tiquiſſimum Graeciae regem. Ἀντικλείδης ἐν δευτέρῳ περὶ Ἀλεξάνδρου laudatur *Diogeni Laërtio* Lib. VIII § 11, ubi vide notas virorum eruditorum, et inprimis *Fabricii* Biblioth. Graecam Vol. II p. 209. Eumdem *Anticlidis* librum laudare videtur *Plutarchus* in vita Alexandri Magni p. 691. A. Citat quoque *Anticlidem Plutarchus* de Iſid. et Oſir. p. 651 edit. Graec. Steph. Adde *Gerh. Ioh. Voſſium* de Hiſtor. Graecis Lib. III p. 160 [tom. IV Op.]. Apud *Plutarchum* in vita Niciae p. 539. B., memoratur Αὐτοκλείδης ἐν ἐξηγητικοῖς, ubi non dubito quin legendum ſit Ἀντικλείδης, quod et viſum *Valeſio*. Vide notas interpretis *Plutarchi* Gallici in loc. cit. Tom. V p. 67, num. 55.

Pag. 159. l. 5. Ad illuſtranda *Porphyrii* verba, κατὰ Ζώδιον μεταςχηματιζόμενον, appoſitus eſt locus *Martiani Capellae* Lib. I p. 20, in quo de ſole ait: *licet duodecim nonnullis formas* (nempe in Zodiaco) convertere crederetur.

Pag. 160. l. 23. Ἀμοῦν, *Amun, quam vocem Graeci ad terminationem*, cet. Ita vocantur etiam Monachi quidam, nomine Divinitatis illius, uti moris erat Aegyptiis, inſigniti. Talis eſt *Abbas Amun* in monte Nitriae, in Apophthegm. Patrum, apud *Cotelerium* Monument. Eccleſ. Graec. Tom. I p. 351. Adde p. 392, 393.

Pag. 162. in nota †. Pro *Bibliotheca regia* legendum, *in Bibliotheca Abbatiae S. Germani a Pratis.*

Pag. 165. l. 14. *Tempore etiamnum Theodoſii Iunioris.* Item tempore Iuſtiniani. Vide locum memorabilem in *Procopii* Lib. I Perſicorum p. 33 edit. Graecae Hoeſchel.

Pag. 166. l. 30. *Fabulam hanc Aegyptiorum ſymbolicam.* Fabula haeç originem ſuam Aegyptiacam facile prodit. Examuſſim enim convenit doctri-

nae

nae ipſorum Theologicae, de duobus hemiſphaeriis, et ſole in hemiſphaerio inferiori veluti vincto, pedibusque aegro, (vid. p. 173—176, 268, 269,) de Sole tum temporis dormiente p. 71, quin imo inviſibili, p. 237, 238, aut victo et in languorem dato, p. 197, 198, 199, et vero ubi hemiſphaerium ſuperius attigit, omnem ſuam vim, virtutem, poteſtatemque recipiente, ſemperque ad Solſtitium usque aeſtivum augente. Hoc ſignificat fabula de ariete per ſex menſes hybernales ſiniſtro lateri incubante, et per ſex alios ſupra dextrum latus. Tales fabulae deprehenduntur etiam in Theologia Brachmanum. Vide *Rogerii* Portam apertam Lib. II cap. III p. 162, 163 edit. Gallic.

Pag. 170. l. 4. *Per deſerta Libyae.* Per Libyam ſymbolice deſignatur hemiſphaerium inferius, in quo Sol moratur tempore hyemali. Vide p. 197, 199, 200, et quae illic notavi.

Pag. 171. l. 21. *Humiditatis copia.* Ver aquoſum. Vide *Senecae* Natur. Quaeſtiones Lib. V cap. IX.

Pag. 171. in nota (**). Cum his facit e recentioribus *Mailletus*, Deſcription de l'Egypte, Part. I p. m. 63.

Pag. 173. l. 25 et 30. Ἐρημίᾳ διέτριβεν, *in ſolitudine vixiſſe.* Lege omnino ἡρεμίᾳ, id eſt, *quiete.* Ἡρεμία manifeſto opponitur *motui pedum*, ſive *greſſui*, unde poſtea Iſis Iovi ἀρτίποδα τὴν πέρειαν παρέσχεν. Verte, *quieti ſe dediſſe.* Sic idem *Plutarchus* de bono Perſarum Deo p. 370, τὸν δὲ ταῦτα μηχανησάμενον θεὸν ἡρεμεῖν καὶ ἀναπαύεσθαι χρόνῳ.

Pag. 175. l. 19. *Ignotum eſſe non poteſt.* Hinc *Lucretius* de rerum natura Lib. V vſ. 682 ſqq.

Aut quia Sol idem ſub terras atque ſuperne
Imparibus currens anfractibus, aetheris oras
Partit, et in partes non aequas dividit orbem, rel.

Pag. 182. l. 28. *Nam ex noſtra hodierna literas illas et vocales*, cet. *Sixtinus Amama* in Antibarbaro Biblico p. m. 538: *Quis neſcit, in deducendis ab una linguâ in aliam vocibus, nullam pene haberi vocalium rationem, utpote quae promiſcue invicem nullo negotio permutentur, ſed duntaxat conſonantium, quae ſunt magis conſtantes et immutabiles?* Vide et *Grotium* Lib. I, de verit. Relig. Chriſt. § 16 p. 65 edit. Clerici, *Cleyton* Introduction à l'Hiſtoire des Juifs, p. 299. Scribit *Tournefort* Voyage de Levant Tom. II p. 199: *La pluspart des Grecs prononcent le* T *comme un* S, *de* Tens *on a fait* Sens.

Pag. 183. l. ult. Hinc idem *Manilius* Aſtronom. Lib. III vſ. 229.

Vix finit luces *Cancer*, *vix* bruma reducit:

et eodem Libro vſ. 325, ex correctione Bentleii:

Dum ſex ſubmerſis vectatur Phoebus in Aſtris,
Sideribus donec totidem, quot menſibus actis,
Ceſſerat unde, redit geminasque aſcendit ad Arctos,
Adducitque ſimul luces, tenebrasque relinquit.

Libro IV de Capricorno vſ. 252, ex emendatione Bentleii:

Addis et in veſtes ſtudium, mercemque fugacem
Frigore, brumalem ſervans per ſaecula ſortem,
Qua retrahis ductas ſumma ad faſtigia noctes,
Naſcentemque foves revocatis lucibus annum.

Iungatur *Lucretius* Lib. V de rerum nat. vſ. 700:

Pro-

Propterea noctes hiberno tempore longae
Ceſſant, dum veniat radiatum inſigne diei.

Pag. 197. l. 7. Εἰς Λιβύην. Symbolice deſignatur hemiſphaerium Auſtrale. Vide p. 199, 200, et quae ibi notantur.

Pag. 197. l. 15. Huc ſine dubio ſpectant et illa *Macrobii* Saturnal. Lib. 1 cap. 20, de Hercule Aegyptiorum: *Ipſe creditur et gigantes interemiſſe, cum coelo propugnaret, quaſi virtus Deorum.*

Pag. 198. l. 10. *Quid hic ſibi volunt coturnices.* Expendi tamen meretur obſervatio *Bocharti* in Hierozoici Part. II col. 99, etſi Proverbium Graecum illic allatum ex depravata *Athenaei* lectione ortum trahere potuerit.

Pag. 199. l. 4. *Orygis ſacrificio.* Oryx videtur fuiſſe ſymbolum Typhonis. Sacrificium itaque illius, inimici ſui implacabilis, Herculi non poterat non eſſe gratiſſimum.

Pag. 199. l. 17. *Libybus.* Vide pag. ſeq. et quae ibi notavi. Spectare ad eam rem videtur fabula, ſed valde corrupta, quam *Apollodorus* adfert Lib. 1 cap. VI § 3.

Pag. 200. l. 2. *In haemiſphaerio auſtrali.* Hoc per *Libyas* deſignatur, uti etiam in his *Virgilii* Lib. 1 Georg. 238.

——— ——— *via ſecta per ambas,*
Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.
Mundus ut ad Scythiam, Riphaeasque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyae *devexus in* Auſtros.

ad quae poſtrema Poëtae verba, haec commentatur *Servius:* Libyae devexus in Auſtros, *quoniam Notius circulus totus infra terram eſt, et premitur, quaſi deprimitur.*

Pag. 203. l. 3. Pag. 709. Adde eumdem p. 642, 672.

Pag. 203. in nota **. Adiungantur Apophthegmata Patrum, in *Cotelerii* Monum. Tom. I p. 643 ac ſeqq.

Pag. 216. l. 16. *In Horo vigorem Solis virilem.* Aliquo modo huc faciunt illa *Ovidii* Lib. XV Metam. 206.

Tranſit in Aeſtatem, poſt Ver, robuſtior annus:
Fitque valens iuvenis, neque enim robuſtior aetas
Vlla, nec uberior: nec, quae magis aeſtuet, ulla eſt.

Pag. 220. l. 19. *Lucretius* de rerum natura Lib. V vſ. 660.

Aut quia conveniunt ignes, et ſemina multa,
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quae faciunt Solis *ſemper* nova lumina gigni.

Seneca Tragicus in Hippolyto vſ. 285.

Quaeque naſcentem *videt ora* Solem,
Quaeque ad Heſperias iacet ora metas.

Pag. 222. l. 24. *Equidem* ΟΥΡΟ, cet. Haec non amplius ſunt verba *Salmaſii.*

Pag. 223. l. 7. *Lacrozio.* Poſt mortem *B. La Crozii*, vidi ſchedam quamdam eius manu conſcriptam, et ab illuſtri *Iordano* mecum communicatam, ex qua intellexi, fuiſſe, cum vir doctiſſimus *Horum* interpretaretur ΟΧΡΗ, *Vre*, id eſt, *Solem.* Verum libenter fateor, mihi originationem iſthanc minime probari.

Pag. 239. in nota l. 7. Σίλουρον. Sic vice verſa apud *Antoninum Liberalem* Fab. XXVIII vitioſe legi

gitur σίλουρον, cum ſcribendum fuiſſet αἴλουρον. Vide notas *Berkelii*, et *Bocharti* Hieroz. Part. II col. 63.

Pag. 243. in nota. In *Montefalconii* Antiq. Expl. Tom. II Tab. CXXIII et Tab. CXXIV conſpiciuntur imagines Harpocratis Graecorum.

Pag. 251. in nota *. *Dodwellus* in diſſertatione Anglice ſcripta de Sanchoniathone p. 88, 89.

Pag. 254. l. 9 ſqq. Nimium, cum haec ſcriberem, in veram Theologiam intentus, quaedam in his tribui Gnoſticis, quae pro ſuis utique agnituri non eſſent. Haec, ſi forte nova Panthei editio procurari poſſet, omnino erunt corrigenda.

Pag. 254. l. 28, 29. *Solis in ſolſtitio hyberno denuo exorti*, cet., quia ex tenebris hemiſphaerii inferi ad lucem huius noſtri hemiſphaerii redierat. Sic de Hercule ex inferno iam reduce Amphitryon ait apud *Senecam* in Hercule Furente vſ. 621.

Eſtne ille natus? membra laetitia ſtupent.
O gnate! certa et ſera Thebarum ſalus!

Feſtum etiam Brachmanes in India concelebrant, quo die nempe Sol ex hemiſphaerio auſtrali ad boreale contendere incipit. Vide *Rogerii* Portam apertam Lib. II cap. XII extr. Adde cap. XIII, ubi videtur ſcribenti error aliquis obrepſiſſe, quod lectori cuique ſatis patebit.

Pag. 259. l. ult., 260. l. 1. *Flori Loti inſidens, ſculpi*, rel. Fabulam hanc Myſticam, de Harpocrate Loto inſidente, tempore iam antiquiſſimo, a ſacerdotibus in Aegypto tradi conſueviſſe, ex eo etiam non parum fit veroſimile, quia illius veſtigia ſatis luculenta in Theologia Brachmanum Indorum deprehendo. In India naſcitur aliqua ſpecies flori Loti, quam deſcribit *Petrus della Valle*, in Itine-

rarii Tom. IV p. 358. Flos enim, qui ibi deſcribitur, per omnia convenit Loto Aegyptiorum, quem quidam reperiri hodie poſſe negant. De illo autem flore Indico, haec refert auctor laudatus loc. cit. *Les Indiens les appellent . . . . . & ils racontent dans une fable de leur Brahma, qu'il a pris naiſſance d'une de ces fleurs.* Quae ibi adduntur, ſunt additamenta Brachmanum, et recentiora, ut auguror. Adde omnino *Ab. Rogerii* Portam apertam Lib. II cap. I p. 141 edit. Gallic.

Pag. 259. l. 21. [*Audiamus Geminum.* Vide tamen etiam, quomodo auctor idem hoc ipſum limitet et explicet, p. 3, 4, 5. *Lucretius* Lib. V de rerum natura vſ. 700 ſcribit:

Propterea noctes hiberno tempore longae
Ceſſant, dum veniat radiatum inſigne diei.

Pag. 277. l. 24. Μένδητα κ. λ. Ita verſus hi ſcripti reperiuntur apud *Bochartum* loc. cit.; ſed videndus *Strabo* ipſe p. 551 [1174].

Pag. 278. l. 5. *Cornu vocat*, cet. Et *Ovidius* Metam. Lib. IX. 773, *ſeptem digeſtum in cornua Nilum.*

Pag. 280. in nota *. Similes figuras idem [*R. Pocockius*] obſervavit in ſepulchris regum Thebaeis, p. 98, 99.

Pag. 281. l. 32. Confer hic *Columellam* de re ruſtica Lib. VII cap. VI § 3.

Pag. 284. l. 22. *Virgilius.* Idem Lib. II Georg. vſ. 10.

Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipſae
Sponte ſua veniunt.

Et maxime hic appoſite eod. Libro vſ. 47.

Spon-

Sponte ſua quae ſe tollunt in luminis auras - - l
Infoecunda quidem, ſed laeta et fortia ſurgunt.
Quippe ſolo natura ſubeſt.

Pag. 285. l. 27. De hac Brachmanum Indorum Theologia vide etiam *Baldaei* Deſcriptionem Indiae et Ceylonis p. 435 et ſeqq.

Pag. 289. in nota ***. *Lucianus.* Adde eiusdem Dialog. Mortuor. Tom. I p. 292.

Pag. 292. l. 21: *Iſis ſiſtro, Harpocrates flagro.* Iſidi tamen etiam flagrum tribuere videtur *Horatius* Carmin. Lib. III Od. XXVI.

O quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphim carentem Sithonia nive
Regina, ſublimi flagello
Tange Chloën ſemel, arrogantem.

Pag. 296. l. 14. *Graeci Esmunum.* Videtur huc referendus eſſe ſapiens quidam inter Phoenices, tempore Hirami regis Tyri, et Salomonis Iudaeorum, quem vocant *Abdemonem. Menandro* et *Dio*, Phoenicum hiſtoricis, apud *Ioſephum* Antiq. Lib. VIII cap. V p. 434, audit Ἀβδήμωυ, ubi Codex aliquis MS. Gallicus habet Ἀβδήμουνος. Hanc eſſe veriorem lectionem patet ex eiusdem *Ioſephi* Lib. I contra Apion. p. 448, ubi ſapiens ex *Dii* hiſtoricis vocatur Ἀβδήμονος. Atque ibi rurſus Codex MS. Hafnienſis legit Ἀβδήμουνος. Credo verum huius viri ſapientis nomen ſcriptum fuiſſe Ἀβδέσμουνος, id eſt, עבד השמוני, qualia nomina in Phoenicum hiſtoria ſaepe occurrunt. Nomen hoc, librariis ignotum, a plerisque vitioſe deſcriptum videtur. — In loco *Damaſcii* inter voces ἐγένουτο παῖδες ſupplendum ἑπτὰ; et pro Παιᾶνα malim legere Πᾶνα.

Pag. 296. in nota *. Phoenicum ſacra ab Aegyptiis, coloniae ſobolisque inſtar, propagata eſſe, non ignorabat Pythagoras, teſte *Iamblicho* in eius Vita, cap. III p. 11.

Pag. 297. l. 22. *Premere malo, donec*, rel. Adſcripſi ea ad pag. antecedentem.

Pag. 297. l. 28. *Pag. 37 fin.* Adde his, quae ibidem ſequuntur p. 39. c.: Οἱ ἑπτὰ Σύδεκ παῖδες Κάβειροι, καὶ ὄγδοος αὐτῶν ἀδελφὸς, Ἀσκληπιός.

Pag. 300. l. penult. *Nomen octavi.* De eadem re diſputatur etiam in Prolegomenis § XXVI p. LXII, ubi et conſuli poſſunt Curae ſecundae MSS.

Pag. 301. in not. **. Auctoribus hic citatis poteſt addi ſcriptor aliquis Anonymus, allatus a *Salmaſio* de Annis Climacter. p. 595, 596.

Pag. 302. l. 17. *Selino M. P.* XVI. *Weſſelingius* ſatis probabiliter coniicit, urbem illam dictam fuiſſe ab *apio*. Id enim Graece σέλινον dicitur. Verum quid ſi hic lateat vox Σελήνης, id eſt, Lunae, quod Graeci, praecipue recentiores, pronuntiare ſolebant *Selinen*, aut *Selinin*. Et obſervatu indignum non eſt, ſtatuam Panis Panopolitani flagrum intentaſſe τῇ Σελήνῃ. Vide hic ſupra p. 291.

Pag. 302. l. 21. *Diodoro dicitur Vicus Antaei.* Scribit *Diodorus* p. 18 [lib. I cap. 21, ubi Clar. *Weſſelingius* notavit, et in contextum recepit Ἀνταίου κώμης]: Γενέσθαι δὲ τὴν μάχην παρὰ τὸν ποταμὸν, πλησίον τῆς νῦν Ἀνταίας κώμης (lege Ἀνταίου κώμης) καλουμένης· ἣν κεῖσθαι μὲν λέγουσιν ἐν τῷ κατὰ τὴν Ἀραβίαν μέρει, τὴν προσηγορίαν δ' ἔχειν ἀπὸ τοῦ κολασθέντος ὑφ' Ἡρακλέους Ἀνταίου, τοῦ κατὰ τὴν Ὀσίριδος ἡλικίαν γενομένου.

Pag. 303. l. 4. *Tingi etiam*, cet. Antaei tamen domicilium in alia Africae parte locare videtur *Lucanus* Pharſal. Lib. IV vſ. 589 ſqq.

PARS SECVNDA.

Pag. 7. l. 3 ſqq. *Iſidis* cum *Oſiride* connubium celebrat tota Aegyptiorum Theologia et Mythologia. Haec idea eſt permultis gentibus et olim et hodie communis et familiaris. De Incolis regni Congo in Africa haec obſervat *Petrus à Broeck* (dans le Recueil des Voyages aux Indes Orientales Tom. VII p. 409): *Les uns adorent le Soleil & le croient le Mari de la Lune; d'autres adorent la Lune, comme la Femme du Soleil.*

Pag. 15. l. 7. Poſt verbum *didiciſſe.* Sic et *Vlpianus* in Demoſthenis Philippicam primam p. 35 edit. Graecae Pariſ.

Pag. 19. l. 13. *Loquuntur etiam Graeci.* Auctor Sibyllinorum Lib. II p. 119 edit. Pariſ. Opſopaei:

——— ——— Ἐπὶ χθονὶ μητέρι λαῶν.

Pag. 20. l. 10. Τὴν σεληνιακὴν σφαῖραν κ. λ. Ita et *Orpheus* apud *Proclum* Lib. III in Timaeum p. 154, et Lib. IV p. 283. Ex *Proclo* locum eumdem adduxit *H. Stephanus* in Poëſi Philoſoph. p. 91. Obſervandus quoque locus *Plutarchi* in Theſeo, uti eum explicat *A. Dacerius*, in notis Gallicis ad eum locum Tom. I p. 83, not. 166. Sed conf. hic omnino *Plutarchum* de defectu Oraculorum p. 416. E., ubi Luna dicitur μικτὸν σῶμα καὶ μίμημα δαιμόνιον, ab aliis appellata ἄϛρον γεῶδες, terrenum aſtrum, ab aliis ὀλύμπια γῆ, terra coeleſtis, ab aliis χθόνια ὁμοῦ καὶ οὐράνια κλῆρος Ἐκά-

Ἑκάτης, Hecatis ſors terreſtris ſimul et coeleſtis.

Pag. 20. in nota ***. Conferatur *Cudworth* in the true Intellectual Syſteme p. 13.

Pag. 43. l. 15. *Nova Luna concurreret.* Et hic affinitas inter conſuetudines ſacerdotum Aegypti, Indorumque Brachmanas apparet. Hi enim annum ſuum auſpicantur a Novilunio in Aprilem menſem incidente. *Rogerius* in Porta aperta Lib. I cap. XV init.

Pag. 65. in nota ***. Adde *Fr. Burmannum* Fil., erüditionis pereximiae laude inter Theologos Belgicos nemini ſecundum, in Harmonia Euangelica p. 104, 105.

Pag. 70. l. 5. Iuno haec, cui victimis humanis litabatur, erat re ipſa Aegyptiorum *Ilithyia* vel *Bubaſtis*, unde eamdem alii *Dianam* appellant, quod in ſequentibus oſtenditur. *Athanaſius* eam etiam, uti hic ex *Manethone Porphyrius*, Ἥραν, *Iunonem*, vocat, in Orat. contra gentes p. 21. c. edit. Commelini.

Pag. 75. l. 25. *Mihi fuiſſe videntur Arabes.* In cogitationes hiſce meis aliqua ratione ſimiles incidit etiam *Richardus Cumberlandius* in obſervationibus ad Sanchoniathonis Hiſtoriam Phoenicicam p. 190 edit. German. Sed ille genti Phoenicum tribuit, quae ego de Arabibus obſervari volui.

Pag. 76. l. 26. *Morem iſtum etiamnum viguiſſe.* An huc etiam referre licet, quod, regnante Chalipha Raſcido, Haranitae Manichaei humanum caput ſacrificantes deprehenſi fuerint, ut ſcribunt quidam Orientales apud *Aſſemanum* Biblioth. Oriental. Vol. IV p. 612, 613, ubi obſerves, Manichaeos Haranitas dici Sabaeos, p. 614. Vide et *Evagrium* Lib. VI Hiſt. Eccleſ. cap. 22.

Pag.

Pag. 78. l. 13. *Referebatur ad Lunam.* Rationem huius rei adfert etiam *Phurnutus* [*Cornutus*] de Nat. Deor. cap. 34 p. 233.

Pag. 100. l. 23. *Ab aliis etiam vocatur*, rel. Vide Lib. I cap. I § 13, ibique not. *.

Pag. 103. l. 2. *Oceanum Sidera paſcere.* Confer hic notas ad *Abr. Rogerii* Portam apertam Lib. II cap. 5 p. 283 edit. Gallicae.

Pag. 111. l. 24 ſqq. *Diem certe, qua primum conſpiciebatur — bonum imperfectum.* Doctrina haec veterum, ac ſigillatim Aegyptiorum, de bonitate dierum a phaſibus Lunae repetenda, videtur non parum illuſtrari poſſe ex praeceptis Brachmanum, de quibus conſuli poteſt *Abr. Rogerii* Porta aperta Lib. II cap. 14 p. 75 edit. Gallicae.

Pag. 132. l. 2, 3. *Planetae unicuique apud Aegyptios tria*, cet. Obſerva, quod ex *Th. Hydii* Libro de Relig. Vet. Perſarum p. 63 diſco, idem aliis Orientis populis in uſu quoque fuiſſe; idque meam coniecturam non leviter firmat.

Pag. 140. l. 15. *Poëta*, rel. Verba haec *Propertii* ſunt notiſſima, et a multis citari ſolent. Eleganter ea illuſtrari poſſunt ex *Plinii* Panegyrico cap. 30, 31; cuius locum debeo indicio Gottingenſium in Relationum ſuarum Faſcic. III p. 266.

Pag. 152. l. 27. Βυβλίνων ὀρῶν. Significatur his verbis, Nilum prodire ex montibus, iunco et byblo frequenti tectis. Et hoc recentiorum temporum experientia confirmat. In Relatione itinerarii ſui Aethiopici (quae legitur dans le IV Recueil des *Lettres édifiantes*) *Carolus Poncetus* haec habet p. 109, 110: *Il y a dans le royaume de* Goyame *une montagne fort elevée, en haut de laquelle ſont deux groſſes ſources d'eau, l'une à l'orient, l'autre à l'occident. Ces deux ſources forment deux ruiſſeaux, qui ſe precipitent avec une grande impetuoſi-*

ſité vers le milieu de la montagne dans une terre ſpongieuſe & tremblente, qui eſt couverté de cannes & de joncs.

Pag. 161. l. 13. *Adſpiratione.* Legendum *adſpirationis gradu.*

Pag. 162. l. 12. *In regno Goiam*, cet. Confer cum his, quae ex *Caroli Ponceti* Itinerario notavi ad p. 152.

Pag. 165. in nota ***. Adde hic *Plutarchum*, ex *Dinone* idem referentem, et cuius verba expendi merentur, in Vita Alexandri Magni p. 1259 edit. Stephani.

Pag. 179. in nota ††. *Dio Caſſius*, Lib. LI p. 520 edit. Steph. [647] narrat, noluiſſe Auguſtum adire Apim, atque ſignificaſſe, adorare ſe Deos, non boves.

Pag. 185. l. 8. *Aelianus de Anim.* rel. Subeſtne hic myſtici quidpiam? Voluitne *Aelianus* id dicere quod p. 224 explicuimus, aſ ſibi minus intellectum?

Pag. 189. l. 21. Συμβόλοις. Scholiaſtes *Pindari* in Olymp. XII p. 109 edit. Pauli Steph.: Φιλόχορος δὲ τὰς ἐκ φήμης μαντείας, τουτέστι κληδόνας, καὶ πταρμοὺς, ἢ φωνὰς, ἢ φήμας, ἢ ἀπαντήσεις σύμβολα φησὶ λέγεσθαι, etc.

Pag. 196. l. 6. *Ex B. la Crozio.* Idem obſervavit etiam *Thomas Eduardus*, Anglus, in Commercio Epiſtolico cum *Ludovico Picqueſio*, quod *Winckelerus* Hildeſienſis edidit, p. 289.

Pag. 213. l. 20. Confer hic *Perizonii* Origines Aegypt. p. 54, 55.

Pag. 213. l. 27. *Vtrumque pro lubitu.* Exemplum ex eo cape inprimis memorabile, quod *Ioſephus*, qui libros *Manethonis* diligenter et accurate legerat, de eo obſervet, quod Amenophi, (qui ipſi eſt in ordine eorum, qui hocce nomen geſſerunt, quartus,)

tus,) ſuppoſito quippe et fictitio annos regni certos nullos attribuerit, cum tamen aliorum regum annos ſemper annotaverit, Lib 1 adv. Apion. § 26 p. 460. Verum *Africanus* Amenophi huic annos regni aſſignavit viginti, *Euſebius* autem undecim. Vid. *Marshamus* in Canone Chronico p. 433. Et niſi uterque a *Manethone* tam inſigniter diſcreparet, qui fieri potuiſſet, ut a ſe invicem toties differrent?

Pag. 229. l. 29. *Hebraei, qui forte id menſ. g. ab Aegyptiis acceperunt.* Quod conceptis verbis affirmat *Heſychius*, Οἶφιν appellans μέτρον τι τετραχοίνικον Αἰγυπτίων. Dixi plura in MS. Collectione vocum Aegypt., quae vide [tom. 1 Opuſculorum p. 182, 183].

Pag. 249. l. 29. In Nilometrio tamen, quod hodie illic conſpicitur, apparet Inſcriptio Arabica, de qua haec legas in *Fourmontii* Deſcriptione Campeſtrium Mempheos et Heliopoleos, Gallice Pariſiis anno 1755 edita: *On y lit, que ce batiment fut elevé l'an de l'Hegire* 247, *de Jeſus Chriſt* 862. *Il n'eſt point fait mention du Prince, qui regnoit alors.* Id non videtur accipiendum eſſe de prima erectione Nilometrii illius, ſed de eius reſtauratione et exornatione. Confirmatur id ex *Elmacino* p. 151.

Pag. 276. l. 10. *Vel Deam.* Id tantum monendum praeterea erat, ſaltem in aliqua nota, Deam non dici πολιέα, ſed πολιάδα et πολιοῦχον, quod ultimum de Diis Deabusque pariter adhiberi poteſt. Frequentius de Diis poſitum fuit hoc epithetum. Minerva autem quoque vocatur πολιοῦχος ab *Ariſtophane* in Nubibus [vſ. 602, in Equit. vſ. 578, ibi Scholia, *Caſaubonus* et *Berglerus*].

PARS TERTIA.

Pag. 28. l. 18. *Sed in confiniis Aegypti.* Illuſtrari hoc ex eo poterit, quod Hadrianus Imperator Aegyptum peragraverit, omniaque viſu illic digna, et a Sacerdotibus continuo celebrari ſolita, curioſis oculis inſpexerit. Vide Memnonem meum Syntagm. III cap. II § 3, et cap. IV § 7 p. 92, 93.

Pag. 33. l. 28. Aurora de ſe ita loquitur apud *Ovidium* Metam. Lib. XIII vſ. 591.

Si tamen aſpicias, quantum tibi Foemina praeſtem,
Tum cum luce nova noctis confinia ſervo.

Pag. 35. l. 26. Spectant huc, quae apud *Varronem* leguntur de Lingua Lat. Lib. VI p. 78 edit. Dordr.: *Aurora dicitur ante Solis ortum, ab eo quod igne Solis tum aureo aër aureſcit.* Indorum Philoſophi, in Libro Legis ſuae, quem *Wedam* appellant, commemorant terram, quam vocant *terram auri*, vel *terram auream.* Vide Relationes Miſſionariorum Danicorum Contin. XLVI p. 1262, ubi haec additur nota: *Daſelbſt gehet die Sonne auff, und ſcheinet daher gülden oder roth in ihren auffgang.*

Pag. 84. l. 32. *Ventum, ſed minus benignum.* De ventorum in Aegypto indole ac ratione vide et *Pocock'es* Obſervations on Aegypt, p. 195, 196.

Pag. 91. l. 15. Ventos terreſtres noctu vim maxime exſerere, praeſertim tempore Plenilunii, de interlunio, ſive coitu ſolis et lunae, quo neque luna vetus apparet, neque etiam nova conſpicitur, quia ra-

radiis ſolis ſuperne illuſtratur, etſi non ab ea parte, quae noſtris apparet oculis, affirmant alii veteres. Hinc explicandus *Horatius* Lib. I Carminum Od. XXV. 11.

Thracio bacchante magis ſub interlunia vento.

Vide ibidem Scholiaſten veterem p. 57. Scribit ſimiliter *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. XVI cap. 30: *Inter omnes convenit, utiliſſime in coitu Lunae ſterni, quem diem alii interlunii, alii ſilentis Lunae appellant.* Conf. le Voyage de *Dampier* Tom. II p. 110, 112, qui idem illud, quod dixi de tempore Plenilunii, de Typhonibus obſervat Tom. III p. 43.

Pag. 91. l. 22. *Aegyptum a Libya. Herodotus* Lib. III cap. 26. Addatur *Sulpicius Severus* in Dialogis p. 514, 515.

Pag. 92. l. 9. *Ventum* קדים. Vide *Io. Clericum* ad Geneſ. XLI. 6, ubi et laudat *Bocharti* Hieroz. Part. II Lib. I cap. XV. Adde eumdem *Clericum* ad Numer. XI. 1, 2, et *Schultenſium* in Iobum cap. XXVII. 21, Tom. II p. 757.

Pag. 92. l. 16. *Tempore illo, quod a Paſchatis — Pentecoſten.* Deſignatur hiſce verbis fere Maius menſis, aut medium veris. Confer hic *Panthei* Part. I p. 209, *Thevenot* Part. II p. 489: *Il s'éleva une tempête de ſable, de la même manière qu'il en fait quelques fois en Arabie & en Egypte, principalement au Printems: elle étoit excitée par un vent du midi fort chaud*, etc. Illud igitur tempus videtur fuiſſe Typhonis regnum, quod XVIII fere dies durare a veteribus Aegyptiis creditum. Vide hanc Part. III p. 63. Eo ſpectat fabula Sacerdotalis apud *Plutarchum* de Iſide p. 365: *Apopin Solis fratrem bellum moviſſe adverſus Iovem.* Iupi-

ter enim Aegyptiace *Amun*, Sol est ventus, ut suo loco probavimus.

Pag. 92. l. 27. *Vulturnum.* Vide de hoc vento *Livium* Lib. XXII cap. 46, cum quo operae pretium erit conferre *Polybium* Lib. III cap. 113. p. 367. et praesertim *Plutarchum* in Fabio Maximo p. 332 fin. edit. Steph. Adde Scriptoris huius versionem Gallicam Dacerianam Tom. II p. 336, et notas interpretis.

Pag. 93. in nota ***. Vide et eumdem Part. II pag. 489 & suiv.

Pag. 94. l. 10. *Samiel.* Adde hic *Prideaux* Histoire des Juifs Tom. I p. 43. Est autem operae pretium, de eodem vento legere les Voyages de *Tavernier*, Tom. I p. 763 & suiv.

Pag. 96. l. 12. סוּפָה *Supha.* Expendenda, quae de hac voce observare nosque docere voluit *Iacobus Kochius*, in dem beleuchteten Hiob, ad cap. XXI. 18, p. 343, et ad XXVII. 20, p. 464, 465. Possunt et videri, quae hic in secundis curis a me annotata sunt ad p. 118.

Pag. 98. l. 14. *Adversus Iovem.* In hoc *Plutarchi* loco *Iupiter*, id est, *Amun*, secundum Aegyptios, designat *solem vernum.* Vide notata ad p. 92.

Pag. 101. l. ult. *Precationes*, cet. Id ipsum significatur fabula aliqua Brachmanum sacra, quam vide in *A. Rogerii* Porta aperta Lib. I Cap. 16 p. 97 edit. Gallicae.

Pag. 102. in margine. Pro *Seth* legendum *Bebon* vel *Babys.*

Pag. 103. in nota *. Vide et *Ovidium* Lib. VI Metam. vs. 697 sqq.

Pag. 118. l. 13. *Ad sterilitatem huius suae uxoris.* Si vera esset, remque acu tetigisset, coniectura *Iacobi Kochii*, qui terram, quam mare rubrum alluit, dici apud Iobum censet סוּפָה, ad Iobi XXVII. 20, p. 464,

p. 464, 465, et omnino adde p. 343, itemque 752, ex eo ſententiae, quam hic propoſui, robur novum et inſigne accederet. Sic enim pateret, oram illam Aegypti ſterilem, quae ad mare rubrum ſita eſt, olim dictam fuiſſe טוֹפֶת, id eſt, *Typhoniam*. Vnde fieri facile potuit, ut ſucceſſu temporis ſacerdotes, qui res naturales fabulis involvere conſueverant, oram eamdem nuncuparent *uxorem Typhonis*, in quam nempe is agit.

Pag. 122. l. 23. *Meridionalis.* Obſerva hic, Manichaeos luci aſſignaſſe partes Orientales, Occidentales, et Septentrionales, tenebris vero *Meridiem*. Ita *Simplicius* in *Epicteti* Enchiridion cap. XXXIV p. 149. Vide et *l'Hiſtoire de Manichée* par Mr. *de Beauſobre* Tom. II p. 298. — Vim pernicioſam venti meridionalis, etiam in finitima Libya, ſaepe veteres multis deſcribunt. Vide *Plutarchum* in Vita Alexandri, p. 1247 edit. Gr. Stephani.

Pag. 123. l. 26. *Adſcitis in coniurationem viris* LXXII. In ſequentibus hos LXXII coniuratos interpretor totidem ventos, quibus Typhon ceu ſociis et adiutoribus uſus fuerit. Tales etiam ſibi eſſe ad manum, apud *Ovidium* gloriatur Boreas, Metam. Lib. VI vſ. 693.

Idem ego, cum Fratres coelo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor,

Pag. 126. l. 4. *Septuaginta duas orbis habitati regiones.* In totidem partes LXXII videlicet, Aegyptios nonnunquam diviſiſſe etiam Coelum, docet *Iamblichus* de Myſter. Aegyptior. Sect. VIII cap. 3 p. 159.

Pag. 134. l. 19. *Conſimiliter Pindarus*, cet. Idem Pythion. Od. II initio Syracuſas dicit βαθυτολέμου τέμενος Ἄρεος, ubi Scholiaſtes p. 201, ὁ δὲ νοῦς

ὦ μεγαλοπόλιες Συράκουσαι, τοῦ μεγαλοπολέμου Ἄρεος τέμενος οὖσαι." Sic etiam *Ariſtides* in Eleuſinio, fol. 68. a. edit. Graec. Florent. Eleuſinem vocat κοινόν τι τῆς γῆς τέμενος.

Pag. 142. l. 10, 11. *Quod m. h. urbis — ad u. Canobum usque.* Comparetur cum his, quae dixi, *Ruinartus* in Actis ſinceris Martyrum p. 245.

Pag. 152. l. 15 ſqq. " *Hodie uſum illum ipſum*, rel. Fictiles enim hydriae eius generis etiamnum in Aegypto ad uſum eumdem adhibentur. Vide les Voyages de *Thevenot* Tom. I p. 832, la Relation de *Vansleb* p. 402, le troiſième Voyage de *Lucas* Part. I p. 352, les Nouveaux Mémoires des Miſſions Tom. VII p. 110, Tom. II p. 14, la Deſcription d'Egypte par *Maillet* Tom. I p. 21 fin., le Voyage de *Granger* p. 130, 131. Illas ipſas videtur deſignare voluiſſe illuſtriſſimus Princeps *Radzivilius* in hiſtoria Peregrinationis ſuae p. 152. — Non tantum argilla iſta invenitur prope urbem Canobum, ſed et praeterea in urbe Thebaidos, cui hodie nomen eſt *Cana*. Vide *Pauli Lucae* Itinerarium ultimum Tom. II p. 107.

Pag. 159. in nota ***. *Perizonius* Orig. Aeg. cap. V p. 65—71, 75 et illic ſequentia, item p. 78.

Pag. 166. l. 29. *Herculem.* Legendum *Mercurium.*

Pag. 169. l. 16 ſqq. Confer hic *H. Dodwell's* Diſcourſe concerning Sanchoniathon p. 93.

Pag. 172. l. 3. Θείων θεωρίαν καὶ θεάσει. Artis Theurgicae initia vidiſſe Aegyptum, mihi fit probabile. Certe ſatis cito inter Aegyptios innotuit. Vide hiſtoriam Theurgi Aegyptii Romam profecti, ibique cum Plotino contendentis, apud *Porphyrium* in vita Plotini cap. X, in *Fabricii* Biblioth. Graec. Vol. IV p. 111.

Pag. 172. l. 5, 6. Τῇ θείᾳ γνώσει καὶ ἐπιπνοίᾳ. Vox ἐπίπνοια frequenter apud Theologos Theurgicos occur-

currit. De Proclo in vita eius ait *Marinus* cap. XXIII p. 46: Οὐκ ἄνευ θείας ἐπιπνοίας ἐφαίνετο διαγίγνεσθαι, καὶ τὰ ταῖς (Iliad. Γ. 222) νιφάδεσσιν ὄντως ἐοικότα ῥήματα προχέειν τοῦ τῶν φρονοῦντος ἐκείνου στόματος, μαρμαρυγῆς γάρ τινος ἔδοκει τὰ ὄμματα αὐτοῦ πληροῦσθαι, καὶ τὸ ἄλλο πρόσωπον ἐλλάμψεως θείας μετέχειν.

Pag. 176. l. 10 *Columnis inciſum.* *Proclus* in Timaeum *Platonis* Lib. I p. 31: Ἐν στηλαῖς ἀπεγράφοντο τὰ παράδοξα, καὶ θαύματος ἄξια τῶν πραγμάτων, εἴτε ἐν πράξεσιν, εἴτε ἐν εὑρέσεσιν. Vide et p. 38.

Pag. 177. l. 10. Πετρώας βίβλους. Hoc eſt, quod *Martianus Capella*, p. 176 allatus, dixit *Aegyptiorum rupem.* Nam *rupes* illa et πετρῶαι βίβλοι, rem eamdem ſignificant.

Pag. 178. l. 24. *Terra Syringica.* Illam paulo accuratius deſignavi et deſcripſi in Syntagm. III de Memnone cap. II § 2, 3. De originatione vero nominis huius *terra Syringica* coniecturam meam ſuppeditavi hic p. 181.

Pag. 183. l. 16. *Nomen Armais.* Praeter ea, quae hic obſervo, adde etiam § 20 p. 189. In *Manethonis* Aegyptiacis, apud *Ioſephum* Lib. I adverſus Apion. p. 446, occurrit Ἄρμαϊς, et p. 447 alius iterum Ἄρμαϊς, quem Graeci nempe *Danaum* nuncupant. Sic et *Theophilus* adverſus Autolyc. Lib. III § 19 p. m. 348. Et hunc ipſum p. 460 videmus vocari Ἑρμαῖον, ubi Cod. MS. Hafnienſis habet Ἑρμᾶν. Quod quidem ea, quae dixi, egregie confirmat. *Diodorus* Lib. I p. 59 inter reges Aegypti numerat etiam Ἀρμαῖον, quod quidem nomen, demta terminatione Graeca, ab Ἄρμαϊς non differt. Vide et *Syncellum* p. 73.

Pag. 188. l. 2. *His, niſi fallor, conſcripti*, cet. De illis *Lud. Picqueſius* in Commercio Epiſtolico

cum *Thoma Eduardo*, quod *Winchlerus* edidit, p. 297: *Iohannes Greaves in deſcriptione ſecundae Pyramidis: in latere boreali obſervavit lineam characterum Sacerdotalium, qui non ad perpendiculum deſcendunt, ſed continuo lineam efficiunt, ſicut cum nos ſcribimus, et, ſi dici poteſt de characteribus ignoratis, pergunt a dextrà verſus ſiniſtram.*

Pag. 201. l. 24. *Ab eo nomen inditum.* Forte *Embes* Propheta, cuius in Theſauro Inſcriptionum Antiquarum *Gruteriano* p. CCCXIV n. 2. mentio occurrit, a *Beſa* nomen quoque ſuum habuit. Nam Ἐμ-βὴς, ΔΒΗC, ſignificat *Beſiacum*, vel *conſecratum Beſae* [conf. tom. 1 Opuſc. p. 430, 431].

PROLEGOMENA, *parti tertiae ſubnexa.*

Pag. XV. l. 6, 7. *Id enim apertam imitationem Abrahami — filium ſuum Ismaëlem.* Ismaëlem ſine dubio imitati ſunt Arabes, et, qui in circumcidendo eumdem plane ſervarunt modum, Aegyptii, quod loca a me citata docent. Res ex eo probabilior evadit, quod mater Ismaëlis *Hagar* oriunda fuerit ex Aegypto, Geneſ. XVI. 1, 3; XXI. 9, et quod eadem filio ſuo mulierem Aegyptiam in uxorem dederit, Geneſ. XXI. 21.

Pag. XXIX. l. 10. *At uti diverſi erant Aegyptiorum Graecorumque Dii.* Quaedam hic opponi poſſent. Sed quamvis initio inſignis aliquis inter Aegyptiorum et Graecorum Theologiam conſenſus concedi poteſt, tractu tamen temporis gentis utriusque Theo-

Theologia mutata et innovata fuit. Etiam *Phurnutus* [Cornutus] de Nat. Deor. cap. XVII, distinguit inter antiquam et recentiorem Graecorum Theologiam. Hinc igitur factum, quod *Athanasius* observat Oratione contra gentes p. 20 edit. Commelini: Καὶ τόγε θαυμαζὸν, ὅτι, ὡς οἱ ἐξηγούνται, παρ' Αἰγυπτίων οἱ Πελασγοὶ μαθόντες τὰ ὀνόματα τῶν θεῶν, οὐκ ἴσασιν οὗτοι τοὺς παρ' Αἰγυπτίων θεοὺς, ἀλλὰ ἄλλους παρ' ἐκείνους θρησκεύουσι, καὶ ὅλως πάντων τῶν ἐν εἰδώλοις μενόντων ἐθνῶν, διάφορός ἐστιν ἡ δόξα καὶ ἡ θρησκεία, καὶ οὐ τὰ αὐτὰ παρὰ τοῖς αὐτοῖς εὑρίσκεται. In animo habet *Herodoti* Lib. II cap. 52, 53.

Pag. XXIX. l. 14. Praeter Patres Ecclesiasticos, id etiam testantur *Isocrates* in Panegyrico p. m. 106, et *Aristides* in Eleusinio fol. 68.

Pag. XXIX. l. 28. *Eos non, sicuti Graeci, sentire, Deos*, cet. Quod aliunde quoque potest confirmari. Vide v. gr. *Epiphanii* Panarium p. 1094.

Pag. XXX. l. 11. *Quodam Leone patefacto.* De hoc *Leone* quaedam notavi ad *Clementem* meum *Alexandrinum* p. 19 edit. Graecae Florent. [vellem, ea potius hic adscripsisset *Iablonskius*].

Pag. XXXI. l. 30. *A Christianis quibusdam illo tempore.* Confer hic *Casauboni* Exercitat. I Sect. X p. 52 ac seqq., et *Ludovici de Four*, Abbatis *de Longuerue*, Dissertat. de tempore haereseos Montani (inter varias eius Dissertationes posthumas edita a *Wincklero*) p. 258.

Pag. XXXIII. l. 15. Colloquia in Aegypto habita de rebus divinis inter Alexandrum Magnum et Pammonem Philosophum, quasi dictum Πᾶμμωνος, *cultorem Ammonis*, leguntur apud *Plutarchum* in Alexandro p. 1248. Auctor nobis est *Maximus Tyrius* Dissertat. XXV init. [in editione Davisii, XLI p. 481],

p. 481], Alexandrum Macedonem, cum Iovis Ammonis templum adiiſſet, atque ab eo dictus eſſet filius Ammonis, credidiſſe Deo, atque admiſſo iſto oraculo, nihil amplius e patre illo ſuo quaerere voluiſſe, quam de Nili fontibus.

Pag. xxxiii. l. ult. *Eſt de divinationibus*, cet. Si *Plutarchi* verba accurate expendas, facile apparebit, Alexandrum vere et proprie tantum eſſe locutum de divinationibus et praedictionibus, ſibi in templo Iovis Ammonis Lybici factis. Quales autem illae fuerint, coniiciendo aſſequi poteris ex *Arriani* Lib. vi Exped. Alex. p. 414, 415 [236 edit. Gronov.].

Pag. xxxiv. l. 8. *Omina Apidis*. Ex *Plutarcho* merito colligas Alexandri illam Epiſtolam egiſſe tantum de praedictionibus et ominibus Iovis Ammonis Libyci, quod monui ad p. xxxiii. Fieri tamen potuit, ut auctor illius Epiſtolae, quisquis fuerit, illa occaſione loqui etiam voluerit de aliis praedictionibus et ominibus arcanis, qualia ſunt illa Apidis. Nam Apidi Alexandrum ſacra feciſſe, diſertis verbis tradit *Arrianus* de Expedit. Alex. M. Lib. iii p. 156 [104].

Pag. xxxviii. l. 7. *Hi genus ſuum referrent*, rel. Tale ſtemma Evagorae, Salaminis in Cypro regis, habes apud *Iſocratem* in Nicocle p. m. 80.

Pag. xlvii. l. 4. *Illa vetus Aegyptiorum traditio*. Illa etiam a Brachmanibus Indiae conſervata eſt. Edita eſt epiſtola Patris *Bouchet* e Soc. Ieſ., qua veteres Indorum traditiones ſacras ex diſciplina Moſaica fluxiſſe docere vult. Reperitur illa dans le ix Recueil des *Lettres édifiantes*, ubi p. 40 illa leguntur: *La première partie de* Vedam, *qu'ils appellent* Irroucouvedam, *traite de la première cauſe, & de la manière, dont le monde a été creé. Ce qu'ils m'en ont dit de plus ſingulier, par rapport a*

nôtre

nôtre ſujet, c'eſt qu'au commencement il n'y avoit que Dieu & l'eau, & que Dieu étoit porté ſur l'eau.

Pag. XLIX. l. 8. *De Pythagora.* De eodem hoc obſervat *Plutarchus* in vita Numae p. 118 edit. Steph.: "Εϛι δὲ καὶ τὰ περὶ τῶν ἀφιδρυμάτων νομοθετήματα (τοῦ Νουμᾶ) παντάπασιν ἀδελφὰ τῶν Πυθαγόρου δογμάτων. Οὔτε γὰρ ἐκεῖνος (Pythagoras) αἰσθητὸν ἢ παθητὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἀκήρατον καὶ νοητὸν ὑπελάμβανεν εἶναι τὸ πρῶτον, κ. τ. λ.

Pag. LII. l. 23. *Plato etiam literis prodit*, cet. Spectat huc, quod *Simplicius* obſervat in *Epicteti* Enchir. cap. XXXVIII p. m. 290, 201: Καὶ ἰϛέον, ὅτι οἱ πρῶτον θέντες τὸ τοῦ Θεοῦ ὄνομα, τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ περιπολοῦντας, παρὰ τὸ θέειν, τουτέϛι τρέχειν, καὶ ὀξέως κινεῖϛθαι, οὕτως ὠνόμαϛαν· χρόνῳ δὲ ὕϛερον, καὶ ἐπὶ τὰς ἀϛωμάτους καὶ νοητὰς τῶν ὄντων αἰτίας ἀνήγαγον τὸ ὄνομα, καὶ μέχρι τῆς μίας τῶν πάντων ἀρχῆς καὶ αἰτίας. Adde Etymologici Magni auctorem in voce Θεός.

Pag. LIII. l. 5. *Arabum.* Obſerva ex ritibus eorum Myſticis, quod in pactione foederum VII lapides ſanguine ſolerent inungere. Ita docet *Herodotus* Lib. III cap. 8. Quando vero ibidem additur, Arabes ſolos *Vrotalt* [Οὐροτάλ] ſive *Bacchum*, et *Alilat*, ſive *Vraniam*, Deos arbitrari, 1°.) certum eſt, Deos hos duos alios non eſſe, quam *Solem* et *Lunam*, magna Orientalium omnium Numina. 2°.) Sole et Luna ſemper dignitate et potentia inferiores habiti v reliqui Planetae. Ita ſentiebant Aegyptii. Vide ſupra p. LII. Sic et Babylonii apud *Diodorum* Lib. II p. 116, 117, [cap. 30, ibi *Weſſelingius*], et *Pythagoraei*, de quibus p. LII ſeq. Id igitur dicere voluit, Solem et Lunam eſſe praecipua Arabum Numina, et ab omnibus culta, quod de Aegyptiis *Herodotus* pariter obſervat Lib. II [cap. 42].

Pag. LIII. l. 21. *Septem Eunuchorum.* Videntur esse illi ipsi, qui in *Arriani* Historia Alexandri Magni Lib. VI p. 433 [269], vocantur VII *Custodes corporis*, qui nempe regi semper adesse et ministrare tenebantur.

Pag. LIII. l. 27. *Septem amicos suos consiliarios.* De Cyro iuniore legas apud *Xenophontem* Ἀναβάσ. Lib. I. p. 153: Συγκαλεῖ εἰς τὴν αὑτοῦ σκηνὴν Περσῶν τοὺς ἀρίστους τῶν περὶ αὐτὸν ἑπτά.

Pag. LIV. l. 10. *A septem Planetis*, cet. Expendi hanc in rem cum primis meretur locus *Herodoti* Lib. II. cap. 82, ubi hac de re loquens, subinnuit, rem hanc aliis etiam cognitam et usitatam esse; verum inventionem tribuit Aegyptiis.

Pag. LV. l. ult. ΨΕΦΡΣΔΔC. Sic in Liturgia S. *Basilii* MS. p. m. 5 (ubi *Renaudotius* p. 4 vertit *contemplativum*) et p. m. 24 (ubi *Renaudotius* p. 18 vertit *videntem Deum*). Observa utroque in loco cognomine hoc ornari *Marcum*, primum Episcopum Ecclesiae Alexandrinae.

Pag. LVII. l. 6. *Rem hanc*, rel. *Macrobius* Lib. II in Somn. Scip. cap. III: *Ideo canere coelum etiam comprobantes, sonos musicos sacrificiis adhibuerunt; qui apud alios lyra vel cithara, apud nonnullos tibiis aliisve musicis instrumentis fieri solebant.* *Maximus Tyrius* Dissertat. XXI. p. 250 [XXXVII p. 438]: Εἰ δὲ Πυθαγόρᾳ πειθόμεθα — καὶ μελῳδεῖ ὁ οὐρανὸς, οὐ κρουόμενος ὥσπερ λύρα — ἀλλ' ἡ περιφορὰ τῶν ἐν αὐτῷ δαιμονίων, καὶ μουσικῶν σωμάτων σύμμετρός τε οὖσα καὶ ἀντίρροπος, ἦχόν τινα ἀποτελεῖ δαιμόνιον· τῆς ᾠδῆς ταύτης τὸ κάλλος θεαῖς μὲν γνώριμον, ἡμῖν δὲ ἀναισθές, δι' ὑπερβολὴν μὲν αὐτοῦ, ἔνδειαν δὲ ἡμετέραν. Pythagoraei dicebant, Pythagoram sonum harmonicum Astrorum aliquando audivisse, et Pythagoras ipse id affirmavit. Vide

Sim-

Simplicium in *Ariſtotelis* Lib. II de Coelo cap. 91 fol. 113, 114. Conf. quoque *Phileleutherius Helvetius* de miraculis Pythagorae p. 55 ſq. [et *Marklandus* ad *Maximi Tyr.* loc. cit. p. 718, 719].

Pag. LIX. l. 5. *Philopſeuden.* Legendum *Eucratem.*

Pag. LXII. l. 29. *Octonarius numerus.* Obſerva haec *Plutarchi*, quae extant in fine vitae Theſei p. 31 edit. Steph. Diſputatur ibi de ſanctitate numeri ſeptenarii, illiusque variae adferuntur rationes, ſed tandem diſputatio illa ſic concluditur: Ἡ γὰρ ἑβδομὰς, κύβος ἀπ' ἀρτίου πρῶτος οὖσα, καὶ τοῦ πρώτου τετραγώνου διπλασία, τὸ μόνιμον καὶ δυσκίνητον οἰκεῖον ἔχει τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως, ὃν Ἀσφάλιον καὶ Γαιήοχον προσονομάζομεν. Loquitur de Neptuno.

Pag. LXXIV. l. 18. *Sunt nempe quatuor — Symbola quatuor*, cet. Eamdem ob cauſam pars idololatriae antiquiſſimae fuit, apud Phoenices, Cananaeos Syrosque, quae ſucceſſu temporis etiam ad Israëlitas tranſiit, cultus 12 ſignorum Zodiaci, quippe in quibus Sol mutationes illas annuas peragat. Vide *Panthei* Part. I p. 157 ſqq., et quae ibi in ſecundis curis notavi ad p. 159 [ſupra p. 322]. De cultu autem 12 ſignorum Zodiaci vide 2 Reg. XXIII. 5, ibique notas *Clerici* et aliorum.

Pag. LXXIX. l. 33. *Prudentes imaginibus opus non habere.* Aiunt potius Indi, eum, qui Deum colit, ſine imaginibus, ad ſummum ſapientiae faſtigium perveniſſe, et ſuper ſacrum Legis librum, qui Vedam dicitur, ſe evexiſſe. Vide easdem Relationes, Continuat. XLV p. 1184.

Pag. LXXXIII. l. 23. Quaedam μιμήματα τοῦ θείου. Eximia loca huc ſpectantia tum *Celſi* Epicuraei, tum *Origenis*, apud hunc reperies Lib. III adv. *Celſum* p. 121.

Pag. LXXXIV. l. 3. Refert ad αἰνίγματα. Ita et *Arnobius* Lib. III p. 109: *Aegyptiorum ridetis aenigmata, quod mutorum animantium formas divinis inſeruerint cauſis.* Non aliter *Origenes* Lib. III adv. *Celſum* p. 121 [458].

Pag. XC. l. 12. *Sacerdotum huiusmodi*, cet. Omnes incolas Aegypti fuiſſe diſtinctos in tres hominum claſſes, milites, agrorum cultores, et ſacerdotes, teſtatur *Strabo* p. 577 [lib. XVII p. 1135]. *Diodorus Siculus* Lib. I p. 66, 67 [cap. 73 et 74] loquitur de quinque Aegyptiorum claſſibus, ſacerdotibus, militibus, paſtoribus, agricolis et opificibus. *Plato* in *Timaeo* p. 24 commemorat ſex hominum genera, ſacerdotes, milites, artifices, paſtores, venatores et agricolas. *Herodotus* autem Lib. II cap. 163 auctor eſt, fuiſſe Aegyptiorum ſeptem genera, nempe ſacerdotum, pugnatorum, bubulcorum, ſubulcorum, inſtitorum, interpretum et gubernatorum navalium. Quamvis ſcriptores illi antiqui diſcrepent in numerandis claſſibus Aegyptiorum, tamen dubium nullum eſt de ſacerdotibus, in Aegypto non electis ex quocumque hominum genere, ſed e certis quibusdam familiis, in quibus erat munus ſacerdotale veluti hereditarium. Vide *Diodorum Siculum* p. 66, 78, 79 [lib. I cap. 73 et 88], et *Euſebium* Lib. II de Praepar. Euangel. p. 50.

Pag. XCI. l. 9. *Sacerdotem ſummum.* Conferri poteſt locus *Herodoti* Lib. II cap. 37, ἱρᾶται δὲ οὐκ εἷς ἑκάστου τῶν θεῶν, ἀλλὰ πολλοὶ, τῶν εἷς ἐστι ἀρχιερεύς [Ionicum ἀρχιέρεως recepit *Weſſelingius*], Sacerdos ſit non unus cuiusque deorum, ſed multi, quorum unus eſt Sacerdos maximus.

Pag. XCI. l. 27. *Prophetarum.* Satis frequens ſit eorum mentio apud ſcriptores antiquos, ex. gr. *Iamblichum* de myſter. Aegypt. p. 2, *Philoſtratum*

tum in Vita Apollonii Lib. I cap. 2, *Porphyrium* Lib. IV de Abſtin. p. 371 [§ 8 p. 321], et plures alios, qui diverſos Sacerdotum Aegyptiorum ordines memorarunt, aut etiam Sacerdotes quoscumque uno *Prophetarum* nomine appellarunt, uti factum videtur a *Clemente Alexandrino* Lib. I Stromatum p. 305 [359], et in Nothis ſive Appendice ad *Dioſcoridem*, ubi ſaepiſſime nomina plantarum Aegyptiaca attribuuntur *Prophetis*, vel eorum linguae. Vnus eorum dictus fuit *Propheta primarius*, teſte *Apuleio* Lib. II Mileſ. [p. 158 edit. Oudendorpii]. Talis forte fuit M. Vlpius Apollonius Προφήτης in antiqua inſcriptione apud *Gruterum* p. LXXXVI num. 1, in qua ſermo eſt de diis in Aegypto. Iunge inſcriptionem aliam ibidem p. CCCXIV num. 2. Talis certe fuit Sonchis, Pythagorae praeceptor, quem *Clemens Alexandrinus* Lib. I Strom. p. 303 [356] vocat Ἀρχιπροφήτην Aegyptium.

Pag. XCI. l. 29. *Quos Graeci nomine τῶν νεωκόρων ſive* aedituorum *complectuntur.* Erant illi quidem in numero Sacerdotum, ſed ordinis infimi, et multo minoris auctoritatis, quam reliqui. Quocirca ultimo loco ponuntur a Chaeremone apud *Porphyrium* loc. cit., ſubiungente τοῖς προφήταις, ἱεροσολιστᾶις, ἱερογραμματεῦσιν et ὡρολόγοις, duos Sacerdotum ordines, nempe παστοφόρων καὶ νεωκόρων. Inſcriptiones antiquae haud raram faciunt mentionem τῶν Νεωκόρων, *Aedituorum* Aegyptiacorum. *Iſidis Aedituus* eſt in *Reineſii* Syntagmate, Claſſe I num. 204, Νεωκόρος τοῦ μεγάλου Σαράπιδος, ibid. num. 99, et apud *Sponium* in Miſcell. Erud. Antiquit. p. 10. *Neocori* illi in Aegypto non erant eiusdem dignitatis, ut colligo ex inſcriptione apud *Gruterum* p. CCCXIV num. 1, in qua Marcus Aurelius Aſclepiades dicitur ὁ πρεσβύτατος τῶν Νεωκόρων τοῦ μεγά-

γάλου Σαράπιδος. Non videntur *Negcori* fuisse diversi a *Zacoris*, quos cum *Comastis* et *Prophetis*, sed veluti his minores, coniungit *Synesius* de Providentia p. 65. In eadem inscriptione apud *Gruterum* p. LXXXV num. 5, commemorantur Σάραπις et Ζάκορος. [Comparentur notae ad *Thomam M.* p. 404, 405].

Pag. XCII. l. 12. *Illud Sapientum*, cet. Si audimus *Iac. Kochium*, nuperum Hiobi interpretem, sed plerumque nimis ingeniosum, nomine *Sapientum* etiam ab Hiobo designantur Sacerdotes et Magi Aegyptiorum, cap. XII. 16, 17, 19.

Pag. XCII. l. 22, 23. *Sapiens* — ⲥⲁⲃⲉ. Aliam nominis *Sabiorum* originem habes apud *Assemanum* Biblioth. Orient. Vol. IV. fol. DCXI. Ex eo loco apparet, obiectionem adversus etymologiam meam, in Relat. Gotting. Fascic. III p. 272 propositam, parum habere ponderis [conf. Glossarium, tom. I p. 234, 235].

Pag. XCIV. l. 6. ⲥⲁϫ, *Sach.* Hinc nomen *Zachlas*, cuius meminit *Apuleius* Lib. II Milesi. [p. 158 edit. novae], et qui ab eo appellatur *Aegyptius* atque *propheta primarius*, explicandum esse, monui pluribus in Collectione mea MS. vocum Aegyptiacarum v. *Zachlas* [tom. I Opusc. p. 74—76].

Pag. XCIV. l. 13. *Arpenodaptes.* Non me poenitet huius observationis. Conf. Collectio eadem [tom. I Opusc. p. 38].

Pag. XCV. l. 27. Νοήματα. *Simplicius* in *Aristotelis* Lib. IV de Auscult. Physica p. 266: Μεταβατικῶς ἀπὸ νοήματος εἰς νόημα πρῶτον, καὶ δύο ἅμα νοήματα κατὰ ταυτὸν μὴ καταδεχόμενος, κ. τ. λ.

Pag. XCVII. l. 26. *Pastophoros.* Eorum meminisse *Chaeremonem* apud *Porphyrium*, supra ad p. XCI animadverteram. Non tamen ille solus, sed quo-

que

que alii, *Horapollo* Lib. I Hierogl. cap. 39, *Diodorus Siculus* Lib. I p. 25 [cap. 29], *Clemens Alexandrinus* Lib. VI Strom. p. 269 [758]. Eorundem *Paſtophororum* ipſorumque *Collegii* mentio fit ab *Apuleio* loc. cit., quem etiam locum non neglexit *Cuperus*, de hoc hominum genere plura monens in Harpocrate p. 130 et ſeqq.

Pag. XCVII. l. 27. *Qui alicui Sacerdotum ordini erant proprii.* Et hoc retinuerunt Brachmanes, apud quos nemo totam Legem ſacrorum, dictam Vedam ſive Wedam ediſcit, ſed tantum partem, a patribus et maioribus acceptam. Vide Relationes Miſſionariorum Danicorum Continuat. XLVI p. 1256.

Pag. XCVII. l. 34. *Tantum memoriae*, rel. Ita etiam Numa Sacerdotes ſuos volebat inſtitui. Vid. *Plutarchus* in Vita Numae p. 236 edit. Stephani, et ad hunc locum notae *Dacerii* Gallicae tom. I p. 388, ubi Sacerdotes Aegyptios allegat, ſed auctore non indicato, qui hoc referat. De Pythagoraeis idem illud obſervat *Plutarchus* loc. cit.

Pag. XCVIII. l. 6. *Memoriae Sacerdotum unice credunt.* Vide praeter ea, quae ex relationibus Miſſionariorum Danicorum citata ſunt in nota *, etiam Continuat. XLV p. 418 not. c. et p. 1184, ubi etiam ad auctoritatem *Megaſthenis* vetuſti Scriptoris provocatur. Teſtimonium vero *Megaſthenis*, ad quod illic reſpici auguror, *Strabo* adhibet, his verbis conceptum Lib. XV p. 487 [1035]: Οὐδὲ γὰρ γράμματα εἰδέναι αὐτοὺς, ἀλλ' ἀπὸ μνήμης ἔχειν ἅπαντα διοικεῖσθαι. Haec tamen verba, quod vel antecedentia clare docent, proprie non ad Sacra Indorum, aut ad Legem Sacrorum ſpectant, ſed poſſunt tamen ad Sacra etiam transferri, et ad Legem Sacrorum, dummodo, quod ſane certo mihi perſuadeo, aliunde probari poſſet, Indos legem illam tempore

Me-

Megaſthenis iam habuiſſe. Habuiſſe nullus dubito; ſed an certis argumentis demonſtrari poſſit, neſcio. Ad Aegyptios ut redeam, dignum obſervatione eſt, Lycurgum noluiſſe, ut cives ſui legibus uterentur ſcriptis. Malebat enim, ut quae erant ſancita, animis civium inhaererent, quam libris ſcriptis. Teſtatur hoc *Plutarchus* in Vita Lycurgi p. 85 edit. Gr. Steph. Veroſimile autem eſt, eum id traxiſſe ab Aegyptiis. Nam et hos adiiſſe, hiſtoria eorum perhibet. Vide eumdem *Plutarchum* p. 76.

Pag. c. l. 16. *Ad Indorum Brachmanas.* Illos olim ſcientiam Aſtronomicam felici cum ſucceſſu excoluiſſe, etſi eorum poſteri eamdem negligentius tractent, obſervat etiam *P. de la Lane* dans le x Recueil de *Lettres édifiantes* p. 36, 37 cet.

Pag. cviii. l. 25. *Qui ipſi dicuntur* νεώτατοι τῶν ἱερολόγων. Adde iis, quae hic obſervo, *H. Dodwell's* Diſcourſe concerning Sanchoniathon §. xx p. 41—43.

Pag. cxii. l. 3. *Dictione aenigmatica*, cet. Tangit hoc etiam *Maximus Tyrius*, ſcribens Diſſert. xxi, non procul ab init. p. m. 245. [in edit. Daviſii xxxvii p. 433]: Ἀλλὰ γὰρ τῆς παλαιᾶς φιλοσοφίας ὁ τρόπος οὗτος ἦν, ἐοικὼς τοῖς χρησμοῖς. Haec explica ex noſtris hiſce Prolegomenis p. cxxviii.

Pag. cxx. l. 13. *Notas illas non eſſe elementa*, rel. Sic ſatis bene explicatur doctrina Pythagoraeorum de numeris, quam multi non ſatis bene ceperunt. Vide les notes de Mr. *Dacier* ſur les vies de *Plutarque* Tom. i p. 106, 107. num. 205, ubi et provocat ad Commentarium ſuum in *Hieroclem*, in quo argumentum hoc copioſius fuerit pertractatum. De numeris Pythagoraeorum operae quoque pretium eſt adire *Simplicium* Lib. i in Ariſtotelem de Anima fol. 6. a. et fol. 10. b.

Pag.

Pag. cxx. l. 23. *Vnitatem appellarent Apollinem.* Vide et *Porphyrium* Lib. II. de Abſtin. § 36 p. 79 edit. Cantabr. [167].

Pag. cxxi. l. 20. *Ex figuris Geometricis.* Confer hic *Simplicium* in *Ariſtotelem* de Anima Lib. I fol. 6. a, et fol. 10. a, b.

Pag. cxxvii. l. penult. *Qui Poëtam hunc genere Aegyptium.* Auctoribus hic ſub lit. *c.* a me adductis iunge *Olympiodorum* apud *Photium* in Biblioth. Cod. LXXX p. 192, ubi legitur: Φάσι δὲ καὶ Ὁμήρου ἐκ τῆς πρὸς ταύτη (Oaſi) Θηβαΐδος ἔλκειν τὸ γένος.

Pag. cxxxviii. l. 8. *Faba Aegyptia optima eſſet.* De faba hac vide, quae veteres et recentiores eruditi obſervant de *Ciborio.* Teſte *Arriano* de Expedit. Alexandri Lib. VI p. 378 [235], Fabae ad ripas Aceſinis in India creſcunt, quales fert Aegyptus. Vide et *Strabonem* Lib. XV p. 479, Lib. XVII p. 550 et 566, *Theophraſtum* de Plantis p. 87 [conf. tom. I horum Opuſc. p. 108—110].

Pag. cxxx. l. 12, 13. *Dialectum Sacram vel Sacerdotalem.* Qualis fuerit illa dialectus in Aegypto, exempla hic allata ſatis declarant. Ceterum in India quoque Sacerdotes dialecto uſi ſunt peculiari, et a vulgari penitus diſtincta. *Lingua Brachmanica* ex relationibus Miſſionariorum Danicorum ſatis nota eſt. Apud Siammenſes memoratur etiam *Lingua Sacerdotum*, quae a lingua reliquorum Siammenſium differt. Vide *Baldaei* deſcriptionem Ceylonis p. 147. b.

Pag. cxxxiii. l. 19. Ἄχαριν. Nomen urbis huius corrupte effertur in editionibus *Tatiani.* Vide eius Orationem ad Graecos cap. LIX p. 130 edit. Oxon., et adde omnino notam *Frontonis Ducaei.* Quae *Manetho* tradit, ſi vera ſunt, uti ſane nihil repugnat, patet utique luculenter, etymologias Hebrai-

cas ſpernendas merito eſſe. Sic *Rich. Cumberlandius*, in Originibus gentium antiquiſſimis p. 44, 45 edit. German., *Abarim* interpretatur עבר, *locum tranſitus*.

Pag. CXXXIX. l. 16, 17. *Omnia plena ſunt aenigmatum*, cet. Cum hoc loco *Maximi Tyrii* alius ſimilis eiusdem locus comparetur Diſſert. XVI p. 189 [XXXII p. 379] et Diſſert. XXI p. 245 [XXXVII p. 439].

Pag. CXLI. l. 1. *Nemo admittebatur, niſi Sacerdos.* Id etiam a Brachmanibus Indorum ſemper in hodiernum usque diem obſervatum fuit. Vide quae de Lege ipſorum Sacra, *Wedam*, obſervantur in Relationibus Miſſionariorum Danicis, Continuat. XLVI. Adde *Abr. Rogerii* Portam apertam Lib. I cap. V, XVI init.

Pag. CXLIII. l. 6. *Totos* XXII *annos*, cet. Veroſimile eſt, initiationis vetuſtae Aegyptiae tempus tantopere extractum fuiſſe, quod initiatis libri Mercuriales, qui ſcientiam arcanam omnem continebant, memoriter eſſent ediſcendi. Similia de Galliae Druidibus memorat *Iulius Caeſar* de Bello Gall. Lib. VI cap. I: *Magnum numerum verſuum ediſcere dicuntur; itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent; neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare.* Et forſan haec ipſa cauſa eſt, quod Pythagoras ipſe librum nullum edidiſſe perhibeatur.

Pag. CXLIII. in nota l. 2. coll. p. CXLII. l. ult. *Aqua — in ignem.* Ergo in Perſarum ſacris, initiandus purgandus erat per *aquam* et per *ignem*. Et certe omnis purificatio myſtica apud veteres fiebat per *aquam* et per *ignem*, ac ſigillatim apud Aegyptios, quod conceptis verbis teſtatur *Horapollo* Lib. I cap. 43. Adde omnino *Epiphanium* adverſus Haereſes p. 1093.

DISPV-

DISPVTATIONES,

QVIBVS SACRI CODICIS LOCI DIFFICILIORES ILLVSTRANTVR;

AB AVCTORE PLERAEQVE EMENDATAE ET LOCVPLETATAE.

DISSERTATIO

DE

REDEMTORE STANTE SVPER PVLVEREM,

AD LOCVM IOBI XIX. 25. ILLVSTRANDVM.

§. I.

Celeberrimum Iobi Vaticinium, quod is cap. xix Libri ſui, comm. 25 et 26, ſcriptum reliquit, explicaturi, campum ingredimur ampliſſimum, in quo etſi permultae difficultates illico ſe nobis offerant, omnem tamen hanc moleſtiam, fructus, quem ex ſuperato labore ſperamus haud ſpernendum, abunde compenſat. Agitur de patientia et conſtantia piiſſimi confeſſoris, quam, quoniam poſt hominum memoriam vix parem reperiit, in clariſſima luce collocare, intereſt fidelium omnium. Agitur de palladio, quod ſanctiſſimae noſtrae Religioni, et quidem illi ſoli, a Deo omnis veritatis fonte conceſſum fuit, de certitudine nimirum conſervationis et defenſionis carnis noſtrae etiam in ſepulchro, etiam inter vermes et in ipſa corruptione, hancque ſecuturae glorioſiſſimae eiusdem reſurrectionis; quod palladium nec antiquiſſimae Eccleſiae, nec ipſi Iobo, quantum in nobis eſt, eripi pa-

tiemur. Quam ob rem et tenebras, quibus nonnulli magnificum hoc Iobi ſolatium obfuſcare conati ſunt, ſenſum ei humilem et felicitatem mundi huius caducam redolentem affingendo, diſpellamus pro virili, licet brevibus, et lucis nonnihil, qua indigere videbatur, eidem afferamus; ut plenius perſpecta Iobi mente, de vaticinio ipſo, indicium aliquod firmum feramus.

§ II.

Haberi autem in illis verbis Iobi ἐπινίκιον, *Carmen Triumphale*, quod malis maximis undique preſſus, et tantum non oppreſſus, vir Sanctus, ſpe glorioſae liberationis, et victoriae de hoſtibus ſuis omnibus reportandae fretus, ſibi ipſi canit, uno ore confitentur omnes, idque res ipſa non obſcure loquitur. Quae tamen vera ſit Iobi mens; quos hic inimicos cogitet, quam victoriam ſibi promittat, de qua felicitate laetabundus gratuletur ſibi, ambigunt interpretes. Iudaeorum veteres magiſtri concedunt quidem, ſermonem hic eſſe de vita quadam futura, neque tamen (*a*) reſurrectionem corporis innui volunt. Quorum ſententia confutatione non eget. Si enim de vita futura loquitur Iobus, certe etiam de reſurrectione loquitur. Recentiores quidam ſpem omnem Iobi, vaticinio hoc pathetico expreſſam, limitibus vitae huius terrenae circumſcribunt, exiſtimantes, virum patientia ſua celebratiſſimum, calamitatum omnium, et quas expertus iam erat, et quibus etiamnum immerſus iacebat, finem imminentem Spiritu Prophetico praevidiſſe, recuperatio-

(*a*) *Pearſonus* in Artic. XI Symboli Apoſtol. p. 577 edit. Anglic.: *Veteſtiores Iudaei volunt eum loqui de felicitate alterius vitae, ſed tamen ſine reſpectu ad reſurrectionem.*

tionem quoque priſtinae ſanitatis, priſtinae felicitatis, bonorum uno verbo, quae amiſerat, omnium ſpe et mente futuri praeſcia ſibi pollicitum eſſe. Supereſt ultima, eaque, niſi me fallit mea opinio, veriſſima ſententia eorum, quibus Vaticinii tam excellentis conſignator Θεόπνευστος videtur, mundi omnisque felicitatis mundanae plane oblitus, unicam ſuam ſpem in Redemtore illo collocaſſe, qui et corporis demortui in ſepulchro curam acturus, illudque aliquando ex cinere ad vitam prorſus beatam et aeternam exſuſcitaturus ſit. Qui enim fieri poterat, ut mens tot tantisque malis fracta, et ad incitas fere redacta, quae vanitatem huius mundi et fortunae etiam maxime ſecundae viciſſitudines ſingulari modo experta fuerat, illius tamen recuperandae ſpe adeo caperetur, ut, extra ſe quaſi rapta et plena ſancto furore, illas, quae reſtabant adhuc, vires colligeret, et tam magnifica de re nullius pretii verba profundo ore faceret. Maiora hic latent ſine dubio, quae in pectore ſuo tum ſenſit Iobus, et verbis protulit, quibus ſpem ſuam ille erexit; fuerunt ſublimia, auguſta et Divina. Hunc verborum Iobi ſenſum perſpexerunt piiſſimi Eccleſiae noſtrae primitivae Doctores, qui, ad probandam et explicandam carnis reſurrectionem, haud raro dicto hoc uti ſolent. Illis praeivit *Clemens Romanus* (*b*), primus poſt Apoſtolos inter ſcriptores Eccleſiaſticos, et hunc magno numero ſecuti ſunt alii, ita quidem, ut hodie non quorumdam, ſed communis Eccleſiae explicatio dici merito haec poſſit.

§ III.

(*b*) Verba eius exſtant in 1 Ep. ad Corinth. Sect. XXVI. Conſulendus eſt autem totus rerum nexus, ut pateat, *Clementem* ea verba ad probandam reſurrectionem attuliſſe.

§ III.

Etiamſi autem nonnulli (*c*) eo nomine *Clementem Romanum* ſugillent, nos tamen ut cum eo et cum ſequacibus eius faciamus, his inprimis commovemur rationibus: 1°.) non videmus, Iobum aliis in locis ſe ſpe quadam vitae felicioris hac in terra lactare. Liber eius argumento potius invicto eſt, ipſum de rebus temporis et vitae huius plane deſperaſſe. Vide cap. VI. 8, 9, 11, VII. 20, 21, XVI. 22, XVII. 1, 15. Quod videmus ab *Hermanno Witſio*, ſummo Theologo, iam dudum obſervatum fuiſſe Exercit. XXVI in Symb. § 7. Quod quidem, uti ex locis citatis apertiſſime probatur, ita 2°.) nec minus certum eſt, ſpem Iobi ultra fines brevis huiusce vitae proceſſiſſe. Quousque vivebat, malis et calamitatibus ſe obnoxium eſſe ſciebat: haec enim eſt conditio mortalium omnium, quam emphatice exprimit cap. XIV. 1; eamque duraturam eſſe, ſaepe teſtatur et ſcire ſe confitetur, usque ad finem huius vitae. Simulac vero corpus tumulo redditum fuerit, manum Dei ſaevam et ultricem ceſſaturam eſſe, confidit cap. XXX. 24. Id vero multo clarius exprimit cap. XIII. 15, ubi optime Vulgatus ſenſum huno in modum eſt interpretatus: *Etiamſi occiderit me* (Deus), *in ipſo ſperabo.* Quam verſionem interpretes optimi quique probant, et verſus ſequens egregie confirmat. 3°.) Si praeterea ſcopum, quem Iobus, haec locutus, ſibi propoſitum habuit, ipſam adhuc orationis ſeriem, uno verbo, vaticinii huius occaſionem, quae ad indagandum ſenſum valet plurimum,

(*c*) *Paulus Colomeſius* in notis ad eum locum p. 48 edit. Ittigianae: *Hunc Iobi locum ad reſurrectionem primus traxit* B. Clemens, *quem alii poſtea ſunt ſecuti. Sed quis a primis illis Chriſtianis, ſeculo maioribus, omnium Scripturae locorum germanam explanationem expoſtulet?* etc.

mum, in conſilium adhibeamus; ea omnia pro nobis egregie militare, facile concedet attentus et aequus rerum aeſtimator. Dixerat Iobus cap. XVI in fin. et cap. XVII, (inde enim connexio repetenda eſt) finem dierum ſuorum appropinquare, imminere ſibi ſepulchrum, ſpemque vitae huius omnem ſe prorſus depoſuiſſe. Bildadus ea contra cap. XVIII inſultare ipſi pergit, ex calamitoſa conditione Iobi iniquam de impietate eius coniecturam faciendo. Quam ergo ſpem habebat ſibi relictam? Nullam in vita ulteriori et felici, illam plane abiecerat, cap. XVII, nullam quoque in blandis amicorum conſolationibus, unico forſitan in hac vita afflictionum ſuarum lenimento. Nam de illorum et iniuria et inhumanitate queritur hoc noſtro cap. XIX. Ne tamen ceu impius ſpe prorſus omni in aeternum excidiſſe videatur, ſolatii ſui veri et nunquam intermorituri fundamentum oſtendit, Redemtorem viventem atque potentem corporis ſui poſt obitum curam acturum, idque ſuo tempore eidem quidem, ſed auguſtiori formae reſtituturum. Et 4°.) niſi rem plane ſingularem, et omnium ſeculorum memoria digniſſimam, eloqui in animo habuiſſet, prooemio tam notabili, tamque pathetico, quod vel homini inertiſſimo, ſenſu omni et intellectu deſtituto, attentionem extorquere poſſet, uſus certe non fuiſſet. Magna promittit Apollo in Oraculo quodam apud *Euſebium* Euang. Praepar. Lib. IV p. 87 edit. Rob. Steph. hiſce verbis:

Ἀείσω, δέλτοις δὲ χαράσσετε χρησμὸν ἐμοῦ.

Canam, vos vero tabulis inſcribite oraculum meum.

Quid vero haec, ſi comparentur cum voto Iobi. Optat, ut (*d*) plumbo inſcribantur verba, quae erat di-

(*d*) Verba Hebraica habent vſ. 24: בעט ברזל ועפרת. *In* (vel *cum*) *ſtylo ferri et plumbi*: poteſt intelligi et ſtylus plum-

dicturus; et forsitan tum temporis hoc aut simili metallo (*e*) utebantur in condendis Monumentis. Verum corrigit se mox, et cum igne dissolvatur facillime plumbum, lapides poscit, neque illos communes, sed ipsas rupes, quo ipsam totius mundi durationem exaequet spei suae monumentum, et ex illo discant, donec sint, qui doceri possint, quique doceri velint.

§ IV.

Haec erant praemittenda, ut de scopo Iobi essemus certiores, antequam ipsa verba nobis sumeremus examinanda. Alioquin ex illis ipsis abunde nobis suppetit, unde sententiae nostrae praesidium acquiramus. Cum enim singula illic seorsim posita spem resurrectionis clare videantur indicare, tum multo magis coniuncta, adeo ut de explicatione illa plane dubitandum non sit. Ac ut primo aliquid de גֹּאֵל sive Redemtore dicamus, quoniam ille fundamentum est totius huius sententiae, eo nomine quidem venire potest Liberator et Redemtor omnis, qui sive ex hostium potestate, seu ex alio quopiam malo, seu vi, seu quocumque tandem modo aliquem liberat, et pristinae libertati ac prosperitati restituit, unde et hoc loco LXX Interpretes vocem illam per τὸν ἐκλύειν μέλλοντα, alibi etiam per τὸν ῥυσόμενον, aut simili aliquo modo, reddere solent; sed singulari tamen emphasi iis tribuitur, qui iure proximae cognationis ad partes alicuius tuendum sunt

plumbeus, et plumbum, cui quid inscribatur. *Iarchius* exponit *incisuras, quae fiant in marmore stylo ferreo, et postea plumbo expleantur.*

(*e*) *Hesiodi* vetustissimum exemplar laminis plumbeis inscriptum memorat *Pausanias* in Boeoticis p. 306 edit. Gr. Wechel. [p. 771]. Aeri monumenta publica incisa fuisse, pervulgatum est. Vid. Maccab. Lib. I cap. VIII. 22.

ſunt obſtricti, ὁ ἀγχιςεύων vel ἀγχιςεὺς Graece, ut ſaepe transferunt LXX. Vide Levit. XXV. 25, 26, Ruth. III. 12. Cumque plurima iſtiusmodi cognatorum fuerint officia, tum non poſtremum illud habebatur Goëlis munus, ut cognatorum ſuorum vi peremtorum cauſam ageret, eorumque caedem in homicidas ulciſceretur Num. XXXV. 19, 21. Et hoc fundamentum eſt eius ſolatii, quo ſe, in his auguſtiis conſtitutum, ſuſtentat et refocillat illud patientiae illuſtriſſimum exemplum, quaſi diceret: *Mihi quidem eſt moriendum: inſtat conſtituta mihi hora. At habeo Goëlem, cuius eſt me protegere, meam cauſam agere, et ſanguinem meum vindicare. Licet ergo mortalis ſim ego, ille tamen vivet, et meo bono ſemper vivet.* Quodnam poteſt eſſe maius ſolatium homini, mortem ſuam proſpicienti, quam ſimul cogitare et fide amplecti vindicem mortis eumque aeternum? Quantum vero ſolatii argumentum illa de Redemtore viventc perſuaſio potuerit Iobo praebere, ea quae nunc ſequuntur verba, ואחרון על עפר יקום *et poſtremus ſtabit ſuper pulverem*, et eleganter et emphatice declarant, quorum vim, cum hactenus aut non ſatis perſpexerint, aut non dilucide expoſuerint interpretes, nos illis accurate explicandis hanc noſtram potiſſimum conſecrabimus operam.

§ V.

Verba ſic ſimpliciter vertenda eſſe putamus, ut verſiones multae recentiores exprimunt: *Et ultimus ſtabit ſuper pulverem*, nempe האל ille, ſeu Redemtor vivens, in quo omnem ſalutis futurae ſpem collocaverat. In verbis nulla occurrit difficultas, ſunt enim plana, ſenſus vero difficilior viſus eſt interpretibus, multisque eorum crucem fixit. Satis hoc apparet, ſi prae-

praecipuas et celebriores veterum cumprimis interpretationes conſulimus. Targum ita ſenſum expreſſit: *Et ego ſcio, quod Redemtor meus vivit, et quod poſtea redemtio eius in pulvere ſtabit;* unde non exacte colligi poteſt, quidnam auctor eius ſibi voluerit. LXX Interpretes haec cum ſequentibus coniungunt, adeoque ſic reddunt: *Novi enim aeternum eſſe* (*f*) *Redemturum me, ut in terra* (vel ſuper terram) *reſuſcitet cutem meam, quae haec perpeſſa fuerat.* Verba Graeca ita habent: Οἶδα γὰρ, ὅτι ἀέννααός ἐϛιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ γῆς ἀναϛῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα. Non ipſa haec verba citat, ſed ſenſum tantummodo voluit exprimere *Clemens Romanus*, cum loco ſupra iam citato ait: Καὶ πάλιν Ἰὼβ λέγει, καὶ ἀναϛήσεις τὴν σάρκα μου ταύτην, τὴν ἀναντλήσασαν ταῦτα, *et rurſus Iob dicit: Et carnem meam hanc reſuſcitabis, quae omnia haec paſſa eſt.* Aliter eadem verba a *Theodotione* translata ſunt, indicante id *Chryſoſtomo*: Ὁ μὲν Θεοδοτίων ἐκδοὺς, ὁ ἀγχιϛεύς μου ζῇ, καὶ ἔϛχατον ἐπὶ χώματος ἀναϛήσει, πείθει συνάπτειν τοὺς δύο ϛίχους, καὶ οὕτως ἀναγινώσκειν; οἶδα γὰρ, ὅτι ἀέννααός ἐϛιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ γῆς ἀναϛῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα, *Theodotion, cum interſione ſua ſic expreſſerit: Redemtor* (propinquus) *meus vivit et ultimum ſuper tumulum exſuſcitabit, ſuadet, ut duos verſus coniungamus, hunc in modum legendo: novi aeternum eſſe Redemturum me ſuper terram, ut exſuſcitet cutem meam, quae perpeſſa haec fuerat.* Alias interpretationes, inprimis vero recentiorum, lubens praetereo, ne faſtidium creem lectoribus. Ea, quae dedimus, ſatis oſtendunt, quantopere hic fluctuarint, et quantopere, ut commodum alí-

quem

(*f*) Poteſt et ſic verti, immutata nonnihil diſtinctione: *Redemturum me in terra, ut reſuſcitet cutem meam.*

quem ſenſum elicerent, allaborarint. Neque negari etiam poteſt, locutionem hanc, *Stabit ultimus ſuper pulverem*, inſolentem videri, et lectoribus haud unum impedimentum afferre. Singulae voces aliquid habent difficultatis, cum ſint metaphoricae, atque ex genio et ritibus illorum antiquiſſimorum temporum illuſtrandae veniant. Eam ob cauſam, ut munere mihi impoſito recte fungar, tria erunt explicanda. 1°.) Quid per *pulverem* intelligat Iobus. 2°.) Quid ſibi velit, *ſtare ſuper pulverem*. 3°.) Quid ſit, *ſuper pulverem ſtare ultimum*.

§ VI.

Per עפר *pulverem*, video communiter intelligi aut terram in genere, aut ſpecialius pulverem ſepulchri. Priori modo cepit LXXviralis verſio, nam in illa legitur ἐπὶ γῆς, *in terra*, vel *ſuper terram*, poſteriori modo *Theodotion*, qui vertit ἐπὶ χώματος, *ſuper tumulum* (terrae aggeſtionem): uterque ſententiae ſuae aſſeclas reperiit. Et certe non incongruum ſenſum fundit illa interpretatio, quae Chriſtum verum et aeternum Redemtorem, ſive in terra, ſive etiam in ſepulchro Iobi, pede victrice ultimo mundi huius tempore conſiſtentem, repraeſentat. Concinnior tamen, niſi mea me fallat opinio, eſt illa, quam mox ſubnectam, expoſitio, affectum Iobi exprimit vividiorem, et ritui cuidam veteri, ad quem reſpicere in his Iobum perſuaſus ſum, prorſus eſt accommodata. Non deſunt, qui עפר humilem et contemtum Iobi ſtatum interpretentur, cum familiare ſit et ſacris et aliis ſcriptoribus, ut eum dicant *humi iacere et in pulvere*, qui propter egeſtatem aut miſeriam contemtui aliorum, vel certe neglectui, expoſitus eſt. Quibus haec interpretatio allubeſcit, Iobum de calamitate ſua, in qua tum temporis verſabatur, et ſimul de felicitate terrena, quam ſi-

ſibi redditum iri opinabatur, loqui exiſtimant. Oſtendimus autem antea brevibus, cur illa ſententia haudquaquam nobis probaretur; quae aut repetere, aut exaggerare, ſupervacaneum eſſet. Illud tamen monere non pigebit, ſenſum, qui, utpote metaphoricus, per ſe obſcurus iam eſt, ſi עפר accipias pro *ſtatu humili et abiecto*, multo etiam effici duriorem, quod linguarum peritis diiudicandum relinquo.

§ VII.

Ne diutius aliorum interpretationibus inhaerendo tempus teram, *pulverem* hic non intelligimus terrae, neque ſepulchri, neque campi aut curriculi, ut quidam, nec humilitatis; ſed ipſum Iobi corpus, quod ex terra et limo formatum, poſt mortem in cinerem et pulverem reſolvendum quoque erat. Homo etiam quamdiu in vivis ſuperſtes eſt, *pulvis* merito nuncupari meretur, ſi originem eius ſpectes, quae eſt ex terra et limo, quamque non Scriptura Sacra modo docet, ſed et ſapientia profana Gentilium agnoſcit, ex quorum ſcholis illa *Ovidii* fluxerunt Metamorph. Lib. I Fab. II:

Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat ſemina coeli,
Quam ſatus Iapeto, miſtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

ubi origo hominum ex terra et aqua, de qua mox nonnihil dicetur, traditur non obſcure. Hinc quoque illa *Iuvenalis* Sat. XIV. 34, 35:

——— ——— *quibus arte benigna*
Et meliori luto finxit praecordia Titan.

de

de quo luto Promethei multa commemorant ſcriptores veteres, quae lubens praetereo, quaeque illi per traditionem ab Hebraeis accepiſſe videntur. Abrahamus, ſanctiſſimus ille Patriarcha, etiam de corpore ſuo virenti neutiquam affirmare erubeſcit, illud nil eſſe, niſi cinerem et pulverem, אנכי עפר ואפר Geneſ. XVIII. 27. Et ille, cuius verba iam ponderamus, Iobus, mortales nobis eleganter et emphatice depingit ceu habitantes in tuguriolis ex limo coactis Iob. IV. 9. Per tuguria autem illa πηλινὰ, corpus terreum noſtrum non inepte intelligitur; vide totum ordinem rerum, et conf. cap. X. 9, XXXIII. 6, quemadmodum Philoſophi Pythagoraei et Platonici corpus nonnunquam ſolent appellare γήϊνον ἄνθρωπον *hominem terreum*, quo ipſum id diſtinguunt a parte hominis meliori, ſive animo, cuius illud ceu tunicam et ut tabernaculum conſiderant. Eodem modo quidam, interque illos, quod miror, viri ſummi, *Druſius* et *Grotius*, ſed male, explicant τὴν ἐπίγειον ἡμῶν οἰκίαν τοῦ σκήνους, 2 Cor. V. 1. Quam enim patiebatur locus Iobi, phraſeos huius certe energicae explicationem, huius dicti Paulini reſpuit συνάφεια. Σκῆνος quidem, id eſt, *tabernaculum* dicitur corpus noſtrum, ſed ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους, ſignificat aut vitam corporis, ut voluit *Methodius* (g), aut habitaculum eius

(g) *Methodius* apud *Photium* in Biblioth. Cod. CCXXXIV p. 486 edit. Hoeſchel. [919]: Ἐπίγειον οἰκίαν τὴν ἐνταῦθα βραχύβιον ζωὴν καταχρηστικῶς λεπτέον, καὶ οὐ τὸ σκῆνος τοῦτο· εἰ γὰρ ἐπίγειον οἰκίαν καταλυομένην τὸ σῶμα τίθεσθαι αὐτὸν νομίζετε; Φράσατε τὸ σκῆνος τί ἐστιν, οὗ ἡ οἰκία καταλύεται, cet. id eſt, *Terrenum habitaculum, hic per catachreſin intelligenda venit brevis, quae hic vivitur, vita, neque confundendum cum Tabernaculo* (quod ſtatim ſequitur) *nam ſi terrenum habitaculum, quod diſſolutum iri dixit, pro corpore poſuit, ſcire velim, quidnam ſit Tabernaculum, cuius demoliendum ſit habitaculum.* Vide plura apud ipſum *Photium*.

eius terrenum, id est, ipsum mundum. Quicquid sit, illud certum est, corpus nostrum, e terra procreatum, recte idcirco terram nominari posse. Si veteres Grammatici id recte perpendissent, meliorem longe, atque vulgo solent, rationem nobis reddidissent, cur apud Poëtarum vetustissimos, tam multi γηγενεῖς *terrigenæ*, quos et gigantes utplurimum appellant, commemorentur. Nemini paulo humaniori ignotum est, antiquissimorum heroum plerosque, tanquam terra prognatos, nobis repræsentari. Talis fuit Achelous, talis Antaeus, talis Iapetus, et innumeri alii, quod multi veterum de terra per σωματοποιΐαν intelligunt. Aliquanto rectius *Servius* in 1 Georg. Virgil. vs. 9: *Achelous terrae filius fuisse dicitur, ut solet de his dici, quorum per antiquitatem latent parentes.* Verius tamen adhuc rem expediviſſet, si ad communem omnium hominum originem respici dixisset, quam Poëtae indicabant, cum alia propior ipsos deficeret. Bene *Hesychius*, Grammaticorum doctissimus: Γηγενεῖς ἄνδρες γυναῖκες, *viri pariter et mulieres*, et paulo post in voce Γηγενῶν· κατὰ κοινὸν δὲ πάντες ἄνθρωποι νοοῦνται γηγενεῖς· καθὸ τὴν ὑπόςασιν ἐπὶ γῆς ἔχουσι, forte legendum ἐκ γῆς vel ἀπὸ γῆς (*), *in genere vero omnes homines intelliguntur per* γηγενεῖς, *quoniam ex terra compositi sunt.* Et quid multa? Nonne lingua sancta *hominem* אָדָם nuncupat, quia ex אַדְמָה *terra* ortum duxit? Ex quibus perspicitur, quam recte Iobus se ipsum *pulverem*, seu *terram*, vocare non dedignatus fuerit.

§ VIII.

(*) Addatur et hoc *Hesychii*: Γηγενής· ὁ ἐκ τῆς γῆς τὴν γένεσιν ἀσχηκώς. Apud eumdem v. Γηγενῶν pro ἐπὶ γῆς *Heinsius* legendum censet ἐκ γῆς, *Pricaeus* et *Kusterus* ἀπὸ γῆς, non dissentiente *Albertio*.

§ VIII.

Quodſi vero Iobus, cum originem ſuam ultimam memoria repeteret, pulverem cogitabat merito, ſequo et corpus ſuum nihil aliud eſſe fatebatur, ipſa veritate adactus, multo magis id licebat ei, ubi, quid poſt mortem futurus eſſet, animo ſuo volutabat. Ex terra proprie non efformantur omnes homines, quantumvis inde communis eorum origo derivetur, at omnes in terram redeunt, haec omnibus mortalibus lex inevitabilis poſita eſt. Antequam aliorum exemplo diſcere id homo poſſet, noverat tamen nihilominus ab ipſo Deo edoctus, Gen. III. 19: *In ſudore vultus tui, pane veſceris, donec ad terram reverteris, quoniam ex illa ſumtus es,* כי עפר אתה ואל עפר תשוב, *quia pulvis es, et ad pulverem reverteris*, ubi non modo eamdem habemus ſententiam, ſed etiam iisdem verbis expreſſam, quibus hic Iobus uſus eſt. Id vero eſt, quod vates ſacer et Θεόπνευςος dicit *conticere in pulverem mortis*, Pſ. XXII. 9. Cumque eo ſenſu, vere et ſine ullo tropo aut figura, homo pulvis dicatur, haec cauſa eſt, cur diſtingui videamus inter corpus et pulverem, tanquam corpus vivum nondum revera pulvis ſit, ſed talis demum evadat poſt obitum et corruptionem. Sic regius Pſaltes diſtinguit Pſ. XXX. 10: *Quidnam lucri ex ſanguine meo ſperare potes, ubi in foveam demiſſus fuero,* היודך עפר, *numquid pulvis confitebitur tibi, numquid veritatem tuam annuntiabit?* Pulverem opponit corpori viventi et florenti. In illo laudare Dominum, integrum erat ſibi, non item, poſtquam ſemel illud in pulverem concidiſſet. Sic Tobias quoque de ſe loquitur cap. III. 6. in precatione ſua: *Iube, ut recipiatur ſpiritus meus, ut dimittar,* καὶ γένωμαι γῆ, *et terra fiam.* Et iam hoc experientia magiſtra tenent omnes indubie. Quam videmus

aliorum fuiſſe ſortem, eam nos effugituros non eſſe, certo ſcimus. Non obſcurum igitur poterat eſſe cuiquam, quid ſibi vellet Menelaus, cum popularibus ſuis ob ſocordiam male cupiens, precatur apud *Homerum* Iliad. H. 99,

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε·

Sed vos quidem omnes aqua et terra fiatis,

id eſt, *in pulverem redigamini*; neque opus eſt, ad intelligendam *Homeri* ſententiam, Philoſophorum dogmatibus, quae vetus interpres ad eum locum adferre non neglexit: Καὶ Ξενοφάνης·

Πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα.

ἐκ γῆς γὰρ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ, *ſimili modo Xenophanes dixit:* „ *omnes ex terra et aqua* „ *procreati ſumus,*" *nam omnia ſunt ex terra, et in eamdem omnia deſinunt.* Vide et *Euſtathium* p. 668 fin. Iis alia quoque ſimilia huc pertinentia legi poſſunt apud *Gatakerum* de Stylo Novi Teſt. cap. VI col. 48, et in Cinno Miſcellan. Lib. II cap. X col. 327. Etſi autem forſitan *Homerus* aliud voluerit dicere, quam putant eius interpretes, id nos tamen nunc non morabitur. Alia vero ex ſcriptoribus profanis, quae extant permulta, adferre ſuperſedeo, praecipue, quoniam ſaepenumero, ubi pulveris mentio fit et cineris, cineres corporis, pro more illorum temporum combuſti, intelligere oportet. Obſcurum iam nemini eſſe poteſt, quam appoſite Iobus, corpus mortuum menti ſuae praeſens quaſi ſiſtens, et corruptionis memor, ſe pulverem vocet. Certe cum de ſe, ut mortuo, cogitabat, non poterat, quin de pulvere cogitaret. Hanc autem veram eſſe Iobi ſententiam,

tiam, ex dicendis paulo poſt intelligetur apertius. Et non parum profecimus in noſtra cauſa, ſi pulverem, de quo loquitur Iobus, ipſum eius corpus eſſe, evicimus. Quocunque enim modo locutiones, quae nunc ſequuntur, explices, poſito ſemel illo fundamento, quod iam iecimus, ſalva eſt ſpes, quam teſtatur, futurae ſuae reſurrectionis. Quidnam enim de pulvere ſollicitus fuiſſet, niſi pulverem illum ſuo tempore in corpus mutandum rurſus eſſe, credidiſſet? Vix parem, ne dicam maiorem corporis ſui curam geſſit, dum viveret ac ſentiret, quam cum exanimatum illud oculis mentis ſuae ſubiicit.

§ IX.

Ordo nunc requirit, quo tela coepta pertexatur, ut quaenam ſit *de ſtatione Redemtoris ſuper pulverem* noſtra ſententia, exponamus. Ne tamen videamur de induſtria diſſimulaſſe, quid aliorum coniecturae habeant roboris, illae quidem, at brevibus, recenſebuntur. Ad duas autem claſſes non incommode omnes hae interpretationes aliorum redigi poſſunt. Altera eſt claſſis eorum, qui קום in coniugatione *Kal*, id eſt, ſignificatione *Standi* accipiunt, eo ſenſu, quem vulgo exhibent Latinae interpretationes: *et ille ſtabit ſuper pulverem*; altera eorum eſt, qui קום, in coniugatione *Kal* poſitum, ſignificationem nihilo ſecus *Hiphil*, id eſt, *tranſitivam* hic obtinere autumant, quorum proinde ſi ſequamur mentem, verba ita erunt vertenda: *Et ille conſtituet, eriget* (me) *ſuper pulverem.* Qui priorem amplectuntur interpretationem, in reddenda particula על rurſum diſſentiunt, cum eorum nonnulli *contra pulverem* vertant, reliqui *ſuper pulverem.* Adeo hic in diverſa abeunt interpretes. Omnes vero pulverem aut ſepulchri aut terrae intelli-

gunt. Celeberrimus *Cocceius*, et qui cum eo faciunt, Redemtorem a Iobo conſiderari volunt, ceu ſtantem *contra pulverem ſepulchri*, et poteſtatem eius immi-nuentem, ſuum autem corpus ex captivitate tam tetra aliquando liberaturum. *Supra terrae pulverem*, aut *ſupra Iobi ſepulchrum ſtantem* Redemtorem alii re-praeſentant, tanquam victorem, qui, contra mortis tru-culentiam et hoſtium omnium inſultus, pro fidelibus ad ultimum usque iudicium excubias agere velit. Sunt, qui de reſurrectione Chriſti haec prolata a Iobo eſſe dicant, quorum hariolationem iam pluribus non tan-gimus. Docet ipſa huius loci inſpectio, Iobum de ſe loqui, Redemtorem autem, non tanquam reſurrectu-rum, ſed tanquam viventem, ſibi ob oculos ponere. Videamus quoque, quid ſentiant, et quibus argumen-tis ſententiam ſuam propugnent, qui voci קום *Hi-phili cam* ſignificationem tribuunt, quaſi יקום poſi-tum eſſet pro יקים aut potius pro יקימי *et conſtituet me ſuper pulverem.* De reſurrectione corporis ſui ver-ba facere Iobum, non pauci iudicant. Eo inclinant interpretes Graeci, quorum verba § v fuerunt addu-cta. Eum ſenſum expreſſit *B. Lutherus* in verſione Germanica: *Er wird mich von der Erden aufferwec-ken*, ut alios brevitatis cauſa praeteream. Et certe, ſi *Hiphilica* ſignificatio locum omnino habere debet, non video, quid contra hanc explicationem iure ob-iici poſſit. Omnia potius illam adiuvant. Fruſtra a viris nonnullis eruditis obtenditur, aliud eſſe קום מעפר *ſuſcitare ex pulvere*, quod de mortuis praedi-cari recte poſſit, aliud rurſum קום על עפר *ſuſcitare ſuper pulverem.* Nam ſi pulvis in genere ſignificat pulverem ſepulchri aut terrae, ut volunt illi, quibus haec explicatio placet, elegans profecto eſt ſenſus: *Etſi terram ſubire cogor, vivit tamen Redemtor meus,*

is

is vero aliquando ſuper pulverem me conſtituet, ut eum, qui mihi nunc dominari videtur, pedibus tum conculcem. Navis argumentis non utuntur, qui reſtitutionem hic ſibi fingunt temporalem, nam cum pulverem intelligant ſtatum humilem, abiectum, conſtitutionem et erectionem ſuper pulverem interpretantur, ut quivis facile videt, commutationem ſortis miſerae in ſtatum honeſtum et glorioſum, qua ratione S. Scriptura alias dicit, Deum humiles protrahere ex pulvere, Pſ. CXIII. 7, et 1 Sam. II. 8, ubi tamen differentiam aliquam inter illas et noſtri loci φράσω haud immerito obſervamus.

§ X.

Res ipſa poſtulat, ut, cum ſuperiores explicationes reiecerimus, cauſas etiam, quae nos ad id impulerunt, lectoribus declaremus. De priori interpretum genere, qui verbo קוּם ſignificationem nativam *Kal* h. l., uti fere ſemper, concedunt, aliud quod dicam, non habeo, niſi explicationem noſtram, quam dabimus illico, ſenſum efficere elegantiorem, ſtatum quoque Iobi magis afficere, connexionem reddere concinnam et facilem, ac denique moribus illorum, id eſt, antiquiſſimorum, temporum inniti, uno verbo, toto huic Iobi vaticinio vitam quaſi et robur addere. Quod ad poſterius interpretum genus attinet, qui קוּם in ſignificatione *Hiphil* accipiunt, negare nolumus, illorum interpretationem non una de cauſa nobis diſplicere. Perpendat quis, ſepoſito, uti par eſt, omni partium ſtudio, verba Hebraica, et dicat, an non duricer tractanda, et contorquenda admodum ſint, ut talem inde elicias ſenſum. Quod ne fruſta dixiſſe arguamur, operae pretium erit annotare 1°.) conſimiles permutationes coniugationum non quidem plane eſſe inuſitatas,

ſed in iis effingendis caute tamen eſſe verſandum, et inprimis, quod Criticorum cordatiſſimi bene monuerunt, uſum omnino attendi debere. Quid enim? Si ubique pro lubitu has coniugationum diverſas ſignificationes ſecum invicem permiſcere licet, an non ubique incertus dimittitur lector?. An non finis, propter quem diſtinctio inter coniugationes inſtituta eſt, plane perit? Exemplum afferunt pro ſententia ſua ſtabilienda: aequum proinde eſt, ut illud penſitemus. Legimus Amoſ. VII. 2, 5, מי יקום יעקב (*h*), *quis ſuſcitabit vel eriget Iacobum?* Itaque, exemplum habemus, ubi קום in coniugatione *Kal* poſitum, ſignificationem tamen *Hiphil* habet. Verum a.) quam raro ea vox hac ſignificatione occurrat, vel exinde clare ſatis colligitur, quod unicum hoc, quantum memini, eius rei exemplum in medium fuerit allatum. b.) Leviſſima hic contigit mutatio τοῦ ו in ה, cum notum ſit, literas אהו ſaepiſſime inter ſe permutari. c.) Quod ante omnia attendi meretur, ipſa totius orationis ſeries hunc ſenſum ſua ſponte legentibus offert, quoniam alius vix locum habet. Et certe, ſi regula communis, ad augendum affectum, aut varietatis, aut denique elegantiae cauſa infringenda eſt, fieri id ſic oportet, ut ab omnibus non obeſae naris hominibus intelligi illico poſſit, alioquin ſenſus non robur accipit atque vires, verum debilitatur. 2°.) illud negligendum minime eſt, verba iſtiusmodi *Hiphilica*, quae ac-

(*h*) Nolui hoc argumentum aliis plane adimere. Alioquin non deſunt, qui alio modo hunc locum vertant. Celeb. *Cocceius* in Lexico: *Quis (vel qualis aut quomodo) ſtabit Iacobo?* in voce קום col. 742. *Tremellius*, interpres ſolidiſſimus: *Quis ſtabit (ſuperſtes erit) Iacobo?* In eamdem ſententiam abeunt *Kimchius*, *Calvinus*, *Mercerus*, *Druſius*, *Liveleus*, aliique.

accurate et ex analogia ſenſus reſpondent coniugationi *Kal*, aut nomen aut ſaltem ſuffixum ſibi depoſcere aliquod, per quod ſignificatio eorum determinetur. In exemplo, quod nobis obiicitur, clare id videmus expreſſum. Non ibi ſimpliciter ponitur יקום, utpote quod in ſignificatione *Hiphil*, per ſe, ſine ſubiecto, cui tribuitur, ſenſum diſtinctum non conficit, ſed additur יקעב, *Quis ſuſcitabit Iacobum?* Sic itidem in aliis exemplis, quae iam ſupra pro eadem ſententia habuimus prolata, Pſ. cxiii. 7, מקמי מעפר *qui me erigit ex pulvere*, et 1 Sam. ii. 8, מקים מעפר דל *qui erigit ex pulvere egenum.* Sine illo ſubiecto, quod exprimitur, ſententia hiulca eſſet, et nonniſi divinanda. Eodem modo ſe res habet in controverſis Iobi verbis. Nam ſi קום ſignificatione *Hiphil* accipias, ita proprie vertendus eſt locus: *Et conſtituet ſupra pulverem.* Nemo non videt ſententiam eſſe mancam, et ex coniectura ſupplendam, cum totus locus, et ipſum hoc verbum per ſe iam obſcurum ſit. His de cauſis mirum nemini videbitur, ſi קום ea coniugatione, qua expreſſum eſt, et eius coniugationis quoque ſignificatione, hic ſumendam eſſe, contendamus.

§ XI.

Stare igitur, in quo ſitu corporis Iobus ſibi repraeſentat Redemtorem ſuum, opponitur *caſui* et *ruinae*, Ierem. viii. 4, היפלו ולא יקימו *An cadent, et non amplius ſurgent.* Elegans hic eſt oppoſitio. Sibi mortuo adiungit Redemtorem viventem, ſibi in pulverem mortis coniecto, et περιπτωκότι, comitem adſciſcit ſtantem, qui igitur, quod ſibi deeſſe intelligit, ſupplere poſſit. Verum tota vis huius locutionis

nis ex prioribus petenda eſt. Nam cum עפר ipſum Iobi corpus hic intelligendum eſſe dixerimus, indicandum eſt, quid inde ſibi promittat auxilii et ſolatii, quod Redemtorem ſupra corpus ſuum in pulverem redactum ſtare perſuaſus ſit. Pedibus ceteroquin conculcare ſolent corpora aliorum, qui eis ſive vivis, ſeu mortuis inſultare cupiunt. Hinc me tacente planum eſt, ſingulare aliquid animo ſuo concepiſſe, et verbis his exprimere voluiſſe Iobum. Apud Graecos, et eorum quidem antiquiſſimum *Homerum*, qui aetatem Iobi, adeoque mores illius temporis, inter omnes ſcriptores profanos, proxime attingit, ſimiles reperio locutiones ſatis frequentes, ἐπιβαίνειν, περιβαίνειν et ἀμφιβαίνειν τῶν νεκρῶν, quae omnes etſi vix aliter, quam *mortuos protegere*, Latine verti poſſint, in nativo tamen ſuo ſermone vim habent ſingularem, et ad mentem non minus, quam ad verba Iobi accedere videntur. Vide imprimis locum *Euſtathii* § 14 adductum. Quae res cum vix ac ne vix quidem aliorum induſtria fuerit illuſtrata, et tamen ad indagandum Iobi ſenſum conferat plurimum, diſtinctius paulo a me explicabitur. Non inficias eo, ἀμφιβαίνειν et περιβαίνειν in genere de defenſione quacumque uſurpari ſolita fuiſſe. Celeberrimus eſt, et a veterum permultis ſaepe, etiam in alia cauſa, citatus hic verſus *Homeri* Iliad. A. non procul ab init. [27],

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,

Audi me argenteo arcu inſignis (Apollo), *qui Chryſen protegis.*

Eodem modo *Aeſchylus* in VII contra Thebas vſ. 180, 181,

Ἰὼ φίλοι δαίμονες
Λυτήριοι, ἀμφιβάντες πόλιν,

Hoc

Heu dilecti dii
Liberatores, civitatem propugnantes.

ubi Scholiastes vetus ἀμφιβαίνειν interpretatur per *circumire*, quod est custodum, quamquam mox, veluti se corrigens, ad illum *Homeri* locum paulo ante productum, et quidem recte, respici auguretur. Alia nunc praetermitto. Si quis autem *Homerum* eiusque doctissimos interpretes cum attentione consulat, dubium vix ei erit, quin initio illa locutio propria quasi fuerit curae, quam gesserunt mortuorum, et horum protectioni. Id satis ex *Homero* observari potest. Et sic ad eumdem *Moschopulus* in Iliad. A. 37. Optime id ab *Hesychio* observatum fuit. Sic enim is scribit: Ἀμφίβασις, ὑπὲρ νεκροῦ μάχη· περιβάντες γὰρ τὸν νεκρὸν, ἐμάχοντο περὶ τοῦ σώματος, ἵνα μὴ σκυλευθῇ· ἀπὸ δὲ τῶν ἀλόγων ζώων ἡ μεταφορά, Ἀμφίβασις *dicitur pugna pro mortuo. Certabant enim de cadavere, illud circumstantes, ne spoliaretur. Metaphora autem a brutis tracta est* (*). Duo hic occurrunt notatu digna, unum, quod ait ἀμφίβασιν proprie dici pugnam pro mortuorum corporibus, quam breviter describit, et de qua nos mox plura, alterum, quod id loquendi genus ab animalibus tractum esse addat, quod postremum non plane intactum praeteribimus.

§ XII.

Ab animalibus translatam fuisse hanc dictionem ἀμφιβαίνειν νεκρῶν, animadvertit *Hesychius*. Nec hoc *Eustathium* latuit, doctissimum *Homeri* interpretem, qui in Commentariis suis p. 588, eadem fere tradit, λέ-

(*) Conf. *Apollonii* Lex. Hom. p. 106, 107, 547. ed. Tollii.

λέξιν nempe deſumtam eſſe a quadrupedibus, ἅτερ ἀμφιβαίνουσιν, ἤγουν ἀμφὶ τὰ σκυμνία βαίνουσιν ὑπερμαχοῦντα ἐκείνων, *quae* ἀμφιβαίνουσιν, id eſt, *catulos ſuos circumſiſtunt et pro iis pugnant.* Vide eumdem ad Iliad. A. 37. Duplex autem celebratur apud veteres in brutis ἀμφίβασις, ἀμφίβασις nempe propriorum catulorum, ad quam reſpicit *Euſtathius*, et ἀμφίβασις quoque hominum, et hominum quidem, quod non negligendum, demortuorum. Prioris ἀμφιβάσεως illuſtre exemplum habemus apud *Homerum*, ex quo, ſi quid recte iudico, illa Grammaticorum obſervatio defluxit. Nam ubi certamen Graecorum et Troianorum ſuper mortuum Patrocli corpus, fertili calamo depingit, hanc comparationem inſtituit Iliad. P. vſ. 132 ac ſeqq.,

Αἴας δ' ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας
Ἐιςήκει ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν,
Ὥι ῥά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσονται ἐν ὕλῃ
Ἄνδρες ἐπακτῆρες, ὁ δέ τε σθένεϊ βλεμεαίνει,
Πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται ὄσσε καλύπτων·
Ὡς Αἴας περὶ Πατρόκλῳ ἥρωϊ βεβήκει.

Aiax vero Menoetiadae (Patroclo) *ſcutum latum obtendens*
Adſtitit tanquam aliquis leo circumeundo defenſans ſuos natos,
Cui catulos ducenti occurrerint in ſylva
Viri venatores, hic autem prae robore truces oculos volvit,
Totumque ſupercilium deorſum trahit, oculos tegens:
Sic Aiax Patroclum heroëm circumiens protegebat.

Verum mortuorum non ſolum ſuorum catulorum, ſed et hominum geſſiſſe curam animalia, et ab iis omnem iniuriam avertiſſe, narrant ſimul et mirantur rerum naturalium ſcriptores. De Calvo Romano commemorat

sat *Aelianus* Hist. Animal. Lib. VII cap. X, eum bello civili implicitum in acie cecidisse, hostes vero non prius caput amputare illi, aut alio modo illudere potuisse, quam canem, παρεζῶτά οἱ καὶ ὑπερμαχοῦντα τοῦ κειμένου, *prope ipsum constitutum, et prostratum cadaver pro viribus protegentem*, occidissent. Eodem capite refert, Pyrrhum Epirotam, cum iter aliquando faceret, incidisse in canem παρεζῶτα νεκρῷ πεφονευμένῳ καὶ φρουροῦντα τὸν δεσπότην, *cadaveri domini sui interemti adstantem idque custodientem*, ne, postquam occisus iam esset, caedi quoque violatio corporis adderetur, quale quid etiam refertur 1 Reg. XIII. 24, 28. Haud vero dissimile est, hanc ob causam in monumentis veterum canem aut simile quod animal bellicosum positum fuisse, in signum veluti protectionis, qua et post mortem suos frui cupiebant. De Diogene Cynico memorat *Diogenes Laërtius* Lib. VI, in vita eius sub finem, ἐπέζησάν τε ἐπ' αὐτῷ κίονα, καὶ ἐπ' αὐτῷ λίθου Παρίου κύνα, *erexerunt super illius tumulum columnam, et super columnam canem ex lapide* (marmore) *Pario*. Epigramma huic columnae additum erat, quod, cum in Graecia versaretur, vidit *Sponius*, uti testatur in Itinerario p. 94 edit. German. Exstat quoque in Anthologia, ubi legi potest Lib. III p. 419 [tom. III p 292]. Est et aliud Epigramma *Antipatri* in Anthologia Graecorum manu exarata, quod magis scopo nostro inservit, quod vocem ἀμφιβαίνειν retinet, quodque nescio, an editum (*) hactenus fuerit:

α. Εἰπὲ

(*) Epigramma hoc, cum quadam lectionis varietate ac sua interpretatione Latina, edidit *Leichius* in Epigrammatibus Sepulchralibus (Lipsiae 1745) p. 12, unde retulit *Reiskius* in Anthologia *Constantini Cephalae* Num. 618, et *Brunckius* in Analect. vol. II p. 31 inter Epigrammata *Antipatri* Sidonii Num. XCI; quod me docuit Cl. *Wyttenbachius*.

α. Εἰπὲ λέον, φθιμένοιο τί πρὸς τάφον ἀμφὶς βέβηκας
Βούφαγε, τίς τᾶς σᾶς ἄξιος ἦν ἀρετᾶς;
β. Τῖδος Θευιδώροιο τελευτιᾷ, ὃς μέγα πάντων
Φέρτερος ἦν, θηρῶν ὅσσον ἐγὼ κέκριμαι.
Οὐχὶ μάταν ἕσταμαι· φέρω δ' ἔτι σύμβολα ἀλκᾶς
Ἀνέρος· ἦν γὰρ δὴ δυσμενέεσσι λέων.

A. Dic Leo, quid tumulum mortui circumstas?
Bovium devorator, quis dignus erat fortitudine tua?
B. Filius Theodori hic post obitum recumbit, qui inter homines
Tantum excellebat fortitudine, quantum ego animalia superare iudicor.
Non frustra hic constitutus sum. Symbola etiamnum praefero
Virtutis illius viri. Nam et is inimicis leonem se praestabat.

Haec de ἀμφιβάσει animalium dicta sufficiant. Redeamus ad illam περίβασιν et ἀμφίβασιν, quam esse pugnam super mortuum corpus, ex *Hesychii* verbis supra indicatum iam fuit.

§ XIII.

Prolixius est hoc argumentum, quam ut brevi dissertatione pertractari queat; aperienda enim eius origo, pandendae causae, describendus quoque modus esset. Verum nihilominus, quoniam eo lobum respicere puto, et sic eo more tota vis effati huius nititur, quae dixi, in breve sunt contrahenda. *Origo* eius mo-

mortis non uni alicui genti propria fuit, ſed ex communi potius omnium populorum conſenſu derivata. Nulla enim gens tam barbara fuit, tam immanis, quae non mortuorum ſuorum eximiam curam gerendam eſſe putaret. In piis, qui veram Religionem, et cum Religione ſpem futurae vitae, traditam a Deo, mente imbiberunt, hoc mirandum non eſt. Mirari vero ſubit, cur caeci gentiles, qui de reſurrectione corporum non modo nihil habebant cognitum, ſed qui praeterea (*i*) eam ne potentia quidem Divina effici poſſe credebant, in curandis et cum honore tractandis defunctorum corporibus adeo operoſi fuerint. Quis neſcit, Graecos et Romanos honeſtam et, ſi fieri id poſſet, magnificam ſepulturam aliis rebus omnibus praepoſuiſſe? Barbarorum hac in parte περιεργείαν miratur *Tullius* Tuſculan. Lib. 1 cap. 45: *Condiunt Aegyptii mortuos, et eos domi ſervant: Perſae etiam cera circumlitos condunt.* Verbo, tam late patet haec mortuorum cura, ut ea lex habenda ſit, non apud aliquos ſcripta, ſed nata apud omnes, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſint, quam ipſa naturae vox, et per hanc id quoque ipſis vel invitis, vel imprudentibus dictitarit, non eſſe ceſſatura etiam poſt mortem et poſt reſolutionem in cinerem, condita corpora, quod quidem, licet verbis pernegatum, rerum teſtimonio confitebantur. *Cauſam* vero inſtituti huius aliam adferre non poterant, quam honeſta ſepultura nihil eſſe (*k*) religioſius, nihil (*l*) honorifi-

(*i*) Vide *Pearſonum* in Symbolum p. 272, et locum *Aeſchyli* ex Eumenidibus productum. In qua Tragoedia ipſa rerum connexio inſpicienda erit a vſ. 643 et ſeqq.

(*k*) Nota ſunt haec et pervulgata. Vide tamen inprimis *Servium* in VI Aen. 176, ubi ait: *Eos, qui de pietatis generibus ſcripſerunt, primum locum in ſepultura eſſe, voluiſſe*, etc.

(*l*) Hinc locutiones illae frequentes τιμὴν τάφῳ, *ſepulchro*

ficentius, quemadmodum e contrario ultimum reputabatur dedecus, relinqui inſepultum, canibus et feris expoſitum iacere, quod toties *Homerus*, Tragici, et Poëtae omnes inculcant, adeo quidem, ut Atreus Ennianus apud *Ciceronem* Lib. I Tuſcul. cap. 44, fratri ſuo mala omnia imprecatus, vitam miſerrimam, et mortem longe crudeliſſimam, hanc quaſi malis omnibus coronidem imponeret:

Neque ſepulchrum, quo recipiatur, habeat, portum corporis:
Vbi, remiſſa humana vita, corpus requieſcat a malis.

§ XIV.

Haec de origine et cauſis iſtius moris, quae locutionem Iobi non proxime illuſtrant. Aliam enim illi homines habebant ἀμφιβάσεως ſuae τῶν νεκρῶν cauſam, aliam ſpectabat Iobus, cum eamdem rem ſibi exoptaret, aut potius certo promitteret. Plura nobis ſubminiſtrabit ipſe ἀμφιβάσεως, de qua loquimur, modus, quem ſpirant Iobi verba. Itaque, licet ἀμφίβασις, de qua nunc ſermo eſt, curam mortuorum pro fundamento haberet, et ex illa dimanaverit, tamen non curam mortuorum omnem, ſed eam ſubinnuit, quae mortuis ſic praeſtabatur in bello, ut ipſorum corpora ab omni ulteriori iniuria hoſtium ſarta tectaque manerent. Idcirco ἀμφίβασις exponitur μάχη ὑπὲρ νεκρῶν, *pugna pro mortuis*. Vide *Heſychii* verba § 11 allata. Idem auctor alibi: Περιβῆναι, πεπτωκότος ὑπερασπίσαι, ὑπερμαχῆσαι, Περιβαίνειν *proſtra-*

thro aliquem honorare. Vide *Homerum* Iliad. II. 456; *Aeſchylum* in VII c. Theb. vſ. 1054. Qualia imprimis ſaepe in Inſcriptionibus ſepulchralibus apud *Gruterum* et *Reineſium* occurrunt.

ſtratum illi dicuntur, qui eumdem protegunt et pro illo pugnant. Sic vetus *Homeri* interpres paſſim loquitur. Tota res ita ſe habet. In acie fortiter pro patria pugnantem occumbere, uti hodie, ita nec tum inglorium putabatur. Illa potius ſententia fortium virorum animis inſederat, quam *Horatius* exprimit Carm. Lib. III Od. 2. 13,

Dulce et decorum eſt, pro patria mori.

At poſt mortem, hoſtium cedere poteſtati et victorum ludibrio patere, ignominiae erat ſummum faſtigium. Nihil ſeu victoriam ſuperantis, ſeu contumeliam victi et eius amicorum, adeo reddebat inſignem, quam ſi occiſus, nequicquam prohibentibus ſuis, a parte victrice raperetur, armis et inſignibus omnibus ſpoliaretur, et ad ultimum denique honeſta ſepultura privaretur. Inde atrox illa contentio de corpore Sarpedonis apud *Homerum* Iliad. Π, et inprimis de corpore Patrocli ab Hectore interfecti, quam toto libro P. Iliados idem Poëta deſcripſit. Qui ſic mortuorum corpora protegebant, νεκρῶν περιβαίνειν dicebantur. Tale exemplum habes etiam in Aphareo, Meſſeniorum rege. Vide *Pauſaniam* Meſſen. p. 120, 121 [283]. Adde *Herodotum* Lib. IX cap. 22, 23, 27. Egregie quoque res haec illuſtratur exemplo Epaminondae, corpus Pelopidae mortuum, ut credebat, circumſtentis et defendentis, apud *Plutarchum* in Pelopida P. 510 edit. Steph., qui locus eſt inſignis, ubi de Epaminonda, corpus Pelopidae, qui mortuus credebatur, defendente: Ὑπὲρ τοῦ σώματος καὶ τῶν ὅπλων ἔξω προελθών, καὶ διεκινδύνευσεν πρὸς πολλοὺς μόνος, κ. τ. λ. Quantum ad verba perquam ſimilis eſt verbis Iobi. Adde eiusdem vitam Lyſandri p. 822. Et hae erant quidem partes totius exercitus, operam dare, ut interemti, ex campo et proelio vindicati, cogna-

gnatis et amicis ſuis redderentur; verum tamen praecipue id exigebatur ab amicis, qui, in hoc caſu, mutuum ſibi praeſtare auxilium, per ſanctiſſimas amicitiae leges, tenebantur. Ea cauſa fuit, cur in vetuſtis hiſtoricorum monumentis, duos plerumque amicos et fidiſſimos comites, una in proelium euntes, cernamus, qui cum alias ſuppetias ſibi ferebant, tum vero inprimis, ſi alteruter cecidiſſet, pro virili annitebantur, ut corpus ſodalis ſui, ex hoſtium poteſtate redemtum, honeſtae ſepulturae mandarent. Tales fuerunt apud *Homerum* Achilles et Patroclus, Diomedes et Sthenelus, Aeneas et Pandarus, apud *Virgilium* Niſus et Euryalus, Aetolus et Arcas apud *Statium* Lib. X Theb. Ab his iure exſpectare et promittere ſibi poterant ἀμφίβασιν, eo usque, ut qui officio huic piiſſimo defuiſſet, nullo poſtea loco haberetur. Tacere itaque *Homerus* hoc dedecus non potuit in Idaeo, qui, interfecto fratre, fuga inhoneſta ſaluti ſuae potius, quam honori et fratris et ſuo, fortiter reſiſtendo, et corpus mortuum protegendo, conſulere voluit, Iliad. E. 21,

Οὐδ' ἔτλη περιβῆναι ἀδελφειοῦ κταμένοιϊν

Neque ſuſtinuit protegere fratrem ſuum interemtum.

Vide et de Hectore et Sarpedone Iliad. Π. 538 ſeqq. Perquam eleganter ſane illa mortuorum protectio Graecis vocatur ἀμφίβασις, περίβασις, et quod magis ad locutionem Iobi accedit ἐπίβασις. Priores duae voces ex dictis hucusque ſatis illuſtrantur. Nam qui mortuos defendere volunt, prope ipſorum cadavera conſiſtant, oportet, donec in locum aliquem tutum transferantur, et id ipſum eſt ἀμφιβαίνειν et περιβαίνειν, cadavera circumire, et periculum, ubi imminet, propulſare. Sed nec ratione ſua caret, quod eamdem

rem

rem vocarent ἐπιβαίνειν, quemadmodum *Homerus* de Menelao Patrocli corpus defendente Iliad. P. 574,

Βῆ δ' ἐπὶ Πατρόκλῳ καὶ ἀκόντισε δουρὶ φαεινῷ·

quasi dicas,

Et stetit super Patroclum, et iaculatus est hasta fulgenti.

Vnde, quod oppido memorabile est, *Eustathius* in Iliad. E. p. 516 ἐπίβασιν, aut περίβασιν ita circumscribit: ἔξι δὲ περιβῆναι τὸ ἐπάνω τοῦ νεκροῦ στάντα, ὑπερμαχῆσαι, *est autem* περιβῆναι, *cum quis super mortuum stans, corpus eius protegit.* Quae quantam habeant similitudinem cum verbis Iobi, non potest non illico patescere.... Ita et scriptores Iudaici loquuntur, Iudaeos impios in inferno post menses duodecim igne plane absumi, tum vero iustos stare super pulverem ipsorum, וצדיקים עומדין על אפרן של פשעים. Ita Ialkut *Schimoni* fol. 88. col. 3. Adde eumd. in Zach. fol. 86. col. 4, *Eisenmengeri* Iudaism. retect. Tom. II cap VI, p. 355. Etsi autem pedibus proprie in cadavere mortui non consistebant protectores eius, rectissime tamen dici poterant, super mortuum stare, quoniam prope eum constituti, clypeo suo quoque illum, adeoque aliqua saltem corporis sui parte, obtegerent. Explicat ergo hunc ritum *Homerus*, quando Iliad. Θ. 331. canit,

Ἀλλὰ θέων περίβη καὶ οἱ ὀάκος ἀμφεκάλυψε·

Sed accurrens protexit, et ei scutum praetendit.

Neque raro accidebat, ut, qui mortuum protegentes, ipsi quoque in hac sua statione occiderentur,

ſuper corpus aliquamdiu protectum caderent. *Homerus* Iliad. II. 661.

——— ——— πολέες γὰρ ἐπ' αὐτῷ
κάππεσον. ——— ———

Multi enim ſuper ipſum ceciderunt.

Virgil. Lib. IX. Aen. 444, 445.

Tum ſuper exanimem ſeſe proiecit amicum
Confoſſus, placidaque ibi demum morte quievit.

Ex his iam liquere arbitror, *quid ſit* קוֹם עַל עָפָר *ſtare ſuper pulverem*, vel *corpus mortuum in pulverem redactum.*

§ XV.

Contra haec vero id primo loco obiici poſſe videtur, quod ritus ille τῆς ἀμφιβάσεως, de quo hactenus verba feci, ex Graecis ſcriptoribus tractus et explicatus fuerit, cum ille Iobo potuerit eſſe plane ignotus. Huic iam obiectioni, licet ſpeciem prae ſe ferat aliquam, non difficulter ſatisfaciemus. Nam 1°.) cum diverſa tempora gignant diverſos mores, diverſi mores vero diverſos animi ſenſa exprimendi modos procudant, non obſcurum eſt, quasdam apud *Homerum* phraſes, cum illis, quae Sacris ſcriptoribus ſunt familiares, haud levem habere (*m*) convenientiam, quoniam, uti tem-

(*m*) Alia exempla occurrunt, quae hoc illuſtrant. Sic *pangere foedus* veruſtiſſimi ſcriptores dicunt *ſecare foedus*, Hebraei כרת ברית, Graeci ὅρκια τάμνειν, vel τέμνειν. Phra-

tempore, ita vivendi, agendi, adeoque cogitandi modo, ſemet attingunt proxime. Et poſſumus obſervare, *Homerum* ritum hunc non ſolis Graecis adſcribere, verum et Troianis, et tot diverſis gentibus, ex quibus exercitum eorum conſtitiſſe, ipſe teſtatur. Nec eſt, quod quis dicat, apud Hebraeos vix ac ne vix quidem ſimile proſtare exemplum, apud Graecos vero frequenter occurrere. Niſi enim *Homerus* bella cruenta literis mandaſſet tam accurate, ubi ſaepe res poſtulabat, ut moris tam notabilis fieret mentio, forſitan omnis eius memoria intercidiſſet. Quae enim rariſſima exſtant huius phraſeos apud ſequiores ſcriptores exempla, unice ex *Homero*, ut obſervant vetuſti interpretes, explicantur. Et profecto, etiamſi *Homerus* non fuiſſet, res ipſa tamen olim fuit. 2°.) Dictio haec ad naturam ipſius rei adeo eſt accommodata, eamque exprimit, ut mirum non ſit, ſi in pluribus linguis occurat. Idem volunt Hebraei, cum protectorem vocant מָגֵן, quam vocem, explicationis cauſa, ὅτι Lxx plerumque reddunt, non ἀσπίδα, clypeum, verum ὑπερασπιστήν, hominem, qui clypeo alium tegit, et ſuper illum clypeum ſuum extendit. Vide Pſ. XVIII. 2, LXXXIV. 9. Scutum vero alicui obtendere et ἀμφιβαίνειν τινός, ſynonyma eſſe, § ſuperiori annotavimus. 3°.) Et ipſa quoque Sacra Scriptura non obſcure teſtatur, morem iſtiusmodi Iudaeis fuiſſe non minus, quam aliis gentibus, uſitatum.

Phraſes hae explicandae ſunt ex ritu, quo veteres in pangendo foedere utebantur, et quem multi expoſuerunt. Voces ipſae et phraſes occurrunt in Scriptura Sacra et in *Homero*. Nec ſcio nunc et memini, utrum eadem locutio apud Scriptores alios occurrat. *Homeri* in multis non levem cum dictionibus Scripturae Sacrae convenientiam plures iam animadverterunt et expoſuerunt. Vide *Basnage* Hiſtoire des Juifs Liv. III chap. XX § 4.

tum. Legimus itaque, Saule Israëlitarum rege interemto, labesitas non ante quieviſſe, quam corpora Saulis et filiorum eius, ignominiae a Philiſtaeis expoſita, in libertatem vindicaſſent, et honeſtae ſepulturae mandaſſent, Lib. 1 Sam. XXXI, 11, 12. Quid hoc aliud eſt, quam ἀμφίβασις? Vt taceam Ritzpae exemplum 2 Sam. XXI, 10, et alia quae afferri poſſent. Nihil vero clarius hanc ipſam ἀμφίβασιν ex Iudaeorum traditionibus declarat, quam quod Iudas Apoſtolus vſ. 9. de certamine Michaëlis et Satanae ſuper corpus Moſis refert, de quo iamiam plura. Obiicere praeterea quis poſſet, differentiam eſſe inter περιβαίνειν νεκροῦ, et *ſtare ſuper pulverem*, νεκρὸν enim in priori phraſi intelliguntur corpora recens mortua, et ſepulturae adhuc mandanda, cum *pulvis* in phraſi poſteriori, non corpus humandum, ſed corruptum iam et in pulverem redactum, ſubinnuere videatur. At quis neſcit, locutiones ex publico et domeſtico uſu depromtas, ad res ſpirituales tranſlatas fuiſſe oppido frequenter a Sacris ſcriptoribus? Exemplo ſit elegantiſſima illa πανοπλίας Chriſtianae deſcriptio, quam habemus in epiſt. ad Eph. cap. VI, cui exponendae viri eruditiſſimi utilem adhibuerunt operam. Loquens igitur Iobus de mortuo ſuo corpore, et ſpem oſtendens, qua erat fretus, fore, ut illud ab omnibus hoſtium ſuorum aggreſſibus, omnipotenti Dei cura, tutum conſervaretur, phraſi uſus fuit ad rem hanc perquam accommodata, niſi quod protectionem ſui corporis ulterius extenderet, quam uſus communis ſenſu et ex illo nata phraſis poſtulabat. Communiter ἀμφίβασις νεκροῦ opponebatur inimicis, qui corpus modo mortuum ignominia afficere, et in primis tumulo, portu quietis, arcere vellent. At Iobus ἀμφίβασιν, quam pollicetur ſibi a Goële, non opponit hoſtibus corporeis, quos potius poſt exantlatas tot aerumnas contemtui habet, verum hoſtibus ſpiritualibus, qui exuvias corporis ſui etiam in ſepulchro laedere poſ-

ſent,

ſent. Inter illos hoſtes eminebat ipſa mors, quam ſibi appropinquantem cernebat, cap. XVII. Huius tamen victoriam, quam de corporibus ſuis reportabit, brevem et aliquando convertendam eſſe confidunt homines pii ac fideles, et ex certamine, quod pro ſe ſuſcipit potentiſſimus Servator, ſciunt certiſſime. Conf. 1 Cor. XV. 25, 26, 55. Hoſtibus illis annumeranda venit corruptio, quae pulcherrimum Dei opus non modo exanimat, verum et diſpergit, ut de eius reſtitutione deſperandum eſſet, niſi etiam ille pulvis diſperſus iaceret ſub ἀμφιβάσει et cuſtodia Omnipotentis Dei, qui, ut ſe quoque conſolatur David, *oſſa omnia cuſtodit, ne vel* (*n*) *unum deperdatur*, Pſ. XXXIV. 21. Quam emphatice Iobus reſpectu huius corruptionis, quam memoria ſua repetit cap. XIII. 28, XVII. 3, 14, de Goële ſuo dixerit, *ſtabit ſuper pulverem*, non opus eſt, ut perſequar pluribus. Tandem metuendus mortuis eſt Diabolus, fidelium accuſator, qualis commemoratur in hoc libro Iobi cap. I. 6, 9, II. 3, 4, qui iuſtos nocteque dieque criminum reos peragere tentat, Apoc. XII. 10, qui imperium in eos iam mortuos ſibi arrogat, unde Iudae vſ. 9 legimus, Michaëlem Archangelum contendiſſe cum Diabolo περὶ τοῦ σώματος Μωσέως, *de corpore Moſis*, ubi habemus corpus mortuum hominis pii, contentionem ſuper eo corpore inimici ſpiritualis, et Goëlem corpus hoc vindicantem; nam per Michaëlem doctiſſimi Theologi ipſum Servatorem intelligunt. En igitur exemplum prorſus ſimile illi, quam expliçamus, rei, et qui-

(*n*) Iudaei ſic interpretantur, unum remanere in ſpina dorſi os aliquod duriſſimum, לוז appellatum, quod nunquam putreſcat, ex quo oſſiculo integrum corpus aliquando reſtaurandum ſit; de qua illorum opinione videri poteſt Clariſſ. *Daſſovius*, de Reſurrect. Mort. cap. III § 3, 4.

quidem ex antiquiſſimis Iudeorum traditionibus derivatum. De auctore traditionis huius, deque libro, qui eam contineat, poſt commentatores in Iudae epiſtolam, dicere nihil attinet. Haud invitus vero in *Hugonis Grotii* concedo ſententiam, qui librum Conſtantinopoli, Venetiis, poſt a *Gaulminio*, et nuper a doctiſſimo *I. A. Fabricio*, editum ſub titulo דברי הימים של משה, eum non eſſe iudicat, ad quem reſpexerit illo loco Iudas. Nec eſt negligendum, quod idem vir illuſtris obſervat, in *Origenis* Homil. xxxv *in Lucam* [tom. III p. 973], *commemorari quoque certamen inter Angelos bonos et malos de ſalute Abrahae.* Hoc enim et rem noſtram et traditionem Iudaeorum illuſtrat. Cum hos cogitabat Iobus inimicos, et cogitabat certiſſime, quod ſatis ſuperque liber eius teſtatur, ſolatio ipſi erat ingenti, quod noſſet, *Goëlem ſibi adſtare, et corpus ſuum protegere.*

§ XVI.

Supereſt, ut dicamus, quamobrem Iobus Goëlem dicat ſtaturum eſſe ſuper pulverem, *ultimum.* Quam rem, quoniam parum habet difficultatis, paucis verbis expediemus. Illos praetereo, qui ad ipſum Iobum vocem אַחֲרוֹן *ultimus* referendam eſſe volunt, quaſi Iobus dicat, eum, qui iam ſit ultimus et viliſſimus omnium hominum, aliquando ſuper pulverem conſtitutum iri. Paucos enim aſſertores haec ſententia nacta eſt. Tantum non omnes de Goële intelligunt, quod res ipſa ſuadere videtur. An tamen eo ſenſu hic Goël ille dicatur ultimus, quo nuncupatur apud Eſ. XLIX. 6, et Apoc. I. 18, *primus* et *ultimus*, recte a viris eruditiſſimis in dubium vocatur, cum vis illius dictionis, in coniunctione utriusque epitheti *primi* et *ultimi*, conſiſtat. Melius rem ſe tetigiſſe exi-

exiſtimant, qui אחרון non ad perſonam, ſed ad tempus referunt, quaſi adverbialem hic ſignificationem illa vox poſſideret, *ſtabit ultimo vel poſtremo ſuper pulverem*, idque de die ultimo, die nimirum iudicii, interpretantur, utpote quem Petrus 1 Ep. 1. 5, nomine *temporis ultimi* inſigniat, quemque ipſe Servator *ultimum diem* appellet, Ioh. VI. 29. Omiſſis aliis ambagibus, vocem אחרון cum illa mox ſequenti יקום coniungendam eſſe puto, ita ut *ultimus* non referatur ad Redemtorem, ſed ad τὴν ςάσιν. *Stare* eſt hoſtibus reſiſtere, et pro aliquo pugnare. *Stare ultimum* victoriae indicium eſt, cum quis pugnando hoſtes omnes devicit, eosque cedere ſolo coëgit, verbo, cum quis in campo pulſis hoſtibus ultimus remanet. Egregie hoc exprimitur ab Apoſtolo Eph. VI. 13: *Idcirco aſſumite univerſam armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere*, ἵνα δυνηθῆτε ἀντιςῆναι, (quod eſt *ſtare* ſimpliciter) *tempore adverſo, et profligatis omnibus, ſtare* (quod eſt *ultimum ſtare*). Eleganter haec expoſitio et priora illuſtrat, et vicissim ab ipſis lucem accipit. De corpore ſuo erat ſollicitus Iobus, hoſtes eius iam demortui mente ſua perluſtrat, hoſtibus vero ſuis videt ſimul oppoſitum ἀμφιβαίνοντα, protectorem corporis, eumque in hoc munere felici ſucceſſu gaudentem, non modo hoſtibus non occumbentem, ſed viventem, aeternumque victorem, et in campo certaminis, pulſis et fugatis illis, ultimum remanentem. Poteſt igitur haec phraſis intelligi ratione temporis, ut ſibi promittat Iobus Redemtoris ſui praeſentiam et validiſſimam protectionem, quoad ſunt hoſtes, qui ſibi periculum aliquod portendant, ut quantumvis hoſtis unus alteri ſuccedat, eos omnes tamen exſpectaturus et fortiter excepturus ſit Goël ſuus. Spectant huc verba Pauli 1 Cor. XV. 24, 25: *Oportet* ipſum (Chriſtum) *imperio potiri, donec inimicos omnes ſibi ſubiecerit, ultimus*

mus vero hoſtis, qui debellatur, mors eſt. Eadem autem phraſis de victoria, ab omnibus hoſtibus reportata, intelligenda eſt. Non modo ſperat Iobus, Redemtorem ſuum hoſtes omnes operturum, verum et de iis ad ultimum usque devictis triumphaturum eſſe. Qui campum obtinet, et in eo ultimus conſiſtit, fugatis aut recedentibus adverſariis, illi victoriam adiudicare omnes ſolent. Vide ea de re hiſtoriam memorabilem apud *Plutarchum* in Parallelis Graecorum et Romanorum p. 291. edit. Froben, et *Stobaeum* Sermon. VII de Fortitudine p. 92. Sed haec multo ſunt notiora, quam ut ulla explicatione porro indigeant.

§. XVII.

Et hunc quidem ſenſum, quem hactenus interpretati ſumus, poſſe verbis Iobi tribui, nemo, ut puto, erit, qui diffiteri velit. Spes vero me tenet, fore quosdam, qui, rite perpenſa conditione miſeranda Iobi, examinatis omnibus iis, quae verbis expoſitis praebuere occaſionem, et denique conſultis illorum temporum moribus, prorſus mecum ſint illud agnituri, eum ſenſum ex verbis Iobi ſua ſponte fluere. Quod, ubi admiſſum ſemel eſt, concedi pariter oportet, totius huius vaticinii ſummam continere ſpem futurae reſurrectionis certiſſimam (*).

(*) Interpretationem hanc minus probari *Hufnagelio*, *Dathio*, *Doederleinio*, *Eichhornio*, *Moro*, *H. A. Schultenſio*, in annot ad verſionem Iobi Batavam p. 72—80, quis prudens aegre ferat? Nollem vero, expoſitio verborum Iobi, de ſpe vitae melioris poſt mortem felicitatisque ſempiternae, dicta eſſet a quopiam intoleranda et plane indigna interpretibus eruditioribus, in quibus tamen ſunm ſemper locum facile tuebuntur *Pearſonus*, *Witſius*, *A. Schultenſius*, *I. D. Michaëlis*, viri itidem pereximii et omni doctrinarum genere perpoliti.

EXER-

EXERCITATIO

DE

GENVINA ET PROPRIA SIGNIFICATIONE ΤΗΣ ΔΙΑΘΗΚΗΣ IN SCRIPTIS NOVI TESTAMENTI.

§ I.

Operae pretium eſt, in veram ſignificationem vocis Διαθήκη *inquirere.*

Cum ſcriptoribus Novi Teſtamenti Sacris placuerit, voluntatem illam Dei, gratiae et amoris pleniſſimam, qua credentibus, in Chriſto Filio ſuo, vitam aeternam in communione ſui poſſidendam decrevit, nobis ſub notione inprimis Διαθήκης depingere ac repraeſentare, facere illi operae pretium mihi videntur, qui in genuinam atque propriam huius notionis ſignificationem paulo curatius inquirunt. Neque enim citra graves cauſas factum eſſe, quivis haud invitus fatebitur, ut ſcriptores Sacri hanc Διαθήκης notionem aliis praetulerint, eaque frequentiſſime uſi fuerint: neque etiam cauſas illas perſpicuas eſſe cuiquam poſſe, facile intelligitur, niſi qui veram vocis huius, Apoſtolis adeo familiaris, ſignificationem, ex uſu linguae Graecae, ex ſtylo ſcriptorum Novi Teſtamenti, et ex mente ac ſcopo virorum Θεοπνεύστων, ſollicite expiſcatus fuerit.

§ II.

Διαθήκη *in communi Graecorum uſu Teſtamentum ſignificat tantum.*

Equidem, ſi ex ſolo linguae Graecae uſu communi ferendum eſſet iudicium, res haec omnis facillimo negotio componi poſſet. Etſi enim verbi Διατίθεσθαι, a quo formatur Διαθήκη, paulo latius pateat ſignificatio, et, ut verbis utar *Hugonis Grotii*, Annotatione in principium Matthaei, *diſpoſitionem* quamcunque, ſive fiat *lege*, ſive *ſponſione*, ſive *Teſtamento*, *comprehendat*, Διαθήκης tamen ſignificatio, ex conſtanti Graecorum uſu, paulo anguſtior eſt et adſtrictior. Significat enim Graecis Διαθήκη eam ſpeciatim diſpoſitionem, quae fit Teſtamento, qua teſtator heredibus certis ſua bona legat, poſt mortem ſuam poſſidenda. Sic igitur optimae ac vetuſtae Gloſſae Latino-Graecae exponunt, *Teſtamentum*, Διαθήκη, in Gloſſariis *Vulcanii* col. 212 et 345, et Gloſſae Graeco-Latinae, Διαθήκη, *Teſtamentum*, *Teſtatio*; Διαθήκη ἄγραφος, *Nuncupatio* (id eſt, Teſtamentum (*a*) non ſcriptum), Διαθηκόγραφος, *Teſtamentarius*, ibid. col. 426. In iisdem porro Gloſſis col. 624, et alibi, *Pactio*, *Sponſio*, *Pactum*, *Foedus* redditur non Διαθήκη, ſed Συνθήκη. Eodem modo *Theophilus* in ſua Inſtitutionum Iuſtiniani interpretatione Graeca, *Teſtamentum* ſemper reddit Διαθήκην. Qua de re, ne in producendis locis ſingulis

(*a*) Qualia erant antiquiſſima Romanorum Teſtamenta, cum primis Militaria, de quibus in Inſtitutionibus. Exemplum occurrit apud *Plutarchum* in vita Coriolani p. 395 edit. Steph.: Ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθιζαμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ Διαθήκας ἀγράφους γίνεσθαι, τριῶν ἢ τεττάρων ἐπακουόντων ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον. Adde *Theophili* verſionem Inſtitutionum Lib. II Tit. XI.

lis prolixior ſim, videri poſſunt titulus: *Qui Teſtamento dari poſſint tutores, vel non*, itemque titulus *de Teſtamentis ordinandis*, porro *de militari Teſtamento*, et ſequentibus. Ex quibus unicum hunc locum, qui Διαθήκης definitionem ſubminiſtrat, adſcribam ex titulo *de Teſtamentis ordinandis*, ubi Graeca ex editione Tornaeſii ita concepta leguntur: Ἡ δὲ Διαθήκη παρὰ Ῥωμαίοις λέγεται *Teſtamentum*, ἐντεῦθεν δεξαμένη τὴν ἐτυμολογίαν, quod teſtatio mentis ſit, ἐπειδὴ μαρτυρία διανοίας ἐστί· καὶ γὰρ μαρτυρίαν ἔχει τῆς τοῦ τελευτήσαντος διανοίας. Textus originalis ita habet: *Teſtamentum ex eo appellatur, quod teſtatio mentis eſt.* Ideoque *Guil. Budaeus*, in Commentariis linguae Graecae, non, ut quidam memoriae prodiderunt, Διαθήκην utrumque et *Foedus* et *Teſtamentum* ſignificare ſcribit, ſed voci huic *Teſtamenti* ſignificationem tantum tribuit: Διαθήκη, inquit, *et pluraliter* Διαθῆκαι *pro Teſtamento ponitur, et pro hereditate, quae ex Teſtamento obvenit*, p. 506, 507 edit. Rob. Steph. Neque aliud, niſi hoc, probant loca, ab eodem, in ſequentibus, ex *Iſocrate* et *Iſaeo*, Oratoribus Graecis, in medium allata, quae apud ipſum auctorem legi et expendi poſſunt. Veſtigia *Budaei* legit *H. Stephanus* in Theſauro, eiusque Epitomator, *Iohannes Scapula*, ut qui Διαθήκην accipi etiam pro Foedere et quovis pacto largiuntur quidem, ſed hanc ſignificationem nonniſi ex verſione τῶν Lxx et ex ſcriptis Novi Teſtamenti eruere laborant.

§ III.

Exceptionibus quorumdam, inprimis Hugonis Grotii, ſatisfit.

At enim obſtat auctoritas viri magni *Hugonis Grotii*, cuius iudicium, quod cauſae meae inimicum de-

pre-

prehendo, non parum quidem mihi metuendum, ſed non ſilentio tamen involvendum eſſe, duco. Si illum audimus, ſignificatio τῆς Διαθήκης non minus late patet, quam τοῦ Διατίθεσθαι. Nam cum in Annotationibus ſuper initium Matthaei de uſu vocis Διατίθεσθαι quaedam diſſeruiſſet, de quibus nulla nos inter diſſenſio eſt, iſta ſubiungit: *Cui conſequens eſt nomen* Διαθήκη, *aeque late patens; nam et* Teſtamentum *frequentiſſime deſignat, et pro* ſponſione *ponitur apud* Ariſtophanem, *et pro* legibus *uſurpatum eſt ab Orphicis et Pythagoriſtis. Nam hi praeſcriptas ſuo gregi vivendi normas* Διαθήκας *vocabant;* in cuius iudicii rationes, antequam progredimur, paulo attentius inquirendum nobis eſt. Ait vir ſummus, Διαθήκην Graecis *diſpoſitionem* quamcunque ſignificare, etiam quae fit *ſponſione* (in pactis nempe et foederibus) et *lege*, ut nimirum in hunc ſenſum loca Novi Teſtamenti pleraque, in quibus Διαθήκης vox occurrit, exponi poſſint. Provocat hanc in rem ad *Ariſtophanem*, qui Διαθήκην poſuerit pro *ſponſione*, vel pactione. Locus ille *Ariſtophanis*, quem *Grotius* deſignat, ſi mentem eius percipio, extat in Avibus p. 561., 562. edit. Genev., hunc in modum conceptus [vſ. 439 ſq.].

— — μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ·
Ἢν μὴ διάθωνταί γ' οἵδε διαθήκην ἐμοὶ,
Ἥνπερ ὁ πίθηκος τῇ γυναικὶ διέθετο.

quae ita Latine reddidit *Andreas Divus:*

— — *Per Apollinem, ego quidem non,*
Si non diſponant hi teſtamentum mihi,
Quod Pithecus uxori diſpoſuit.

non commode, fateor, nec ad mentem Poëtae Comici appoſite. Si enim, quae ſequuntur apud Poëtam, ri-

te

te penſitentur, dubium ſupereſſe nemini poteſt, quin ſermo ſit de pactione, quae rata eſt tantum inter vivos. Recte Scholiaſtes Διατίθεσθαι explicat per Συντίθεσθαι, *ſpondere* et *paciſci*. Sed quis neſcit, Poëtas, praecipue Comicos, in cudendis vocibus, aut vocum ſignificationibus ſemper fuiſſe liberiores? Ex eo, quod ſemel et forte iterum apud Poëtam Comicum invenitur, communem Graeci ſermonis uſum aeſtimare velle, res foret non optimi exempli. Paulo maiorem ſoliditatis ſpeciem prae ſe fert, quod *Grotius* addit, Διαθήκην ab Orphicis uſurpatam eſſe pro *Lege*. Certe inter libros, *Orpheo* Poëtae vetuſtiſſimo tribui ſolitos, fuiſſe etiam Διαθήκας (*b*), partem operis maioris, quod ſub nomine ἱερῶν λόγων veteribus innotuit, fidem facit *Iuſtinus Martyr*, in Libro de Monarchia Dei p. 104. Verſus, quos ex illo opere adducit *Iuſtinus Martyr*, et alii (*c*) ex primitivae Eccleſiae Doctoribus plures, huiusmodi quidem argumentum perſequuntur, ut nomen *Legis*, genuinis nempe Orphei diſcipulis praeſcriptae, quod volebat *Grotius*, non male ipſis convenire videatur. Verum enim vero, cum praeter illa Fragmenta, nihil ad manus noſtras pervenerit, ex quo de Poëmatis illius indole (*d*) iudicare liceat, res ad meras coniecturas redit, nec, quae vera fuerit ratio, ob quam *Orpheus* verſus hos inſcripſerit Διαθήκας, certo pronuntiare poſſumus. Quodſi autem verus Poëmatis iſtius auctor aut Iudaeus quispiam fuit, aut Chriſtianus, ut viri eruditiſſimi

(*b*) Ita *Eſchenbachius* cenſet in Epigene Orphico p. 138.
(*c*) Vid. *Fabricii* Bibl. Graec. Lib. I cap. XIX p. 121.
(*d*) *Ralph Cudworth* true intellectual Syſteme cap. IV p. 300 ſqq. *Eſchenbachius* in Epigene Orphico, qui in detegendis impoſtoris huius veſtigiis admodum prolixus eſt, p. 140, 143 ſqq. *Fabricius* Bibl. Graec. Tom. I p. 121.

mi (e) non temere ſuſpicantur, quippe qui *Abrahamum*, *Moſen*, *veterum Legem* (nempe Moſaicam) et ſimilia commemoret, et ſatis luculenter deſignet, mirum non eſt, ſi, exemplo Lxx Interpretum, ſignificationem τῆς Διαθήκης paulo latius extenderit, quam ſcriptores alii communiter facere ſolent. Quando autem *Grotius* etiam Pythagoraeorum Διαθήκας (quaſi nempe dicas, *praeſcripta*, *leges*) inculcat, vereor, ne virum, tenacis alioquin memoriae, hic tamen memoria fefellerit. Pythagoraeorum ὑποθήκας veteribus commemorari ignarus non ſum. Vide *Iamblichum* in vita Pythagorae p. 23. Earum meminit etiam *Simplicius*, non ignobilis *Epicteti* Commentator, in Prooemio Commentarii in *Epicteti* Enchiridion p. 3 edit. Londin., κομματικοὶ δέ εἰσιν οἱ λόγοι καὶ γνωμονικοὶ κατὰ τὸ τῶν ὑποθήκων καλουμένων παρὰ τοῖς Πυθαγορείοις εἶδος, *dictio conciſa eſt et ſententioſa, qualis Praeceptionum, quas* ὑποθήκας *Pythagoraei dicunt, eſſe conſuevit.* Earumdem mentio occurrit apud *Hieroclem* in aurea Carmina p. 6, Διὸ καὶ ἐν ταῖς Πυθαγορικαῖς ὑποθήκαις τὰ τῶν ἀρετῶν παραγγέλματα πρῶτα παραδίδωσιν ἐν τοῖς ἕπεσιν ὁ λόγος. Quae ſic reddidit *Curterius*: *Ideo in Pythagoricis Praeceptis ea praemittuntur, quae de virtutibus praecipiunt.* Mihi dubium non eſt, quin has Pythagoraeorum ὑποθήκας in animo habuerit *Grotius*, etſi errore μνημονικῷ ſibi perſuaſerit, nuncupatas illas fuiſſe Διαθήκας, quemadmodum ſimili, et facile condonando lapſu, vir eruditiſſimus, et de bonis literis praeclare meritus, *Io. Alb. Fabricius*, easdem Συνθήκας appellatas fuiſſe ſcripſit, Biblioth. Graecae Lib. II cap. XII, Vol. I p. 469.

(e) *Ioſ. Scaliger* ad Fragmenta Veterum, in calce Operis de Emendat. Temp. p. 48. *Cudworthus* et *Eſchenbachius*, ubi ſupra.

p. 469 (*f*). Solet etiam in ſubſidium vocari *Heſychius*, cuius haec (*g*) eſt interpretatio: Διαθήκη, συνωμοσία, qui proinde nos docet, Διαθήκην Graecis etiam dici *coniurationem*, vel *Foederis conſociationem*. Verum illius, etſi doctiſſimi et utiliſſimi, Lexicographi rationem hic quidem habere non poſſumus, ſiquidem eruditiorum neminem latet, ipſum verſionem τῶν LXX diligenter triviſſe, et ex illa in Lexicon ſuum permulta tranſtuliſſe, quibus cur illa Διαθήκης interpretatio annumeranda non ſit, cauſam nullam video. Manet igitur hactenus certum, Διαθήκην in communi ſcriptorum Graecorum (*) uſu ſignificare, non generatim *diſpoſitionem quamcumque*, ſed ſigillatim *diſpoſitionem Teſtamentariam*.

§ IV.

(*f*) Ἰησοῦ ὑποθήκας habes apud *Origenem* adverſus Celſum Lib. II p. 128, 130. Extat *Galeni* liber, τῷ ἐπιλήπτῳ παιδὶ ὑποθήκη, quod vertitur, *conſilium puero, qui comitiali morbo laborat*. Vid. *Fabricius* Bibl. Graec. Vol. III p. 533. *Diogenes Laërtius* Lib. I § 61 Solone, γέγραφε — εἰς ἑαυτὸν ὑποθήκας. Ὑποθήκας τῶν ποιητῶν habes apud *Iſocratem* ad Nicoclem p. m. 32 et 52. Νόμους ὑποθέσθαι eſt *leges praeſcribere*, apud *Scymnum* Chium in deſcriptione Orbis vſ. 313, 314. Extat quidem inter libros *Galeni* Διαθήκη περὶ τῆς τοῦ ἀνθρωπείου σώματος κατασκευῆς, id eſt, *Praeceptum de humani corporis conſtitutione*, vide *Fabricii* Biblioth. Graec. Vol. III p. 531; ſed eſt exemplum hoc dubiae auctoritatis, ut norunt eruditi.

(*g*) Male editum eſt, Διαθήκη, συνομωσία. Videatur ipſe *Heſychius* infra v. Συνωμοσία.

(*) Exempla cumulavit *Albertius* Obſervat. ad Luc. XXIII. 49, p. 199, 200. Iunge *Markiandi* Coniecturas in *Lyſiam* p. 580, apud quem haec verba, ὁ γὰρ Κόνωνος θάνατος καὶ αἱ διαθῆκαι, ἃς διέθετο, κ. τ. λ. p. 345.

§ IV.

Apud LXX. *Interpretes ſignificatio vocis* Διαθήκη *latius extenditur, quod etiam in ſcriptoribus Novi Teſtamenti locum habere, quidam putant.*

Negari tamen non poteſt, ab uſu illo communi Graecorum recedere LXX Interpretes, apud quos, cum vocabulum Hebraicum בְּרִית commode (*h*) per Διαθήκην verti poſſe exiſtimaverint, ſignificatio τῆς Διαθήκης tam late patet, quam vocis Hebraicae בְּרִית, quare fieri non poteſt, quin Διαθήκη ipſis plura, quam *Teſtamentum*, *pactionem nempe et conventionem quamcumque*, ſignificet. Exempla ſunt innumera, ex quibus paucula haec decerpam. Gen. XXI. 27 de Abimelecho et Abrahamo legimus, καὶ διέθεντο ἀμφότεροι Διαθήκην, *et pepigerunt ambo Foedus*, 2 Sam. III. 13 David ſic ad Abnerem fatur, καλῶς· ἐγὼ διαθήσομαι πρός σε Διαθήκην, *bene, ego tecum Foedus paciſcar*. Apud auctorem Eccleſiaſtici XXXVIII. 37 Διαθήκη κρίματος, ut recte *Grotius* obſervat, nihil aliud eſt, quam *ius iudiciarium*. Abunde iam ex his, ne prolixior ſim, intelligitur, LXX Interpretes et Iudaeos Alexandrinos Διαθήκην ponere non pro *Teſtamento* ſingulatim, ſed pro quavis *diſpoſitione* et *pactione* generatim. Hoc ipſum vero difficultatem non levem peperit, virosque eruditos in eam induxit opinionem, ſcriptoribus Novi Teſtamenti, ut qui eidem Dialecto Alexandrinae aſſueti eſſent, qua uſi ſunt interpretes Graeci Veteri Teſtamenti, quique horum interpretationem aſſidue lectitarunt, et in ſcribendo ſaepiuſcule re-

(*h*) Illius rei cauſam ingenioſe profert *Grotius* in init. Annotationum in Matthaeum.

retinuerunt, Διαθήκην pariter proprie non dici *Teſtamentum*, ſed aliud quodcumque *pactum*. Quae eruditorum plurimorum opinio, quia non omnes inter ſe in omnibus conſpirant, paulo diſtinctius iam exponetur.

§ V.

Illorum, qui Διαθήκην in Novo Teſtamento, proprie, pactum ſignificare contendunt, ſententiae diſtincte proponuntur.

Sunt autem, qui lingua Alexandrinorum, quae Iudaeis, Graece loquentibus, vel ſcribentibus, LXX Interpretibus ac Novi Teſtamenti ſcriptoribus, peculiaris fuit, Διαθήκην idem plane ſignificaſſe velint, quod aliis Graecis communiter Συνθήκη deſignat, non *Teſtamentum*, ſed *Foedus*. In his princeps quodam ſuo iure cenſeri poteſt *Claud. Salmaſius*, qui verba inſtitutionis Euchariſticae Domini, *hic calix Novum Teſtamentum eſt in ſanguine meo*, illuſtraturus, *Teſtamentum* explicat per *Foedus*, hanc rationem ſubdens: Διαθήκη *lingua Alexandrinorum, qua ſcripta ſunt Euangelia et Apoſtolicae Epiſtolae, idem eſt quod* Συνθήκη, *pactum, Foedus*. Ita ille in Epiſtola de Transſubſtantiatione adverſus Grotium p. 541. Idque ex genio illius Dialecti Alexandrinae, alio loco, ſic illuſtrat: *Quod Helleniſticum eſſe contendunt, nos alibi Alexandrinum probamus. Tale eſt et* Διαθήκη *pro Foedere, quae aliis Graecis* Συνθήκη *dicitur, ut* διαβούλιον *iisdem Alexandrinis dicitur pro* συμβουλίῳ, Dedicat. commentarii de Lingua Helleniſtica p. 49. *Salmaſio* praeivit doctiſſimus aevi ſui Theologus, *Theod. Beza*, qui in verſione Novi Teſtamenti Latina Διαθήκην ſemper reddit *Foedus*, *pactionem* et *pactum*, excepto loco Hebr. IX. 16, 17, huiusque ſuae interpretationis rationem reddit in Annotat. ad Matth.

xxvi. 28, Gal. iii. 15. Commentatorum horum Criticorum iudicium vehementer probant quidam e ICtis, idque novis argumentis, a Foro petitis, communire ſatagunt. Vnus inſtar omnium ſit vir magni in orbe literato nominis, *Sam. Puſendorfius*, qui in Iure Feciali Divino § 47, poſtquam ſcripſiſſet, vocem Διαθήκη in unico loco Hebr. ix. 16, 17, pro *Teſtamento* accipi, et in aliis omnibus locis reddendam eſſe *pactionem* ac *Foedus*, non *Teſtamentum*, has rationes lectoribus offert: *Sane*, inquit, *uti ex elementis iuris cuilibet conſtat, inter Foedus et Teſtamentum ingens diſcrimen eſt; cum hoc ſit actus μονόπλευρος, illud δίπλευρος, ſeu ad Teſtamentum condendum unius voluntas ſufficiat, ad Foedus ineundum duarum voluntatum concurſus requiratur. Foedus quoque inter duos exiſtentes ſubſiſtit, et alterutro mortuo expirat: Teſtamentum autem non valet, niſi mortem obierit, qui id fecit. In Teſtamento bonum, circa quod diſponitur, tunc demum ad alterum tranſit, quando teſtatoris dominium per mortem deſiit: in foedere autem inter utrinque vivos, bona conventa communicantur. Si quis Teſtamentum repudiet, ac non adeat, teſtatori non videtur iniuriam facere, idque impune habet. Sed a foedere altera pars reſilire citra iniuriam non poteſt. Atque iſthaec, et forte plura alia, quae in Teſtamentum cadunt, in id vinculum, quod Deus cum hominibus iniit, adplicari non poſſunt.* Addit, interiectis quibusdam, Paulum ad Hebr. ix. 16, 17, *non ad ἀκρίβειαν diſciplinae iuris loqui, ſed laxiore vocis ſignificatione ludere.* Quamobrem in antecedentibus, de auctore verſionis Vulgatae Latinae, et de Teutonica Lutheri, ita iudicat: *Senſus longe clarior futurus fuiſſe videtur, retento Foederis vocabulo.* Hi igitur Teſtamenti ſignificationem in ſcriptis Novi Teſtamenti, ubi vox Διαθήκη legitur, excludunt, excepto unico loco in Epiſt. ad Hebr. ix. 16, 17, in quo ipſo

ipſo tamen nonniſi aliquem vocabuli luſum agnoſcunt. Sunt, qui media quadam via incedere malint, exiſtimantes, Διαθήκην, ſicuti vox illa a ſcriptoribus Novi Teſtamenti adhiberi ſolet, involvere quidem etiam *Teſtamenti* notionem, ſed ita tamen, ut proprie et primario *pactum* ac *Foedus* deſignet. Ita *Grotius*, qui, in Annotationibus ad initium Matthaei, prolixe, et, ut ſolet, erudite, ea de re diſputat, tandem tamen aliquanto propius ad noſtram ſententiam accedere videtur, omnia ſic concludens: *Apparet hinc, Latine hunc Librum Novum Teſtamentum dici non poſſe, niſi laxiore illa et recentiore vocis acceptione: non quod non proprie Teſtamentum ſit, quod eo continetur, (eſt enim voluntas Chriſti, morte eius confirmata) ſed quod eo ſenſu Vetus ei opponi non poſſit: quare aut* Foedus *dicendum, aut* Teſtamenti *vox extra uſus veteris et communis terminos producenda eſt.* Verum ita *Grotius* cenſet, Διαθήκην a ſcriptoribus Novi Teſtamenti vere et proprie poni pro *Foedere* et *pactione*, etſi aliquo ſenſu et vocis luſu ad *Teſtamentorum* rationem quoque nonnunquam reſpiciat. Eamdem ſententiam placuiſſe haud paucis ex noſtrae Eccleſiae Doctoribus, Commentarii ipſorum in Sacram Scripturam et Syſtemata Theologica luculenter teſtantur. Ex quibus unicum nunc nominabo, Academiae huius nuper Theologum meritiſſimum, *B. Holtzfuſium*, ex cuius Diſſertatione de Foedere Gratiae cap. I § 2, haec adſcribere non pigebit: *Graece appellatur* Συνθήκη, *quod Foedus et pactum, et* Διαθήκη, *quod* Teſtamentum *quidem. ſaepius autem in Novo Teſtamento* Foedus *ſignificat, ut* Luc. I. 72, Act. III. 25, VII. 8, Rom. IX. 4, Gal. III. 15, IV. 24, Hebr. IX. 16, VIII. 10. *Hinc quia Foedus hoc morte Chriſti confirmatum eſt, atque aliquid ex Teſtamento et Foedere mixtum habet, non male* Teſtamento-Foedus, *ſive* Teſtamentarium *vocatur; in quo tamen maior ratio Foederis,*

quam Teſtamenti habetur, quia hic mutua ſit conventio inter partes, conditiones utrinque ponuntur, ac Mediator datur. His plura ex aliis decerpta addere, ſupervacaneum foret.

§ VI.

Adſtruitur, Διαθήκην, *in Novo Teſtamento, proprie ſignificare Teſtamentum*, I. *ex uſu linguae Graecae.*

Quantumvis vero in univerſum inficias ire nolim, ſcriptores Novi Teſtamenti nonnunquam, ubi vocem Διαθήκη adhibent, *Foederis* notionem, cui ex uſu LXX Interpretum, aliorumque Iudaeorum Graece loquentium, aſſueverant, potius in mente habuiſſe, quam *Teſtamenti*, quo v. c. trahi poſſent loca Act. VII. 8, Hebr. IX. 4, illis tamen Theologis non poſſum non calculum adiicere, qui Apoſtolos, et caeteros ſcriptores Novi Teſtamenti Θεοπνεύστους, per Διαθήκην communiter, praeſertim, ſi ipſis ſermo ſit de voluntate Dei, qua credentibus communionem regni ſui in Chriſto decrevit, ac omnium maxime, ubi de eadem voluntate Dei loquuntur, quatenus morte Mediatoris confirmata iam eſt, quae vocatur *Novum Teſtamentum*, intelligere, non *Foedus* et *pactum quodcumque*, ſed *Teſtamentum* proprie ſic dictum, illiusque ideam auditoribus et lectoribus ſuis primario ingerere voluiſſe. Ne hic quidem *Foederis* notionem plane excludi cupio. Eſt enim *Foedus* cum *Teſtamento* coniunctum. Et *Teſtamentum* quidem intelligimus *gratioſam illam diſpoſitionem Dei de bonis ſuis, ab heredibus ſuis, ſub certis conditionibus, citra alienationis periculum poſſidendis. Foedus* vero, quod nititur *Teſtamento*, illique ſuperſtruitur, nobis dicitur *revelatio huius Divinae voluntatis, conditionum expoſitio, invitatio, denique*

que hominum ad conditiones Teſtamenti adimplendum, ſub certa ſpe adeundorum bonorum Teſtamenti. Eſt itaque *Teſtamentum*, de quo loquimur, *Foederale*; et, ut in ſequentibus oſtendemus, ad Foederum conditionem accedit quam proxime. Sed id volumus, ſcriptores Novi Teſtamenti Sacros, cum de illa voluntate Dei loquuntur, eamque Διαθήκην nuncupant, primario et proprie non *pactum quodcumque* aliud, ſed ſigillatim *Teſtamentum* deſignare et ob oculos habere. Quod ut idoneis argumentis adſtruamus I. *primo loco* memoria repeti velim, quod prolixe oſtenſum eſt § III, Graecos communiter hanc Διαθήκην inter et Συνθήκην poſuiſſe differentiam, ut vox prior, non pactum quodvis, ſed *Teſtamentum*, poſterior non Teſtamentum, ſed *Foedus*, ſeu *pactum* generatim deſignaverit. Quae differentia vocum cum ſcriptoribus Novi Teſtamenti ignota eſſe non potuerit, vero non eſt diſſimile, ipſos receptum hunc Graecae linguae uſum ſequi etiam voluiſſe. Alia quodammodo ratio erat LXX Interpretum, qui cum Alexandriae viverent, et urbis huius Dialectum imbibiſſent, id ex dialecti huius indole, praeſertim ſi *Salmaſium* audimus, trahere potuerunt, ut vocem Διαθήκης adhiberent in ſenſu laxiori, quam reliqui Graeci ſolerent. At de ſcriptoribus Novi Teſtamenti dici hoc neutiquam poteſt, qui, uti nec inter Alexandrinos fuerunt educati, nec Alexandriae vixerunt, aut ſcripſerunt, ſi unicum Marcum excipias, ita nec habuerunt cauſam, quamobrem hic a communi Graecorum uſu, ſibi non ignoto, diſcederent. Quinimo Lucam ſermone Graecorum comtiore fuiſſe imbutum, et ſcripta loquuntur, et apud omnes in confeſſo eſt (*i*). Paulum vero Apoſtolum, quo nemo ſaepius voce Διαθή-

(*i*) Exemplo ſint Prooemium Euangelii, L. 1—4, et loci complures in Actis Apoſtolicis.

θήκης utitur, protulit Cilicia, ſcriptorum Graecorum plurimorum, et eorum quidem diſertiſſimorum ac politiſſimorum ferax, in quorum lectione et ipſum operam poſuiſſe non indiligentem, certius eſt, quam ut quis facile inficias iverit. Praeterea LXX Interpretes Iudaeis ſcribebant, ac potiſſimum Graece loquentibus Alexandrinis. Verum Novi Teſtamenti ſcriptores maiorem rationem habebant Graecorum, i. e. eorum, qui e Gentium turba ad Eccleſiam Chriſti tranſiverant, et tranſituri etiamnum erant, eorumque ingenio, quantum quidem fieri poterat, ſcriptionem ſuam attemperabant. Et certe Graecos, ſive converſos ex Ethnicis, per Διαθήκην, de qua in ſcriptis Novi Teſtamenti ſermo eſt, *Teſtamentum* proprie ſic dictum intellexiſſe, mox palam faciemus.

§ VII.

II. *Ex indole illius conſilii et voluntatis Dei, quae* Διαθήκη *appellatur.*

Tanto vero minus II. a communi Graecorum uſu hic diſcedendum eſſe cenſeo, quod, ſi rem recte putemus, Sacri ſcriptores, ad commode exprimendam verbis nobisque repraeſentandam illam gratioſiſſimam Dei voluntatem, de qua loquuntur, vix aptiorem ac rei accommodatam magis notionem, quam illam *Teſtamenti*, qua utuntur, adinvenire potuiſſe videantur; quod *ſecundi argumenti* loco obſervari velim. Non equidem exiſtimo, ſcriptores Sacros, quando in hoc negotio notionem *Teſtamenti* aliis praetulerunt, ad omnia ICtorum praecepta, ac quae legibus circa diſpoſitiones Teſtamentarias cauta ſunt, digitum intendiſſe, ad quae proinde ea, quae ipſi de *Teſtamento* Divino tradunt, non moroſe nimis ac ſevere exigenda ſunt. Negari tamen non poteſt, omnia, quae communiter

in

in *Teſtamento* ſpectantur, quaeque *Teſtamenti* vocabulum unicuique illico ſuggerit, in illo Dei conſilio, quod Διαθήκην appellant ſcriptores Sacri, occurrere, et contemplationi noſtrae obiici. Eſt enim is *Teſtator* aliquis, qui heredes inſtituit, inque illorum gratiam de bonis ſuis ampliſſimis ac luculentiſſimis diſponit, *Deus*, et quidem certo reſpectu *Pater*, ex cuius *conſilio*, quod *ipſum inter et Filium* (*) *agitatum fuit*, Zach. VI. 13, tota illa diſpoſitio Teſtamentaria pendet; certo etiam reſpectu *Filius*, utpote quem tabulae Teſtamenti nobis repraeſentant, ceu ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας, illum *a quo proprie omnis ſalus* heredum Dei *derivatur*, Hebr. II. 10, vel ceu αἴτιον τῆς σωτηρίας, *cauſam ſalutis* illius, quam hereditate conſequuntur credentes, Hebr. V, 9, quippe cuius morte omnis illa Dei voluntas confirmata ac corroborata eſt. Quamobrem et ipſe, cum ſolemne *Teſtamenti* huius, iamiam confirmandi, Sacramentum inſtituiſſet, pro *Teſtatore* a diſcipulis haberi agnoſcique voluit, Κἀγὼ, inquit, διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ Πατήρ μου βασίλειαν, *Et ego vobis diſpono* (Teſtamento), *ſicut Pater mihi diſpoſuit, regnum*, Luc. XXII. 29. Adſunt 2. *Bona* locupletiſſima, tanto Teſtatore digna, quorum poſſeſſio illos certo manet, quos quidem Teſtator in Teſtamenti tabulis heredes ſcripſit; quae bona, ſi amplitudinem ſpectes, dicuntur *omnia*, Rom. VIII. 32, 1 Cor. III. 21, 22, ſi gloriae et ſplendoris, quo coruſcant, rationem habeas, *regni* nomine veniunt, Matth. XXV. 34, Luc. XXII. 29, ac paſſim. Commodiſſime autem a regio Vate diſpeſcuntur in *Gratiam* et *Gloriam*, Pſ. LXXXIV. 12, ubi nomine *Gratiae* ſignificatur bonum

(*) Interpretationem hanc verborum Zachariae *Venema* et alii dubiam fecere.

num quodcumque, praecipue ſpirituale, ac cum ſalute aeterna cohaerens, quod filii Dei, ceu heredes eius deſignati, iure hereditatis illius, in hac vita percipiunt; *Gloriâ* vero ipſum hereditatis coeleſtis immenſum pondus deſignat. Occurrunt 3. *Heredes*, et quidem certi, in tabulis Teſtamenti a Deo ſcripti, illi nempe, qui *per fidem filii Dei evaſerunt*, Gal. III. 26, *qui Deo cogniti ſunt*, Ioh. X. 27, 2 Tim. II. 19, quorumque *nomina in libro vitae conſignata extant*; ut mox videbimus. Illosque Deus ipſe, haud infrequenter, ſplendido nomine *heredum ſuorum*, vel *heredum regni ſui* dignatur. Porro, cum 4. dentur Teſtamenta conditionata, in quibus cavet Teſtator, ne heres ad fruitionem bonorum legatorum admittatur, niſi ſub certa aliqua conditione praerequiſita, cuius reſpectu ad naturam Foederum accedunt, hanc indolem quoque eſſe Teſtamenti Divini, ipſae tabulae Teſtamentariae teſtantur, qua de re infra aliquid adiiciemus. Neque 5. tacendum eſt, illas diſpoſitiones proprie dici Teſtamentarias, in quibus bona heredibus, nonniſi poſt mortem Teſtatoris, poſſidenda permittuntur, quaeque adeo per mortem Teſtatoris confirmantur, atque ſic demum ratae ac validae cenſentur. Quod quando in Teſtamento Divino pariter nos obſervare iubent ſcriptores Θεόπνευστοι, vel ex hoc luculentiſſime conficitur, eos per Διαθήκην intelligi velle Teſtamentum proprie ſic dictum. Ita autem Gentium Apoſtolus de hac Διαθήκῃ Divina diſſerit: *Itaque ob id Novi Teſtamenti Mediator eſt, ut* morte *ad redemtionem earum transgreſſionum* intercedente, *quae fuerant ſub priore Teſtamento, qui vocati erant, promiſſam aeternam hereditatem acciperent. Nam ubi* Teſtamentum *eſt*, mors intercedat Teſtatoris, *neceſſe eſt*. Teſtamentum *enim* in mortuis ratum eſt; *quandoquidem nondum valet, quum vivit Teſtator*, Hebr. IX. 15, 16, 17. Cumque 6. ex modo dictis per ſe conſequa-

tur,

tur, dispositionibus Testamentariis, si ad ius respicias, nihil esse certius et stabilius, easque, post mortem Testatoris, prorsus esse irrevocabiles et immutabiles, quando is, qui solus de bonis suis ex animi voluntate disponere potuit, esse desiit, adeoque voluntas eius, quam solemniter testatam fecit, nulli amplius mutationi obnoxia est, Paulus etiam animum nos appellere vult ad considerandum τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, *immutabilitatem* huius *consilii et voluntatis Dei*, Hebr. VI. 17, 18. Ob has sine dubio aliasque consimiles rationes, scriptores Sacri, qui, quando de rebus coelestibus differunt, sermonem suum moribus rebusque humanis et nostris loquendi modis attemperant, consilium gratiae Dei sub imagine *Testamenti* nobis repraesentare, adque illius rationes frequenter allude-re, non inconsultum duxerunt.

§ VIII.

III. *Ex istiusmodi locis Novi Testamenti, ubi* Διαθήκη *aliam, significationem, plane non admittit.*

Illud vero III. cumprimis urgendum esse existimo, id quod *tertium* nobis suppeditat argumentum, quod in nonnullis locis librorum Novi Testamenti, vox Διαθήκη nullam aliam, quam *Testamenti* significationem, admittere omnino possit. Quid enim in loco § superiori iam laudato, Hebr. IX. 15, 16, ubi Apostolus ait, Testamentum in mortuis ratum esse, nec valere, nisi mors Testatoris intercedat, Διαθήκη significabit, nisi *Testamentum* proprie sic dictum? Nam soli illi convenit, quod Apostolus hic de Διαθήκη praedicat. Quare *Theod. Beza*, qui Διαθήκην in sua Novi Testamenti versione constanter, non *testamentum*, sed *pactum* reddit, et quod mire-

ris (*k*), etiam com. 15. huius capitis, commate, tamen 16. et 17. *Teſtamenti* vocabulum ex Vulgata retinet, nec enim res ipſa aliud quid patiebatur. Merito id agnoſcit *Grotius*, ad initium Matthaei ſcribens: *Cum Graeca vox* Διαθήκη *uſitate admodum Teſtamentum denotet, non mirum eſt, ad hunc quoque vocis uſum alludi a Scriptore Epiſtolae ad Hebraeos* IX. 17. Adde eumdem ad Hebr. IX. 15, 16, 17, ubi tamen ſe ita cenſere declarat, hoc unico ſenſu et reſpectu Διαθήκην Divinam, quae ceteroquin pactum generatim ſubinnuat, Teſtamentum dici poſſe, quod morte Chriſti, ſicut in Teſtamentis fieri ſolet, voluntas Dei confirmata fuit. In hoc unico loco Teſtamenti acceptionem admittit *Pufendorfius*, cuius verba adiicere, a re non alienum erit. Sic autem ille in Iure Feciali Divino § 47: *Monendum eſt, in ſolo* Hebr. IX. 16, 17, 18, *quantum ego memini, id vocabulum* Διαθήκης, *Teſtamenti ſeu ultimae voluntatis ſignificationem obtinere. Nam* Gal. III. 15, *non neceſſum eſt, ut vocabulum* Διαθήκης *per Teſtamentum vertatur.* Intellexit nempe vir Illuſtris, in hoc poſtremo loco Galat. III. 15, vocabulum Διαθήκης, communiſſime accipi pro Teſtamento proprie ſic dicto. Et vix aliter cenſere poterit, quisquis ſine aliqua praeconcepta hypotheſi, verba illius loci accurate expenderit. Sic enim habent, Κατὰ ἄνθρωπον λέγω, ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην Διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ, ἢ ἐπιδιατάσσεται, id eſt, *Humana loquor, Teſtamentum quamvis hominis, ubi ſemel vim accepit, nemo irritum facit, aut aliquid ei ſuperaddit.* Quod ſane, ſi quicquam video, non de alia, quam Teſtamentaria diſpoſitione, capi commode poteſt. *Beza* tamen et *Hammondus* etiam h. l. vertunt

(*k*) Rem ipſam hanc probat, et rationibus tuetur *Henricus Hammondus*, in limine Annotation. in N. Teſtament.

runt *pactum*. *Grotius*, Διαθήκη, inquit, *hic significat promissum*. Cui non refragabor, si tale intelligatur promissum, quale in Testamentis locum habet. *Pufendorfius* hanc suae opinionis etiam addit rationem: *Cum* (h. l. Διαθήκη) *etiam solenne pactum audire possit, quod rite perfectum, mutationi non est obnoxium*. Verum profecto, uti dixi, vix verba Pauli aliter, quam de Testamento capi possunt. Respicit enim luculenter Apostolus ad τὸ ἀμετάθετον, uti Testamentorum, ita huius etiam voluntatis Divinae, quam eamdem ob rem Testamentum vocat. Lex potest abrogari, mutari, accessionibus quibusdam auctior fieri. Foedera a contrahentibus mutuo consensu tolli, aut aliquam in conditionibus, utrimque acceptis, mutationem subire possunt. At Testamentum, quando Testator, qui de suis rebus disponere solus potest, et voluntatem suam testatam fecit, iam ut esse, ita velle desiit, nulli amplius mutationi obnoxium est. Quare *Grotius*, in notis ad Hebr. IX. 15, observat, inter *Pacta*, Testamenta *esse perfectiora et nobiliora, quia morte testatoris secuta, nullam iam mutationem recipiunt*. Locis hisce, modo expensis, quid vetat addere verba, quibus ipse Sanctissimus Servator S. Coenam instituit? ut illa a tribus Euangelistis, et Paulo 1 Corinth. XI. 25, referuntur. Porrigens enim discipulis populum benedictum, sic fatus est, Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ Διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι, *Poculum hoc est Novum Testamentum in sanguine meo*. Nam quis dubitet, quin verbis hisce Dominus discipulis suis significaverit, Testamentum novum, cuius iam instituebatur Sacramentum, morte et sanguine Christi sancitum et confirmatum fuisse. Non equidem me latet, in Foederum sanctione sanguinem etiam victimarum adhiberi quondam consuevisse, cuius antiquissimi moris vestigia servat phrasis Hebraica כרת ברית, *pangere foedus*, vel proprio *secare foedus*,

LIBRARY OF THE

dus, ac paſſim in Scriptura occurrunt, praeſertim Gen. xv. 10, et Ierem. xxxiv. 18, ad quae loca Commentatores Critici multa ex profanarum gentium inſtitutis, huc ſpectantibus, congerunt, ſed quae iam praetermitto. Et ex hoc ipſo ritu veterum Foederali, *Hugo Grotius* verba inſtitutionis Dominicae explicanda eſſe voluit, in Annotat. ad Matth. xxvi. 28. At cui poteſt eſſe obſcurum, Chriſtum Dominum, in inſtitutione S. Coenae *de Sanguine Teſtamenti* loquentem, ſanguinem ſuum in cruce, in morte, fundendum, adeoque mortem ipſam ſubinnuiſſe, quo voluntas Dei Teſtamentaria confirmata eſt? 1 Cor. xi. 26. Quamobrem verba illa Domini, cum loco, cuius mentionem iam feci, Hebr. ix. 15, 16, 17, conferenda et ex eo explicanda ſunt. Et ne prolixior in his ſim, docet unus ille Pauli locus, qui merito primarius nuncupari poteſt, quo ſenſu Paulus ipſe Διαθήκην, cum in Epiſtola ad Hebraeos, in qua frequentiſſime legitur, tum alibi, accipi velit, et quomodo ſemper in iſthoc negotio intelligenda veniat.

§ IX.

IV. *Ex notione hereditatis, ſub qua rem eamdem Scriptura frequentiſſime deſignat.*

Nec vero IV. in ſolo Διαθήκης vocabulo, eiusque in ſcriptis Novi Teſtamenti uſu, omne cauſae noſtrae praeſidium collocamus. Obſervamus enim, ex quo argumentum nobis ſubnaſcitur *quartum*, id, quod illa Διαθήκης vox, uti a ſcriptoribus Novi Teſtamenti eam adhiberi videmus, per ſe iam ſatis ſubindicat, ab iisdem ſcriptoribus etiam aliis locutionibus confirmari, ac egregie illuſtrari. Quemadmodum igitur ipſum illud conſilium Gratiae, illa voluntas Dei, de qua loquimur, frequenter ſub notione *Teſtamenti* depingi-

tur,

tur, ita effectus huius voluntatis, ſalus, qua fruituri ſunt credentes, appellatur ſaepiuſcule *Hereditas*. Teſtamentum hunc in finem condi, novimus, ut hereditas teſtatoris certo ad certos heredes perveniat, eoque neceſſario heredes et hereditatem involvit, ſicuti viciſſim hereditas, in iis, qui non ab inteſtato ſuccedunt, Teſtamentum requirit. Adeo autem in Scripturis frequens eſt hereditatis illius Divinae notio et nuncupatio, ut facile appareat, eam Spiritui S. cumprimus placuiſſe, ceu ad negotium iſthoc, de quo loqui vult, exprimendum, ſingulariter accommodatam. Vocantur nempe credentes, qui ſalutem conſequuntur, *heredes Dei*, Rom. VIII. 17, *heredes vitae*, Tit. III. 7, *heredes regni*, Iac. II. 5. Bonum illud, quod ſalutem et beatitudinem ipſorum conſtituet aliquando, nuncupari ſolet *hereditas incorruptibilis*, *et incontaminata*, *et immarceſcibilis*, *ſervata in coelis*, 1 Pet. I. 4, *hereditas glorioſa*, Epheſ. I. 18, *aeterna hereditas*, Hebr. IX. 15, *hereditas cum ſanctificatis omnibus*, Act. XX. 32, cuius *hereditatis arrhabonem* accipiunt heredes, iam in hac vita, Spiritum S., Epheſ. I. 14. Ipſe vero actus, quo bonis, his fruentur, ac ſalutem poſſidebunt, qui a Deo ſcripti ſunt heredes, appellatur κληρονομεῖν, *hereditate conſequi*, *hereditario iure poſſidere*, Hebr. I. 14, Matth. XXV. 34. etc. Quinimo, ne quicquam deſit, accedit etiam *adoptio*, qua Deus, pro immenſa ſua miſericordia, eos, qui natura filii non ſunt, nec familiae Patris Coeleſtis partem faciunt, ut liberos adoptat, iis iura filiorum largitur, ac hereditatem regni ſui deſtinat, Ioh. I. 12, Eph. I. 5, Gal. III. 26, Rom. VIII. 14, 15, 1 Ioh. III. 1, 2; ex qua adoptione certitudinem hereditatis merito derivat Paulus Rom. VIII. 16, 17, *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei: ſi autem filii*, ſumus etiam *heredes*, *heredes quidem Dei*, *coheredes autem Chriſti*.

Pos-

Poſſet quis, occaſione captâ, ex iis, quae de adoptione modo monuimus, nobis quidem obiicere, hereditatem eſſe ex adoptione, adeoque Teſtamento opus non eſſe. Verum uti adoptio et Teſtamentum amice conſpirare poſſunt, ita, cum Tabulis, quae Divinum de ſalute noſtra conſilium exhibent, et Teſtamenti, et heredum, et adoptionis mentio frequens occurrat, facile perſpicitur, haec ſe mutuo reſpicere, hasque locutiones ſe invicem explicare et illuſtrare, praeſertim, cum has *Teſtamenti* et *hereditatis* notiones nonnunquam coniungi videamus, uti Gal. III. 15, 16, 18, 29, Hebr. IX. 15, ex quibus locis recte colligi poſſe putem, Διαθήκην illam eſſe Dei diſpoſitionem, qua quidam heredes conſtituuntur, et illorum hereditatem eſſe ex Διαθήκῃ, i. e. *Teſtamento*. Nec etiam vero diſſimile mihi videtur, Scripturam eodem alludere, quando mentionem facit *ſcriptionis in libro vitae*, qui *liber vitae*, a *libro Providentiae* et a *libro iudicii* diſtinctus, continens quippe nomina heredum Dei, a Theologis vocatur *liber Electionis*, eodemque iure *liber Teſtamenti* nuncupari poterit. Paulus hunc deſignat, Philipp. IV. 3, *una cum Clemente et reliquis adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitae*. Sic et Apoc. XVII. 8, *quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitae*. Vocatur alias idem liber, quod hic obſervatu indignum non eſt, *liber vitae agni*. Apoc. XXI. 27, et quidem *liber agni mactati*, Apoc. XIII. 8, cuius nempe ſanguis, mactatio atque mors, fundamentum eſt, uti diſpoſitionis Teſtamentariae, Matth. XXVI. 28, ita et ſcriptionis in libro Teſtamenti. Equidem haud ſpernendam putem eorum explicationem, qui hanc locutionem deſumtam eſſe cenſeant a conſuetudine magiſtratuum urbanorum, qui eorum nomina, qui ius civitatis adepti ſunt, certo alicui libro vel catalogo inſcribi curant. Ita *Polycarpus Lyſerus* in Harmonia Euangelica, cap. CIV. fol. 111[2], Gre-

Grotius et *Hammondus* in Phil. IV. 3, itemque alii. Verum, quia cives Reipublicae coeleſtis ſunt heredes Dei, liber, qui nomina civium complectitur, idem eſt, in quo ſcripta ſunt nomina heredum a iacto inde mundi fundamento, Apoc. XIII. 8, XVII. 8; quem librum Teſtamenti dicere licet. Vnde ipſe *Grotius* ad mentem noſtram perquam appoſite, in Luc. X. 20, ita commentatur: *Scribi in coelo, aut in libro agni, aut vitae aeternae, eſt cenſeri Dei filium, ac proinde heredem*, Hebr. XII. 23. Scriptio autem illa in libro vitae potiſſimum nobis repraeſentat τὸ ἀμετάθετον, *immutabilitatem* huius conſilii Dei de heredibus ſuis, quodque nomen heredis, quod ſemel libro illi inſcriptum eſt, deleri iam non poſſit. Conſuli hic poſſunt *Ioh. Gerhardus*, in Loco Theol. de Electione § 39, 40, Tomo II edit. primae p. 192, *I. Franc. Buddeus* in Inſtitut. Theol. Dogmaticae p. 1176.

§ X.

V. *Ex conſenſu Antiquitatis, quae vocem* Διαθήκη *etiam ſic accepit.*

Praeter haec, quae hucusque diſſeruimus, V. adducere pro noſtra ſententia licebit conſenſum Antiquitatis, quae vocem Διαθήκη, in ſcriptis Apoſtolorum, non alio ſenſu cepit, quam quo nos capiendam eſſe oſtendimus, ex quo *quintum* conſtruimus argumentum. De Eccleſia Latina dubium nullum eſt, cuius auctoritatem, ſi qua eſt, adverſus ſe militare, *Grotius* ingenue profeſſus eſt, Annotat. ad principium Matthaei. Certe *Tertullianus*, primus omnium inter ſcriptores Eccleſiaſticos Occidentis, vocem Διαθήκης, ſive ex Vet. ſive ex Novo Teſtamento loca Scripturae citet, continuo per illam *Teſtamenti* reddere ſolet. Magiſtri huius ſui veſtigia premit *Cyprianus*, hoſque ſequuntur reliqui omnes.

omnes. Vide et *Victorini Petavionenſis* Commentar. in Apocalypſin, Tom. I. Biblioth. Patrum Pariſinae Magnae, col. 575. Quamobrem, non adeo ſuam, quam totius potius Eccleſiae ſententiam, expreſſit auctor interpretationis Vulgatae, qui eumdem ubique morem ſervavit, ac utrique Canoni, priori quidem *Teſtamenti Veteris*, poſteriori autem *Teſtamenti Novi* titulum praefixit. Neque a reliqua Doctorum Eccleſiae Occidentalis turba ſecedere cenſendus eſt *Auguſtinus*, etſi titulum hunc *Teſtamenti*, Libris Sacris praepoſitum, improbare videatur. Sic enim adverſus Pelagianos Lib. III ad Bonifacium cap. IV (Operum Tomo VII) ſcribit: *Aliter itaque dicitur, iam obtinente linguae conſuetudine, Vetus Teſtamentum, quod diſtinctius Vetus Inſtrumentum appellatur, quam Teſtamentum.* Et Epiſt. LXXXVI (vel iuxta edit. Benedictin. XXXVI) ad Caſulanum: *Totoque Inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum Novum.* Verum ille tantum diſtinxit Teſtamentum a Teſtamenti tabulis, ut et (*l*) noſtri Theologi diſtinguere ſolent. Teſtamenti tabulas vocat Inſtrumentum, ſicut ante ipſum *Tertullianus* (*m*), *Rufinus* (*n*) aliique fecerunt. Cum itaque haec fuerit recepta in Eccleſia Occidentali ſententia, coniicere pronum eſt, Graecos ab

(*l*) Vide *Juſti Weſſ. Rumpaei* Commentat. Criticam ad Libros Novi Teſtamenti p. 2, 3.

(*m*) Adv. Marcion. L. V c. 1: *Dum non probantur, niſi de Inſtrumento Creatoris*, i. e. Vet. Teſtamento. Adverſus Hermog. c. 19: *ſed et ad originale Inſtrumentum Moyſis provocabo.* Ibid. c. 20, *Euangelium* vocat *ſupplementum Inſtrumenti Veteris*, etſi *Tertullianus* in hoc inſtrumenti vocabulo variis modis ludat.

(*n*) Expoſit. in Symb. Apoſt., inter Opera *Cypriano* adſcripta, edit. Oxon. p. 26 b. dicit: *Veteris Inſtrumenti primo omnium, Moyſi quinque libri ſunt traditi.*

ab illa non ita alienos fuiſſe, qui in communi linguae ſuae uſu aliam Διαθήκης ſignificationem non noverant, quam *Teſtamenti*, ut ſupra monui. Quamvis enim ex aſſidua τῶν LXX lectione id traxiſſent, ut vocem Διαθήκης in ſenſu laxiori nonnunquam adhiberent (o), quam alii Graeciae cives, quando tamen de illa voluntate Dei loquuntur, quae Διαθήκη, ac ſpeciatim ἡ καινὴ Διαθήκη, in ſcriptis Novi Teſtamenti audit, eam non aliter quam de Teſtamento proprie ſic dicto accipiunt. Exemplo ſit *Iuſtinus Martyr*, qui in Dialogo cum Tryphone, adverſus illum ac Iudaeos hunc in modum diſputat, p. 218: *At nunc, legi enim o Trypho, futuram fuiſſe legem poſteriorem, ac teſtamentum multo omnium firmiſſimae auctoritatis* (Διαθήκη κυριωτάτη πασῶν) *id ipſum* Teſtamentum, *inquam, nunc ſervare oportet mortales omnes, quicumque ad* hereditatem *Dei* capeſſendam *adſpirant.* Videnda ibi ſunt et ſequentia. Addatur *Irenaeus*, qui adverſus Haereſ. Lib. v c. 33 § 1 edit. Maſſueti, hunc in modum diſſerit: *Propter hoc autem ad Paſſionem veniens, ut euangelizaret Abrahae, et iis, qui cum eo*, apertionem hereditatis, *cum gratias egiſſet, tenens calicem, et bibiſſet ab eo, et dediſſet diſcipulis, dicebat eis, bibite ex eo omnes. Hic eſt ſanguis meus* Novi Teſtamenti *etc. Vtique* hereditatem terrae *ipſe novabit.* Quin imo hic ne heretici quidem veteris Eccleſiae excipiendi ſunt, qui in hoc ſaltem a ſententia Eccleſiae Catholicae ſeceſſionem non fecerunt, et quorum conſen-

ſum

(o) *Irenaeus* adv. Haereſ. L. II c. XIV § 5 edit. Maſſueti: *Cum ſint* Valentiniani *cum Cynicis eiusdem Teſtamenti.* Vbi Grabius in notis ex *Heſychio* obſervat. *Teſtamentum* hic accipi pro *coniuratione* et *ſodalitio.* Adde *Fabricii* Bibl. Gr. Vol. III p. 125.

ſum adferre pariter poſſem, niſi intelligerem, vela paulatim contrahenda eſſe.

§ XI.

Reſpondetur ad exceptiones, deſumtas ex uſu vocis Διαθήκη.

Supereſt, ut eorum, quibus noſtra ſententia diſplicet, exceptiones, adverſus ea, quae hactenus diſputavimus, breviter expendamus. Solent autem illorum quidam adverſus noſtram ſententiam pugnare argumentis, ex ipſo *Διαθήκης* vocabulo eiusque indubio uſu deſumtis. Et I. quidem omnium communiſſime et frequentiſſime obiici nobis videmus, LXX Interpretes vocem *Διαθήκης* in laxiori acceptione adhibere, ut quibus *Διαθήκη*, non Teſtamentum, ſed *Foedus* vel *pactum* audit. Neque id negamus, ſed aliam tamen rationem LXX Interpretum fuiſſe putamus, quam ſcriptorum Novi Teſtamenti, qua de re aliquid iam monuimus § VI. Certe *α.*) quia vox Hebraica בְּרִית ambitu ſuo plura complectitur, atque latiſſimae ſignificationis eſt, inde factum eſt, ut LXX Interpretes, in communi Graecorum uſu vocem aliquam, Hebraicae reſpondentem, non invenientes, voci *Διαθήκη* eamdem ſignificationem indiderint, eamque, ratione magis habita etymologiae, quam uſus, adhibuerint, ad diſpoſitionem quamcumque deſignandam, ſive fiat lege, ſive ſponſione, ſive Teſtamento. Quod *β.*) tanto proclivius erat, ſi verum eſt, quod *Salmaſium* ex indole dialecti Alexandrinae obſervaſſe diximus, Alexandrinos ſpeciatim *Διαθήκην* dixiſſe, quod reliqui Graeci *Συνθήκην* vocant. Ceterum, uti Hebraica vox בְּרִית primario quidem *Foedus* notat, ſed *Teſtamenti* ſignificationem tamen non excludit, quod Celeberr. *Cocceius* in Lexico,

col-

col. 115, ac paſſim Theologi animadvertere iubent, ita et Διαθήκη, ex uſu LXX Interpretum, notionem *Teſtamenti* nonnunquam comprehendit. Et ad hanc poſtremam Teſtamenti notionem cumprimis reſpexiſſe Novi Teſtamenti ſcriptores, quoties voce Διαθήκης uſi ſunt, ex iis, quae ſupra hac de re diſputavimus, abunde licet colligere. Verum id II. inprimis adverſus noſtram ſententiam urgent *Hugo Grotius*, et, qui eum ſequitur, *Henr. Hammondus*, in initio Annotat. in Matthaeum, voluntatem Dei, in Chriſto et morte eius confirmatam, non tantum vocari Διαθήκην, ſed et καινὴν Διαθήκην, *Novum Teſtamentum*, eoque opponi τῇ παλαιᾷ Διαθήκῃ, diſpoſitioni Sinaiticae ſive Moſaicae, quae non Teſtamenti proprie ſic dicti rationem habuerit, ſed Foederis, unde conſequatur, etiam καινὴν Διαθήκην eamdem rationem habere, neque aliter conſiderari (*) poſſe. Dare hic aliquid *Grotio* poſſumus, idque citra ullum cauſae noſtrae diſpendium. α.) Nihil enim certe iis, quae hactenus adſtruximus, decedet, ſi fateamur, ſcriptores Novi Teſtamenti, quando utramque Oeconomiam, et Veterem Moſaicam et Novam Chriſti, Διαθήκην appellant, in eo ſenſu, quem iis familiarem eſſe probavimus, non adeo Novam Oeco-

(*) In eamdem fere ſententiam diſputavit *Tanaq. Faber* notis ad *Lucianum* de morte Peregrini § 4, tom. III p. 362. Poſt enim, quam monuiſſet, Διαθήκας illic ſignificare *praecepta*, non *teſtamenta*, haec adiunxit: „Alludit ad Pythagoraeos, a quibus ſua praecepta ita vocitabantur. At fortaſſe, dixerit quispiam, alluſerit ad καινὴν Διαθήκην Chriſtianorum *Lucianus*, ut eſt ſemper deriſor. Et ſi id concederem, non tamen inde ſequeretur, vocem hanc verti per *teſtamentum* debere. Nam ἡ καινὴ Διαθήκη ſignificat novum foedus, quemadmodum ἡ παλαιὰ Διαθήκη vetus foedus. Quis enim ibi mortuus eſt, cuius ea lex dici queat teſtamentum?"

conomiam vocare Διαθήκην ex analogia Veteris, quam Veterem potius Διαθήκην nuncupare ex analogia Novae. Quae, niſi fallor, mens etiam fuit *Ioh. Gerhardi* in Harmon. Euang. cap. CLXXI fol. 1113. b, quando ita ſcripſit: *Novum vocatur Teſtamentum, quia ſancitum et confirmatum eſt ſanguine et morte ipſius Filii Dei; Vetus quadam ſimilitudine ſic vocatur, quia ſanguine iuvencorum, ſanguinis Chriſti typo, fuit confirmatum.* Nec tamen idcirco rationes *Grotii* in univerſum nobis probantur. Nam β.) nihil profecto impedit, quo minus etiam Oeconomia Vetus ſub notione Teſtamenti concipi, ac *Teſtamenti* nomine deſignari recte queat. Populus enim Iſraëliticus erat *heres* Dei, et bona, quibus ille fruebatur, in terra promiſſionis, teſtante id toties Scriptura, ad modum hereditatis poſſidebat. Quare non poſſum non aſſentiri Theologo magni nominis *Iohanni Gerhardo*, loco citato, in cauſa noſtra hoc iudicium ferenti: *Haec argumenta tanti non ſunt ponderis ac roboris, ut propter ea a propria ſignificatione vocis* Διαθήκης *ſive* Teſtamenti *velimus diſcedere. Quamvis enim Vetus Teſtamentum non fuerit morte Teſtatoris confirmatum, cum Deus* ἄσαρκος *Teſtamenti illius auctor mori non potuerit, vere tamen ac proprie vocatur* Teſtamentum, *tum quia typico ſacrificiorum ſanguine confirmatum fuit, atque eo ipſo praefiguratum, Novum Teſtamentum ipſius Meſſiae ſanguine et morte confirmatum iri, tum quia eſt donatio hereditatis.* Adde *Io. Cocceii* Lexicon Hebr. in voce ברית col. 115, 116, et eiusdem Summam Doctrinae de Foedere et Teſtamento Dei, cap. XI § 330, p. m. 228, 229, qui rem iſtam in luce tam clara collocavit, ut opus non habeam aliquid addere.

§ XII.

§ XII.

Reſpondetur ad exceptiones, deſumtas ex natura Teſtamentorum et Foederum.

Non deſunt alii, qui ex ipſa negotii illius, quod Διαθήκην ſcriptores Novi Teſtamenti appellant, natura et circumſtantiis contra nos arguant, Διαθήκην illam non ut Teſtamentum proprie ſic dictum concipi poſſe, unde videatur colligendum eſſe, ſcriptores Sacros voce illa non tam ad naturam Teſtamentorum, quam potius aliorum pactorum reſpexiſſe. I. Magno praeſertim conatu hoc egit ICtus inclyti nominis, *Sam. Pufendorfius*, qui ex eo, quod voluntas illa Dei nobis haud raro proponatur ut Foedus, iudicari poſſe et debere contendit, illam non eſſe Teſtamentum, cum Foedus et Teſtamentum toto coelo a ſe invicem diſcrepent. Verba *Pufendorfii* a nobis relata videbis § v. Erunt forte, qui putabunt, rationes illas, quas nobis oppoſuit vir eruditus, aliquid habere ponderis. Sed non obſtante tamen illa inter Teſtamentum et Foedus differentia, voluntatem hanc Dei, de qua loquimur, quaeque Foedus omnino includit, merito etiam dici poſſe Teſtamentum, nobiſcum cenſent ex ICtis alii, iique non infimi meriti. Ad *Huberi* Diſſertationes Iuridico-Theologicas, de Teſtamentis et Foederibus, provocat *Io. Franc. Buddeus*, eximium quondam Academiae Ienenſis decus, in Inſtitut. Theol. Dogmat. p. 671, ut qui *agnoverit, dari eiusmodi actus mixtos, ſeu compoſitos*, ex Foedere et Teſtamento, qui *Foedera Teſtamentaria*, ac *Teſtamenta Foederalia ſalutari* poſſint ac *ſoleant*. A quo iudicio alienus non eſt *Hugo Grotius*, cuius haec ſunt verba in principio Annotationum in Matthaeum: *Non mirum eſt, ad hunc quoque vocis uſum alludi a Scriptore Epiſtolae*

ad Hebraeos IX. 17, *praeſertim cum Teſtamentum, inprimis, ubi heres ſub conditione inſtituitur, aut fidei eius aliquid committitur, ad Foederum ac pactionum naturam quam proxime accedat.* Eſt nempe Teſtamento Divino, uti conditio adiecta, ita Foedus ſuperſtructum, ut proinde ad rationem Foederis proxime Teſtamentum illud accedat. *Ex Teſtamento*, inquit *Cocceius, oritur Foedus, et νομοθεσία, dum proponitur Teſtamentum, et Salvator nominatur, et Fides exigitur ad iuſtitiam*, in Lexico loc. cit. Quod *Gerhardus*, loco antea laudato, ita explicat: *Vtrumque Teſtamentum, cuius in Sacris Literis ſit mentio, recte vocatur et* Teſtamentum *et* Foedus. Teſtamentum, *quia eſt donatio hereditatis;* Foedus, *quia adiunctam habet conditionem ſervandi Foederis.* Haud quaquam igitur pugnantia adſtruunt Theologi, quando unam eamdemque rem, modo ſub notione Teſtamenti, modo vero ſub notione Foederis, concipiendam eſſe, dictitant. II. Aliquid praeterea in hac Διαθήκη Divina reperiunt nonnulli, quod a ratione Teſtamentorum alienum eſſe putant, cum ad conditionem Foederum quam maxime ſpectet. Scriptura enim huius Διαθήκης aliquem Mediatorem memorat, Hebr. VIII. 6, IX. 15, XII. 24, quod non Teſtamento, ſed pacto convenire opinantur *Holtzſuſius* in Diſſertat. de Foed. Grat. cap. I § 2, vide Diſſert. huius § V, *Hammondus* in principio annotat. in Matthaeum, ac alii. Licebit hic nobis eſſe brevioribus, nam ſublata difficultate, quam modo tetigimus, haec etiam corruit. Si enim Διαθήκη Divina eſt etiam Foedus, quod utique concedimus ac urgemus, illius naturae non repugnat, requiri et adeſſe Mediatorem. Nempe noluit Deus ex hominibus, filiis irae et peccati ſervis, heredes adſciſcere, niſi praecederet *redemtio, quam habemus in ſanguine Chriſti*, Filii Dei, Coloſſ. I. 14. Vt itaque Teſta-

men-

mentum confici, et in illo heredes scribi possent, effecit mediatio Filii Dei, qui *redemtionem spopondit* ab aeterno, Iobi XXXIII. 24, quique promissum sponsionis adimpleturus, tempore praestituto, *se ipsum dedit redemtionis pretium pro quibusvis*, 1 Tim. II. 6. Quae causa est, cur sanguis et mors Christi fundamentum sit huius Testamenti. Cum igitur intervéniente Mediatore, Christo Iesu, Testamentum Dei ratihabitum fuerit, inque illo iam heredibus salus certissima promittatur, beatos merito praedicamus, quorum nomina in illo vitae libro exarata sunt. *Benedictus* vero *esto Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui, pro immensa sua misericordia, regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, ad hereditatem, quae nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in coelis servatam*, 1 Petr. I. 3, 4.

EXERCITATIO THEOLOGICO-EXEGETICA

DE

VERBO OTIOSO, CVIVS RATIO IN IVDICIO DIVINO REDDENDA EST, AD MATTH. XII. 36.

§ I.

Interpretes non conſentiunt inter ſe, quidnam ſit ῥῆμα ἀργὸν, Matth. XII. 36.

Verſatur in omnium ore, crebrisque non modo Oratorum Eccleſiaſticorum, verum etiam quorumcumque aliorum ſermonibus uſurpari ſolet, memorabilis illa ſanctiſſimi Servatoris ſententia, quam adverſus Phariſaeos diſputans, ipſisque blaſphemiam in Spiritum S. exprobrans, auditoribus ſuis commendatam et alta mente repoſitam eſſe voluit, Matth. XII. 36, Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, i. e. *Theod. Beza* Interprete: *Sed dico vobis, quodcumque verbum otioſum loquuti fuerint homines, de eo redditu-ros rationem in die iudicii.* Ex quibus graviſſimis Chriſti Domini verbis, quantumvis Theologi certiſſima et evidentiſſima ratione colligant, 1.) hominum

non

non tantum facta, ſed et verba, quae a ſanctitate legis Divinae recedunt, examini ſevero noviſſimi iudicii expoſitum iri, quod verſu ſequenti 37 etiam luculentius hunc in modum declaratur: *Ex ſermonibus enim tuis iuſtificaberis, et ex ſermonibus tuis condemnaberis.* 2.) Nec tantum impia quaevis dicteria, ſceleſto ore prolata, cenſurae iudicis ſubiectum iri, ſed etiam *πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, otioſum quodvis verbum;* Interpretum tamen doctiorum, in explicando *τῷ ἀργῷ ῥήματι*, inter ſe diſſenſus effecit hucusque, ut non ſatis certo conſtare videri poſſit, quaenam ſint illa *otioſa verba*, quae in iudicio eaxminatum iri Servator hic aſſeverat. Non parum forte ſtudium et diligentiam Criticorum excitavit, ſuperiori ſeculo, *Daniel Heinſius* iudicio illo ſuo, quod paulo confidentius in hac cauſa tulit, quando, *plures*, inquit, *reperiri arbitror, qui locum illum praeclarum* Matth. XII. 36 *legant, quam qui intelligant. aut, quo reſpexerit Dominus, examinent. Poſtquam verum doctorem eiusque in docendo munus, graphice ac efficaciter, ſupremus Doctor deſcripſit, addit, quod nemo, niſi qui faſtum et arrogantiam eorum, qui ſe doctores dicebant, ex ipſorum ſcriptis didicit, ſatis aſſequitur, qui pronuntiare audebant, ὅτι καὶ ἐξ ἀργοῦ λόγου τοῦ διδασκάλου ὠφεληθήσεται ὁ μαθητεύων, etiam ex otioſo doctoris ſermone profectus facturum eſſe diſcipulum. Quem ἀργὸν λόγον,* שיחה בטילה, *ad verbum, ἀδολεσχίαν ἀργὴν dicebant* etc., Exercit. Sacr. in Matth. Cap. VIII p. 48. Equidem *Heinſius* interpretationis huius, quae ab occaſione Servatori ſubminiſtrata, et a ſcopo dicentis, longius remota omnibus merito videbitur, fautores aut paucos, aut omnino nullos nactus eſt, neque ego operae pretium exiſtimo, illi poſthaec diutius immorari. Videtur tamen indicio illo *Heinſius* non paucos pupugiſſe, eosque ad diligentius et accuratius in genuinum verborum Domini ſenſum inquirendum exſtimulaſſe.

Certe ab illo tempore (*a*) complures in eo diligenter ac multum laborarunt, ut, quidnam Servator per ῥῆμα ἀργὸν, quemadmodum Matthaeus rem Graece expreſſit, vere intellectum velit, ex uſu Graeci pariter et Hebraici ſarmonis eruerent, ac multis modis illuſtratum in aprico ponerent. Quos omnes, loquor autem de iis, quorum obſervationibus mihi uti licuit, ita in hoc argumento verſatos eſſe deprehendi, ut quamvis multa praeclara dixerint, quae nec ſine voluptate, nec ſine fructu leguntur, rem omnem tamen non ita exhauſerint, quin ſpicilegio noſtro locum reliquerint.

§ II.

Exponitur, quam ſignificationem vox ἀργὸς in communi Graecorum ſermone habeat.

Quoniam totus quaeſtionis noſtrae ac diſputationis cardo in eo vertitur, ut recte intelligatur, 1.) quid ex uſu aut ſermonis Graeci, aut Graeco-Hebraici, qui ſcriptoribus Novi Teſtamenti familiaris eſt, quemque multi, *Heinſium* ſecure nimis ſecuti, Helleniſticum nuncupant, ἀργὸς et quidem in hac conſtructione ἀργὸν

(*a*) Praeter Commentatores Criticos, qui noti ſunt, aliosque, qui locum illum, occaſione ſibi data, nonnunquam etiam prolixe illuſtrarunt, fuerunt etiam, qui eumdem integris Diſſertationibus interpretari allaborarent. Extat *Andr. Glauchii* Diſſert. *de verbo otioſo*, Martisburgi 1678, *Sam. Schelguigii otioſi verbi rigidum examen*, Gedan. 1686, poſtea etiam recuſum, *Amelii* Diſſertatio *de verbo otioſo*, Kilon. 1710. Neque omittendus eſt auctor Diſſertationis Epiſtolicae, quae legitur in *Bibliotheca Germanica*, Gallice ſcripta, Part. III Artic. III p. 98 etc., quaeque *B. Lenfantio* tribuitur. Vide Celeb. *Wolfii* Curas Philol. ad Matthaei XII. 36 [et *Koecheri* Analecta ad easdem].

γὸν ῥῆμα significet, ac 2.) quo speciatim sensu Servator locutionem illam adhibuerit, quidque de eo circumstantiae illius loci, quem excutimus, et consilium dicentis, nos cogitare iubeant. A significatu, quem ἀργὸς, et ἀργὸν ῥῆμα communiter apud Graecos obtinere reperitur, initium faciamus. Est autem (*b*) ἀργὸς, id est, uti (*c*) Grammaticorum filii observant, ἄεργος, *otiosus*, *nihil operans*. Passim adhibetur, etiam a scriptoribus Sacris, de homine nihil agente, inertiae ac otio turpi indulgente, Matth. xx. 3, 6, 1 Tim. v. 13, 2 Petr. 1. 8. Neque vero apud scriptores exoticos vox illa usurpari tantum solet de homine, qui laborare, adeoque laborem, quem subire debet, etiam detrectare potest, quemadmodum *Ioh. Vorstius* existimat, Philol. l. c. 3, qui eam ob rem ῥῆμα ἀργὸν Hebraismis immerito annumerat, sed promiscue aliis rebus tribuitur. Sic, ut paucis exemplis id confirmemus, apud *Plutarchum* in Aristid. p. 601 fin. edit. Stephani, ἡμέρα ἀργὴ est *dies otiosus*, quo nihil actum fuit; γῆ ἀργὸς dicitur *terra*, *quae non colitur*, *otiosa*, quae fructum non fert, unde ἀργὸν saepe dicitur id, quod fructu caret, uti ἀργὸν et ἄκαρπον coniungi videmus, 2 Petr. 1. 8; ἄργυρος ἀργὸς *argentum* significat *infectum*, quod adhuc sterile iacet; ἀργὸν ἔτος a scribentibus Graece vocatur *annus septimus* vel *Sabbathicus* Iudaeorum, quo terram non laborabant, quasi dicas *feriatum*. Quarum locutionum exempla adduxit *Budaeus* in Comment. Graecae Linguae p. 275 edit. R. Steph. Sic pariter λόγος ἀργὸς, quod idem

(*b*) Ἀργὸς etiam alias significationes habet, nempe *albus* et *velocis*, de quibus Lexicographi consuli possunt, sed quibus ego nunc, utpote ad rem nostram non spectantibus, inhaerere pluribus nolui.

(*c*) Sic Etymologici Magni auctor in art. ἀργὸς ὁ νωθρός, *Budaeus* in Commentar. Ling. Graec. p. 275, et alii.

idem plane eſt cum ῥήματι ἀργῷ a Graecis dicitur *ſermo iners*, uſu omni deſtitutus. Neque hoc monere *Budaeus* neglexit l. c. ita ſcribens: Ἀργὸς λόγος *inde dictus, quam ignavam rationem Cicero vocat. Sermo etiam iners dici poteſt: eorum eſt enim, qui omnia fato fieri contendunt.* „ Nec nos impediet, *inquit Ci-* „ *cero*, illa ignava ratio, quae dicitur; appellatur „ enim a Philoſophis ἀργὸς λόγος, cui ſi pareamus, „ nihil eſt omnino, quod agamus in vita. *Idem*, recte „ genus hoc interrogationis ignavum atque iners no- „ minatum eſt, quod eadem ratione omnis e vita tol- „ latur actio". Haec *Budaeus*, *Ciceronem* hic paulo ſecurius ſecutus, uti *Budaeum* multi alii, qui obſervationem eius transſcribere conſueverunt, nec veram rationem, quamobrem ἀργὸς λόγος a Philoſophis ſic diceretur, perſpicientes, quam nos infra uberius explicabimus. Ceterum communiter λογὸς ἀργὸς, vel ῥῆμα ἀργὸν, Graecis *ſermonem* quemcumque *otioſum*, *inutilem*, *omnique fructu deſtitutum*, ſignificat, ut in illo Pythagorae, quod *Stobaeus* affert Sermone XXXIV p. 215, accipi videtur, αἱρετώτερόν σοι ἔγω, λίθον εἰκῆ βάλλειν, ἢ λόγον ἀργόν, *Optabilius ſit tibi, lapidem temere proiicere, quam ſermonem otioſum.* Et certe Pythagoras gravitatem in ſermone quovis diſcipulis ſuis vehementer commendabat, eosque omnem in dicendo levitatem et garrulitatem averſari iubebat. Reſpondent ῥήμασι vel λόγοις ἀργοῖς, in ſcriptis Hebraeorum דברים בטלים *verba otioſa*, uti etiam LXX Interpretes verbum בטל Graece reddiderunt ἀργεῖν, *otiari*, Eccleſ. XII. 3, ubi in Hebraeo textu legitur ובטלו הטחנות, quod LXX verterunt, καὶ ἠργησαν αἱ ἀλήθουσαι, *et ceſſant* vel otiantur *molitrices*, dentes nempe molares. Quam ob rem Syrus, in loco noſtro, quem nunc excutimus, ῥῆμα ἀργὸν tranſtulit ܡܠܐ ܒܛܠܐ.

§ III.

§ III.

Communem vocis uſum ſpectantes, plurimi interpretes ῥῆμα ἀργὸν *exponunt* verbum otioſum.

Satis ex his iam perſpicitur, ῥῆμα ἀργὸν, ſi vocis huius apud ſcriptores quoscumque proprium et communem uſum ſpectes, eſſe verbum omne vanum, ſermonem otioſum, inutilem, ex quo fructus omnino nullus proficiſci poteſt. Huic igitur ſignificationi, etiam hic, interpretum plerique et veteres et recentiores inhaerent, exiſtimantes, Servatori noſtro id propoſitum eſſe, ut doceret, verba quaecumque etiam in ſe non mala, ſed quae tamen fructu et utilitate carent, quae nec ad gloriam Dei, nec ad aedificationem, ſive propriam, ſive aliorum diriguntur, ſevero Dei examini in futuro iudicio ſubiectum ac condemnatum iri. Ita ex veteribus *Baſilius* (*d*) ait: *Verbum otioſum eſt, quod etſi bonum ſit, ad aedificationem tamen fidei non aptatur. Et illa verba in celeberrimo illo totius orbis terrae conventu examinabuntur. Quid ſcurrilibus, et detrahentibus, et obſcoenis verbis fiet?* Et *Chryſoſtomus* in Catena Graecorum Patrum in Matthaeum, edit. Corderii p. 177, Τουτέϛιν, εὐθύναϛ ὑποϛηϛόμεθα ὑπὲρ τοῦ ἀργοῦ λόγου, καὶ μὴ ὠφελοῦντος τὴν ψυχὴν, συκοφαντικὸς καὶ λόγος, καὶ μιμητικὸς, καὶ γελοιώδης οὐ μόνον· οὐδὲν ὠφελήϛει τὴν ψυχὴν, ἀλλ' ἴϛως καὶ βλάψει τὰ μέγιϛα, *hoc eſt, de verbo otioſo, et ad utilitatem animae non conferente, reddemus rationem, vel accuſationem et discrimen iudicii ſubibimus. Otioſum non eſt calumnioſum,*

(*d*) Adductus a *Clario* in notis ad Matth. XII. 36. Adde *Nicetae* Catenam Graecorum Patrum in Matthaeum p. 444.

ſum, aut mimice petulans, ac ſcurriliter ridiculum. Haec enim non ſolum animae non proſunt, ſed etiam nocent quam maxime. Quibus unum nunc tantum iungimus *Hieronymum*, qui in Comment. in Matth. XII, *Otioſum*, inquit, *verbum eſt, quod ſine utilitate loquentis dicitur et audientis; ſi, omiſſis ſeriis, de frivolis rebus loquamur, et fabulas narremus antiquas. Ceterum, qui ſcurrilia explicat, et cachinnis ora diſſolvit, et aliquid profert turpitudinis, hic non otioſi verbi, ſed criminoſi tenebitur reus.* Diſtinguunt hi inter ſermonem aperte malum, vel, ut loquitur *Hieronymus*, criminoſum, et otioſum, ſive inutilem, et hunc poſteriorem a Servatore innui contendunt. Sequuntur illos magno numero recentiores, quorum praecipui, ne in recenſendis eorum nominibus, aut etiam adducendis ipſorum verbis, prolixior ſim, indicantur a *Schelguigio*, in *Examine rigido verbi otioſi* p. 23, 24, qui et ipſe pedibus in eorum ſententiam ivit, et Vener. *Wolfio* in *Curis Philol.* ad Matth. XII. 36. Et illi quidem, ut huic ſuae interpretationi maiorem ſpeciem concilient, eamque cum ſcopo orationis Chriſti bene convenire oſtendant, ita cenſent, Servatorem argumentari a minori ad maius. Nempe Phariſaei, miracula Chriſti, a Spiritu Sancto per ipſum edita, Satanae principi impurorum ſpirituum attribuendo, blaſphemiam evomuerant in Spiritum Sanctum, cuius criminis atrocitatem et tremendum iudicium Christus auditoribus ſuis ob oculos ponit v. 31, 32. Aequitatem autem et iuſtitiam Divini huius iudicii oſtenſurus, Chriſtus Dominus, ſi interpretes illos audimus, quorum ſententiam nunc referimus, argumentum adhibet a minori: *Sed*, (vel, quinimo) *dico vobis; quodcumque verbum otioſum locuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die iudicii.* Quod ſic *Theod. Beza* in Annotat. explicat: *Argumentatur Chriſtus a comparatis, comparans peccatorum maxi-*

mo

ma cum minimis: quae tamen tam parva esse non possint, quin reddenda sit eorum ratio. Adde Harmoniam *Chemnitio-Gerhardianam* cap. LIX fol. 617.

§ IV.

Communior illa interpretatio illustratur.

Possunt, quibus haec interpretatio arridet, eamdem hoc quoque argumento illustrare, quod ista Christi Domini doctrina, de ratione reddenda verborum, non tantum malorum et impiorum, sed etiam otiosorum, non plane nova, ac Iudaeis incognita fuerit. Praeclara profecto sunt, quae Iudaeorum magistri de verbis levibus et otiosis solent discipulis suis praecipere; et cum sententia Servatoris nostri tam egregie consonantia, ut videri possit, hunc ad eorum doctrinam, in scholis publice propositam, vulgoque notam, digitum intendisse. Plura huc spectantia loca ex Hebraeorum scriptis collegerunt viri in hoc studiorum genere magna cum laude versati, *Drusius* et *Lud. Capellus* in notis, *Schoettgenius* in Horis Hebraicis ad Matth. XII. 36, *Triglandius* de Karaeis p. 168, ex quibus pauca haec decerpemus. In *Chagiga*, Tractatu Talmudico, haec leguntur: *Respondit Raf. Etiam* שיחה יתירה, *verbum superfluum, quod est inter maritum et uxorem, in memoriam ipsi revocabitur die mortis.* Et in Sepher Raziel haggadol: *Qui amat Deum, non attendit mulieribus, non loquitur* טיולים (vagationes, εὐτραπελίαν, Eph. v. 4, ita Clariss. *Schoettgenius*) *verba oblectantia,* ודברים בטלים *et verba vana.* Scholiastes Libri Aboth: *De verbo levi, quod inter virum et uxorem, homo iudicabitur.* R. Ionah, in libro Timoris: *Cavebit vir, ne cum uxore loquatur turpia, quia etiam* על שיחה *propter ser-*

mo-

monem levem viri cum uxore, adducetur ille in iudicium. Neque profecto mirandum eſt, Iudaeos, perfectiſſimae et abſolutiſſimae ſanctitati Legis Divinae adſuetos, tam rigidos fuiſſe verborum, etiam otioſorum, cenſores, cum ſimilia fere praeceperint multi ex Graecorum Philoſophis, qui doctrinam, quae de officiis tradit, ſtudioſe excoluerunt. Argumento eſſe poteſt, vel unus *Plutarchi* de Garrulitate liber, egregiis hanc in rem ſententiis refertus, ex quibus unicam hanc, quae circa finem legitur p. 913 ed. Stephani, adferam: *εἰ δὲ μήτε τῷ λέγοντι χρήσιμον, οὔτε ἀναγκαῖον τοῖς ἀκούουσι τὸ λεγόμενον, ἡδονή τε καὶ χάρις οὐ πρόσεςι, διὰ τι λέγεται; τὸ γὰρ μάτην καὶ διακενῆς, οὐχ ἧττον ἐν τοῖς λόγοις, ἢ τοῖς ἔργοις ἐξίν. Si vero id, quod dicitur, nec dicenti utile, nec audientibus neceſſarium eſt, voluptatem praeterea ac gratiam nullam habet, quare dicitur? Non minus enim in verbis ineſt vanum et inane, quam in operibus.* Praeſertim doctrinam hanc de vitandis ſedulo verbis otioſis et ipſe ſollicite ſervavit, et diſcipulis ſuis ſerio inculcavit *Pythagoras*, cuius egregium praeceptum, quod ad argumentum noſtrum cumprimis ſpectat, *αἱρετωτερόν σοι ἔςω, λίθον εἰκῇ βάλλειν ἢ λόγον ἀργόν*, iam § 11 retulimus. Et de ipſo quidem Pythagora memoriae prodidit *Diogenes Laertius* Lib. VIII § 20, *ἀπείχετο καταγέλωτος καὶ πάσης ἀρεσκείας, οἷον σκωμμάτων καὶ διηγημάτων φορτικῶν*, quae in verſione Latina ita ſonant: *Irriſione abſtinebat, et facetiis et iocis, odioſisque narrationibus.* Quinimo, ſicuti *Iamblichus* in vita Pythagorae cap. XX p. 79 ſcriptum reliquit, *ἐποιεῖτο πλείονα σπουδὴν τοῦ σιωπᾶν, ἤπερ τοῦ λαλεῖν, maiorem tacendi, quam loquendi curam agebat.* Quo pertinet etiam elegans eius dictum, cuius meminit *Stobaeus* Serm. XXXIV p. 215, *Χρὴ σιγᾶν, ἢ κρείσσονα σιγῆς λέγειν, aut ſilere oportet, aut adferre meliora ſilentio.* Vtque diſcipulos ſuos ab omni otio-

otioſo et ſuperfluo ſermone tanto facilius arceret, iis, ſimulatque ſe diſciplinae ſuae crediderant, celebratiſſimum illud ſilentium quinquennale imperabat. Nam illius ſilentii, iniuncti Pythagorae diſcipulis, hanc etiam inter alias rationem fuiſſe, *Iamblichus* diſertis verbis tradit p. 56. Alia, ne modum Diſſertationis excedamus, nunc haud inviti omittimus.

§ V.

Sed communi tamen interpretationi plurimae rationes obſtant, quae proferuntur.

Receptiori huic interpretationi, cui communis vocis ἀργὸς uſus favet, quaeque ad commendandam et demonſtrandam eximiam ſanctitatem praeceptorum Chriſti conferre vel maxime multis videbitur, et ego lubens calculum adiicerem, niſi graviſſimae rationes aliud ſuaderent. Etenim I. ipſa orationis Chriſti ſeries, a Matthaeo exhibita, aperte indicat, Servatorem non loqui, niſi de ſermone impio et blaſphemo, in quo ineſt crimen, quique et gloriae Dei et ſaluti hominum inimicus deprehenditur. Diſſeruerat Dominus de blaſphemia in Spiritum Sanctum, cuius Phariſaeos reos eſſe aſſeverat, eiusque ſummam atrocitatem luci expoſuerat. Hanc igitur ſceleſtam Phariſaeorum blaſphemiam in mente habebat, ad illam reſpiciebat, cum auditores ſuos moneret, omnia ῥήματα ἀργὰ in iudicium a Deo adductum iri. Praeterea, verſibus immediate antecedentibus 34 et 35, Servator diſerte locutus fuerat de verbis οὐκ ἀγαθοῖς, et vere πονηροῖς. Sic enim Servator illic diſſerit: Γεννήματα ἐχιδνῶν, πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν, πονηροὶ ὄντες; ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ. Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας ἐκβάλλει τὰ ἀγαθὰ, καὶ ὁ πόνηρος ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει πονηρά. Et iam ſubdit: Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν

ῥῆμα ἀργόν etc. Apparet certe, ῥήματα ἀργὰ hic esse ea, quae paulo ante πονηρὰ nuncupaverat, et ῥήματα illa πονηρὰ esse aut ipsam blasphemiam in Spiritum Sanctum, aut eiusmodi sermones, qui cum blasphemia illa aliquam convenientiam et affinitatem habent, quique non nude otiosi et inutiles censeri possunt. II. Haec sine dubio est ratio, cur veteres quidam librarii, cum verba, de quorum sensu disputamus, describerent, versuum antecedentium et connexionis memores, pro ῥῆμα ἀργόν, scripserint ῥῆμα πονηρόν. Ita certe *Beza* in quodam Codice MS. scriptum invenit, et ita *Chrysostomum* in suis quoque exemplaribus legisse, suspicatur *Vatablus* in notis, quamvis coniectura illa viri eruditi mihi quidem parum firma videatur. *Chrysostomus* namque τὸ ἀργὸν interpretatur, verumque eius sensum ostendere laborat. Sed illa ipsa ratio, quae librariis quibusdam suasisse videtur, ut in describendo τὸ ἀργὸν mutarent in πονηρὸν, effecit etiam, ut *Chrysostomus*, locum illum expositurus, ἀργὸν et πονηρὸν, ceu idem significantia, aliquando inter se permutet. Praeter Codicem illum, cuius *Bezae* mentionem fecit, alii plures (*e*) suppetunt, eamdem scripturam prae se ferentes. Equidem cum *Beza* lectionem vulgatam, quam tuentur Codicum MSS. longe plurimi, ac praeterea versiones antiquae, et patres, qui ad illum locum provocant, sine cunctatione praeferendam puto. Sed apparet tamen ex illa scripturae discrepantia, veteres ex συναφείᾳ verborum Christi idem iudicasse, quod doctis quibusdam ex nostris interpretibus in mentem venit. III. Tanto minus vero vulgata lectio sollicitanda, eique alia substituenda erat, quandoquidem ipsa Graeca vox ἀργὸς, de cuius ve-

(*e*) Vide notas *Vatabli*, ac inprimis varias Lectiones a *Ioh. Millio* [*Wetstenio* aliisque] collectas in h. l.

vero ſenſu interpretes diſceptant, noſtrae ſententiae non modo non obſtat, ſed eamdem etiam inſigniter illuſtrat atque confirmat, quod ſequentia planum manifeſtumque facient. IV. Nec vero librariis ſolis, cum in deſcribendo Euangelio Matthaei occupati eſſent, in mentem venit, alium ſubeſſe verbis Domini ſenſum, quam qui communiter illis tribuatur, verum ita cenſuerunt etiam quidam ex veteribus, et certe non infimi nominis interpretes. Tametſi enim plerisque, attendentibus nempe ad frequentiorem et communius receptum uſum vocis ἀργὸς, vulgatior interpretatio placeat, a quibus eam accepere recentiores, videbimus tamen infra, *Irenaeum*, *Chryſoſtomum*, *Theophylactum*, aliosque diverſum ab iis ſenſiſſe, noſtrasque meditationes ſuo iam ſuffragio comprobaſſe. V. Illud denique hic non praetermittendum eſſe cenſeo, quod inprimis uſſit auctor ingenioſae (*f*.) *Diſſertationis Epiſtolicae ſuper* Matth. XII. 36, doctrinam illam, quam recepta interpretatio cogitationi noſtrae obiicit, non omnino conſentaneam eſſe illi benignitati, lenitati et manſuetudini Dei, quae in Euangelio Chriſti nobis revelata eſt. Non equidem negaverim, perfectiſſimum ſanctitatis ſtudium, quod ne cogitatione quidem ſatis aſſequi poſſumus, in omni opere neque minus in omni verbo nobis commendari et graviter inculcari in Euangelio. Quid enim doctrina illa Chriſti et Apoſtolorum luculentius et apertius eſt? Vid. Eph. IV. 29, V. 4; Phil. IV. 8, Coloſſ. III. 23, IV. 6, Iacobi I. 19, 26; III. 2, 5, 6, etc. Neque negaverim, Chriſtiano, ſi ad normam doctrinae Euangelicae vitam ſuam componere velit, operam omni niſu dandam eſſe, ut non modo ab omni ſermone impio, profano obſcoeno, et qui aperta vitii macula infectus eſt, ſe-

rio

(*f*) Bibliothèque German. Tom. III p. 102, 103.

rio et diligenter ſibi caveat, ſed etiam ne ſermonem otioſum et fructu vacuum temere effutiat. Lubens adhaec et ultro largior, finem vel directum, vel indirectum, omnis et dicti et facti ſemper Chriſtiano propoſitum eſſe debere gloriam Dei et aedificationem proximi; item, quicquid ab hoc fine aberrat, adverſari verae pietati atque perfectioni illi, ad quam omnes veri Chriſti diſcipuli pro virili eniſuntur. Verum aliud tamen eſt, hanc perfectionem vitae Chriſtianae commendare, et magno cum zelo inculcare, quod ſane Euangelium facere non ambigitur; aliud eſt, docere, omnia atque ſingula verba, quae ceteroquin non mala quidem ſunt, ſed tamen otioſa et utilitate vacua, in Divino iudicio examini rigido expoſitum, et tremenda cenſura notatum iri. Haec doctrina, quae et olim et hodie (g) ſtudium vitae ſolitariae ac Monaſticae maiorem in modum commendaſſe ac promoviſſe videtur, ita comparata eſſe exiſtimari poſſit, ut conſcientiam angoribus et terroribus frangat, quinimo conſolationibus Euangelicis ianuam occludat. Accedit VI. quod argumento modo indicato robur maius addit, non ſemper adeo facile confici aut definiri poſſe, quisnam ſit ſermo penitus otioſus, et omni fructu plane deſtitutus. Equidem uti lubens concedo, quosdam ſermones adeo inſignes πῆς ἀργείας, otioſitatis et inutilitatis; characteres ſecum vehere, ut de illis nemini ſanae mentis dubium poſſit oboriri, ita tamen et hoc fatendum eſt, alios ita eſſe compoſitos, ut huic quidem plane inutiles ac otioſi, alii vero nonnihil utilitatis adferre videri pos-

(g) Vide *Iohan. Caſſianum* Inſtitut. Coenob. Lib. 11 cap. 15, *Palladium* in Hiſt. Lauſ. cap. 48, 50. 84, p. 176, ex edit. et verſione Gent. Herveti. Adde Vitam Euthymii Sect. 58, 59, in *Cotelerii* Monum. Eccleſ. Graec. tom. 11 p. 248. Plura dabunt Hiſtoriae et Regulae Monachorum.

poſſint. Quod unico tantum, ſed evidentiſſimo exemplo declarabo. Non citra rationem *Sam. Schelguigius*, in Diſſertatione iam laudata, in numerum ſermonum otioſorum refert etiam diſputationes de rebus Theologicis inanes et vanas, tum ratione obiecti, tum ratione finis. Vide, ſi placet, illam Diſſert. p. 25 usque ad p. 30, quo ultimo loco verba mihi occurrunt, quae hic etiam legi merentur: *Huc referimus in Theologico foro diſputationes, quibus ingenium potius oſtentare, quam veram promovere pietatem ſtudemus, de quibus incomparabilis Theologus, B. Chemnitius monet* „ quod ſemper cogitandum ſit, Filium Dei „ non eam ob cauſam prodiiſſe ex arcana ſede aeterni „ Patris, et revelaſſe doctrinam coeleſtem, ut femina „ ſpargeret diſputationum, quibus oſtentandi ingenii „ cauſa luderetur; ſed potius, ut homines de vera „ Dei agnitione, et omnibus iis, quae ad ſalutem „ neceſſaria ſunt, erudirentur.“ En regulam certiſſimam, et ſuffragiis omnium digniſſimam! Sed quot non ſunt Theologi, qui, poſita hac regula, otioſi vaniloquii coargui poſſe, multis videbuntur, qui ipſi tamen huiusmodi iudicium omni opere deprecabuntur, ac iniquitatis accuſabunt? Ita hominum iudicia, de utilitate vel inutilitate ſermonis, a ſe invicem continuo diſcrepare, certum eſt. Diſcrepantia illa incertitudinem parit atque alit, incertitudo angores conſcientiae auget. Quare cum haec doctrina unicum in interpretatione communi verborum Chriſti, de quibus diſſerimus, fundamentum habeat, cum interpretatio illa a ſcopo dicentis recedat, niſi ad tacitam argumentationem a minori ad maius, de qua § 111 diximus, recurras, quod ſane gratis dicitur, non male faciunt, qui aliam interpretationem commodiorem, dummodo illa regulis bonae Hermeneuticae non adverſetur, priori anteponunt.

§ VI.

Ad argumentum, pro recepta interpretatione allatum, reſpondetur.

Si quis adverſus ea, quae hactenus in medium protulimus, communiorem vocis ἀργὸς ſignificatum et uſum urgendum eſſe putaret, ei, ut ſpero, in ſequentibus ſatisfaciemus. Sed aliud praeterea, pro receptiori interpretatione, argumentum attulit *Schelguigius*, quod ne forte quempiam moretur, ſine reſponſione dimittere non poſſumus. Ita autem ille in Diſſertat. ſaepius cit. p. 22 ſcribit: *Verum enim vero, ſi ſcopum Chriſti attendamus, novi aliquid, neque proletarii, adferre volebat, ut auditores ad rigorem extremi iudicii tanto diligentius penſitandum excitaret. Non igitur de verbis blaſphemis, perniciosis, calumniosis, et obtrectatoriis locutus eſt. Nam quis non novit, rationem de iis reddendam eſſe? Sed ad talia verba reſpexit, quae alioquin ab hominibus non creduntur in iudicium vocatum iri.* Ego ambabus manibus viro erudito largior, Chriſtum illo loco, cui illuſtrando hanc operam impendimus, talia protuliſſe, quae Phariſaei eorumque diſcipuli ignorabant, ad quae non ſerio attendebant, aut quae propter opiniones praeiudicatas, quae altas nimium in animis ipſorum radices egerant, cognitioni eorum ſubtracta tunc erant. Nam Euangeliſta primum obſervat, Dominum perſpexiſſe cogitationes et ratiocinationes Phariſaeorum v. 25, εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν. Adverſus has Phariſaeorum ἐνθυμήσεις, quas illi etiam, blasphemis verbis conceptas, populo propinabant, Servator oratione ſua diſputat. Illis etiam haec opponit v. 36, Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν etc. Qua ratione etiam Servatorem adverſus Phariſaeos diſputantem videmus, Matth. v. 22, 28, 32, 34, 39, 44.

44. Sed quodnam erat novum illud et ſingulare, quod Phariſaeis non obſervatum eſt, Dominus vero diſcipulos ſuos docere voluit? An id docere voluit, hominibus etiam pro verbis tantum otioſis Deo reddituros eſſe rationem? Non videtur. Nam doctrina huiusmodi Iudaeis nova eſſe non poterat, quippe quam in ſcholis Magiſtri ipſorum publice profiterentur, uti exempla, § IV allata, unumquemque docere poſſunt; ut iam taceam obſtare ſententiae huic plurima alia, quae § V prolixe expoſita ſunt. Sed regeri mihi audio, de blaſphemia et ſermonibus aperte impiis dubium nemini fuiſſe, de his itaque Chriſtum Dominum locutum non eſſe, ſed de huiusmodi ſermonibus, quorum diſcrimen et ſeverum iudicium non usque adeo omnibus erat perſpectum. Et hoc accipio, et quam maxime probo. Et ego ita iudico, Servatorem hic proprie non loqui de blaſphemia, quatenus blaſphemia eſt, et ut talis conſideratur. Phariſaei certe, quod in dubium venire minime poteſt, neque ſciebant, neque credebant ſe blaſphemare. Fuerint a vera ac ſalutari Dei cognitione, fuerint a vera pietate quam longiſſime repulſi, fuerint in ſenſum improbum traditi, non tamen eo usque impietatis erant progreſſi, ut ſcientes volentes blaſphemiam committerent. Neque etiam populo perſpectum erat, Phariſaeos blaſphemia proprie ſic dicta os ſuum polluiſſe. Nam ſic ab omnibus, pro impiis, ſacrilegis ac morte dignis habiti fuiſſent. Sed praeter blaſphemiam, de qua Phariſaei non cogitabant, etſi vere blaſphemarent, alius quoque inerat in ſermone illo, quem adverſus miracula Chriſti effutierant, character peſſimae indolis, cuius non poterant non ſibi magis eſſe conſcii, etſi illius tam grave et tremendum iudicium non pertimeſcerent; Sophiſtica nempe et fraudulenta ſui ipſorum, uti nec minus aliorum deceptio, et a veritate ſalutari alienatio. Nempe per evidentiſſima teſtimonia, de divinitate et

veritate doctrinae Chriſti, miracula intelligo; eaque et numero plura, et indole excellentiora, et virtute maiora, quam hactenus unquam in mundo viſa fuerant, quae erant omni exceptiore potiora, Phariſaei tamen, ſolo Chriſti et doctrinae ab ipſo traditae odio, convinci omnibus modis renuebant. Itaque cum ſplendidiſſimis veritatis in Chriſto relucentis characteribus nihil veri ac ſolidi opponere poſſent, Sophiſtarum inſtar, ratiunculas quasdam conquirebant, inanes quidem ac vanas, ſed aliquo tamen colore, aliqua ſpecie ornatas ac veſtitas; qua inani ſpecie, primum ſe ipſos, quibus veritas curae cordique non erat, quamvis conſcientia reluctante, irretiri ſinebant, ac mox alios faſcinabant, iſtaque ſophiſtica deceptione a veritatis Divinae ſalutari agnitione avertebant. Hoc eſſe ῥῆμα ἀργὸν, de quo Chriſtus loquitur, et huic quidem tremendum iudicium Servatorem denunciare, exiſtimo; quod ſuo loco argumentis quibusdam confirmare annitar.

§ VII.

Multi interpretes, per ῥῆμα ἀργὸν, intelligunt verbum impium ac penitus malum.

Id hactenus potiſſimum egi, ut oſtenderem, ῥῆμα ἀργὸν, quod Chriſtus teſtatur in iudicium eſſe adducendum, ſignificare non verbum pure *otioſum*, ſed impium, criminis et impietatis indicia ſecum vehens. Ea iam eſt interpretatio *Chryſoſtomi*, ſicuti verba eius (*) leguntur in *Nicetae* Catena Graecorum Patrum in Matthaeum, edente *Corderio* p. 443, ἀρ-

(*) Eadem legas tom. VII Operum *Chryſoſtomi* p. 453 edit. Montfauconii.

ἀργὸν ῥῆμα ἐστὶν, τὸ μὴ κατὰ πράγματος κείμενον, τὸ ψευδὲς, τὸ συκοφαντίαν ἔχον. Τινὲς δέ φασιν, ὅτι καὶ τὸ μάταιον, ὃ ἐστιν, τὸ γέλωτα κινοῦν ἄτακτον, ἢ τὸ αἰσχρὸν, ἢ ἀναίσχυντον καὶ ἀνελεύθερον, i. e. *Corderio* interprete: *Otioſum autem verbum eſt, quod nulli rei prodeſt, quod falſum, quod calumniam adiunctam habet: quidam vero aiunt, etiam id quod vanum eſt, ut, quod inordinatum movet riſum, quod turpe, pudendum, illiberale. Chryſoſtomum* hic, uti in multis aliis, ſequitur *Theopylactus*, in cuius Commentario haec leguntur ex interpretatione *Oecolampadii: Terret nos hic, quoniam et pro otioſo verbo rationem daturi ſumus, hoc eſt, pro mendacio, calumnia, inordinatis, et ridiculis.* Haec interpretatio, quam certe ipſa orationis Chriſti, recte expenſae, ſeries ſponte ſuppeditat, non immerito ſe commendavit eruditis quibusdam inter recentiores noſtros interpretes. Prolixe eam adſtruit atque illuſtrat *Hammondus* in annotationibus, lectu omnino dignis, ſed prolixioribus, quam ut hic locum inveniant. Aliorum quorumdam, quibus idem videtur, nomina dabit Vener. *Wolfius* in Curis Philol. in Matth. p. 218, ubi poſtquam nomina illa recitaſſet, ſententiam eorum hiſce complectitur: *Plerique eo tendunt, ut, per μειότητα (h), otioſus et vanus ſermo de peſſimo quoque, atque adeo non ſolum vano, aut inutili, ſed noxio, impio, iniurio et blasphemo accipiant, unde et in Scholiis nonnullorum Codicum marginalibus per πονηρὸν explicatur. Atque in horum mente acquieſcimus.*

§ VIII.

(*h*) Vid. de hac Figura, quae Latine *dimunitio* vocatur, *Glaſſii* Philol. S. Lib. V Tractat. I cap. XIX col. 1947 et ſeqq., *Hammondi* Annotationes, *Al. Mori* ad quaedam loca N. Foederis notas p. 62.

§ VIII.

Et quidem ſpeciatim mendacium et calumniam.

Cum vero ſapientiſſimus Servator, ſeverum illud iudicium, non adverſus impios ſermones quoſcumque, ſed, uti ordo orationis indicat, adverſus quosdam ſpecialius, quos nempe in Phariſaeis reprehendit, videatur pronuntiaſſe, quidam ex illis interpretibus, quos § ſuperiori deſignavi, id etiam ſibi datum eſſe negotii crediderunt, ut, cuiusnam generis ſit illud ῥῆμα ἀργὸν, de quo ſigillatim Dominus verba ſua intelligi vult, accuratius declararent et definirent. Et hic ex veteribus rurſum facem aliis praetulit *Chryſoſtomus*, qui ῥῆμα ἀργὸν interpretatur *mendacium*, *calumniam*. Verba eius, ex quibus haec eius ſententia perſpicitur, exhibui iam § VII. Placet haec interpretatio *Grotio*, qui eamdem ex genio linguae Hebraicae illuſtrat. Annotationem eius, pauculis verbis conceptam, et huc tranſcribere non gravabor: κενὸν λόγον, inquit, *Paulus appellat* Eph. v. 6. *Latine* ſermonem vanum *dixerim*. *Puto autem, non eum ſermonem hic notari, qui quoquo modo ſit inutilis, ſed eum, qui veri ſoliditate careat, quomodo* שָׁוְא *Hebraeorum uſurpari ſupra diximus*. *Grotii* veſtigiis inſiſtit etiam *Hammondus*. Nec abeunt ab hac interpretatione *Maldonatus*, *Alexander Morus*, et alii, quorum nomina recenſere taediosum eſt. Opportune, ut puto, interpretes hi monuerunt, vocem ἀργὸς, qua uſus eſt Matthaeus, reſpondere voci Hebraicae שָׁוְא eiusque vim exprimere. Norunt vero, qui aliquam cum ſermone Hebraeo familiaritatem contraxere, vocem illam שָׁוְא pariter et *vanitatem* et *mendacium* deſignare, uti inter res ipſas etiam cognatio quaedam intercedit, quae proinde in Scriptura S. coniungi ſatis frequenter ſolent, Proverb. XXX. 8, Pſalm. IV. 3, Ion. II. 8. LXX igitur Interpre-

pretes vocem שוא, modo κενὸν, modo μάταιον, modo ψευδὲς transferre videas. Et has omnes notiones complectitur etiam vox Graeca ἀργὸν; quare ἀργὸν ῥῆμα non minus ſermonem *mendacem*, *calumnioſum*, quam *otioſum* ſubindicat. Mendacii vero ſignificationem hic praecipue ſpectandam eſſe, ex ſcopo orationis Chriſti illico intelligitur. Phariſaei enim, ut miraculis Chriſti apud populum detraherent, audacter mentiebantur, Servatorem communionem colere cum Satana, ſpiritu immundo, et huius ope, cum alia miracula edere, tum etiam daemonia eiicere. Hoc atrox mendacium, blaſphemam hanc calumniam, oratione ſua Dominus inſectatur, de eius iudicio ſevero teſtatur. Alibi autem apertius Iudaeorum hoc ῥῆμα ἀργὸν appellat *mendacium*, Ioh. VIII. 44.

§ IX.

Alii ſpecialius per ἀργὸν ῥῆμα blaſphemiam indicari volunt, quod non niſi cum limitatione admittitur.

Sed ne hoc quidem ab omni parte mihi ſatisfacere videtur. Nam non generatim Chriſtus mendacium quodvis tanto cum zelo hic perſtringit, ſed ſingularem aliquam mendacii ſpeciem, quae cum mendacio Phariſaeorum, in quo praetera blaſphemiam obſervare iubemur, ad commune aliquod genus referri poſſit. Ita interpretor verba Chriſti Domini, Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, etc., *Dico vobis, omnia huiusmodi vana et mendacia verba, etc.* Quare hic diſcedere cogor ab *Hugone Grotio*, qui verba haec de omni qualicumque mendacio capienda eſſe cenſet, quique in illis argumentationem a minori ad maius ſibi cernere viſus eſt. Ita enim commentatur: *Puto autem, non eum ſermonem hic notari, qui quoquo modo ſit inutilis, ſed eum,*

qui

qui veri soliditate careat. Inest autem tacita a maiori argumentatio: si quodvis mendacium in iudicium deducetur, quanto magis calumnia! Sed profecto, ne verba Christi de mendaciis cuiuscumque generis, etiam levissimis, interpretemur, prohibent rationes non spernendae, quae, ne actum agam, § v legi possunt. Pleraque enim illa argumenta, quae mihi persuaserunt, Servatorem haudquaquam loqui de verbis mere otiosis, militant pariter adversus leviora mendacia, ad quae, etsi profecto sint peccata, haec tamen Christi oratio, quam Matthaeus refert, non extenditur. Certe tota Christi oratio, aequa et exacta lance expensa, ubique prodit, Dominum intra limites argumenti, de quo disputat, sese continuisse, nec ab illo ad alia declinasse, adeoque ῥῆμα ἀργὸν ad illud speciatim mendacii genus esse referendum, quod in Pharisaeis atro calculo notatum fuerat. Ad hoc sine dubio quidam attendentes, iudicarunt, ῥῆμα ἀργὸν, de quo Christus loquitur, esse ipsum blasphemiae crimen. Ita *Simon Episcopius*, nomine (*i*) Remonstrantium, et auctor acutus Dissertationis Epistolicae (*k*) iam memoratae, qui postremus significationem τοῦ ῥήματος ἀργοῦ latius extendit, ut blasphemiam quidem etiam comprehendat, sed tamen alios impios sermones non excludat. Et cum hac limitatione sententiam illam non inviti admittimus. Nempe ῥῆμα ἀργὸν est genus, ad quod blasphemia, ac sigillatim illa Pharisaeorum in Spiritum *S.*, ceu species referri debet. Blasphemia igitur Pharisaeorum vere erat ῥῆμα ἀργὸν, quamvis non concedamus, omne ῥῆμα ἀργὸν, etiam de quo Servator disserit, esse blasphemiam. Si enim ῥῆμα ἀργὸν

(*i*) Apolog. Remonstrant. c. VII p. 90, et in Variis Operibus Theologicis *Episcopii*. Part. II p. 154. b.
(*k*) Biblioth. German. Tom. III p. 105.

γὸν ſpeciatim blaſphemiam hic deſignaret, locum omnino haberet, quod *Schelguigium* contra hanc et ſimiles interpretationes obiecisſe, vidimus § VII.

§ X.

Characteres τοῦ ἀργοῦ ῥήματος, ex noſtra ſententia, diſtinctius proponuntur.

In his igitur virorum doctorum interpretationibus, quas ordine commemoravimus; id omnino probamus et libenter amplectimur, quod contendant, deſignari a Servatore per ῥῆμα ἀργὸν 1.) ſermonem vere malum et impium, 2.) cum mendaci vaniloquio coniunctum, et 3.) quidem tali, quod cum blaſphemo Phariſaeorum mendacio, quo Servatorem impetierant, affinitatem aliquam habeat. Quae cum adhucdum ſint generaliora, unicum hoc ſupereſt, ut proprium characterem mendacis illius vaniloquii, quod Dominus ῥῆμα ἀργὸν nuncupat, paulo diſtinctius evolvamus. Rem ipſam § VII iam indicavi, quae nunc dilucidius explicanda, et idoneis argumentis adſtruenda eſt. Per illud igitur ῥῆμα ἀργὸν, quod ſevero iudicio Dei expoſitum iri Servator aſſeverat, deſignari opinor, *vanam Sophiſticam ratiocinationem, quam quis ſibi effingit atque excogitat, et excogitatam veritati ſalutari, ſplendidiſſima ſua luce radianti, opponit, ut, ſub aliqua rationis umbra et ſpecie, ſe ipſum et alios a veritate, quam odio habet, avertat, ſicque ſe ipſum et alios decipiat.* Ex his per ſe facile colligitur, ῥήματος ἀργοῦ, quale Chriſtus intelligi vult, iſtos a me poni et conſtitui characteres: 1.) Vt opponatur veritati certae. 2.) Et quidem ab ipſo Deo revelatae. 3.) Quae praeterea luculentis veritatis characteribus ſit veſtita, et ut talem ſe commendet conſcientiis omnium recte attendentium. 4.) Quae adhaec ſit veritas maximi

pon-

ponderis et momenti, ad Deum in Christo recte cognoscendum et colendum aut omnino necessaria, aut maximopere conducens. 5.) Vt ratiocinatio, huic veritati opposita, sit manifesto falsa, quaeque ex apertis indiciis, ab homine prudente, mendacii facile et certo coargui possit. 6.) Quae tamen habeat aliquam speciem, affectibus horum, praeiudiciis illorum blandientem. 7.) Aut involuta sit obscuris atque tenebricosis difficultatibus, ex quibus omnes non ita facile se expedire possint. 8.) Quamobrem comparata est ad decipiendos et illaqueandos homines. 9.) Quinimo ad excaecandum et indurandum illum ipsum, qui sophisticae illius ratiocinationis auctor est, postquam a sincero veritatis amore se ipsum avertit. 10.) Qui igitur falsas illas et inanes ratiocinationes veritati evidentissimae opponit, unice ex pervicacia et obstinatione mentis, ex odio veritatis, atque ex contentionis infelici studio. Hanc esse indolem illius ῥήματος ἀργοῦ, quod Servator designat, nunc argumentis quibusdam, prout illa sese offerent, manifestum facere conabor.

§ XI.

Interpretatio nostra probatur I. ex usu vocis ἀργὸς apud Graecos.

Et primo quidem ipse sermonis Graeci usus, qui adversari nobis videbatur, hanc nostram interpretationem non mediocriter confirmat. Nam in Philosophorum Graecorum scholis, aut Sophismata in genere dici consueviffe λόγους ἀργοὺς, aut certe cuidam Sophismatum speciei hoc peculiare nomen fuisse, testimoniis indubiis demonstrari potest. Testem habemus *Ciceronem*, scriptorem quidem Romanum, sed Graecae et Linguae et Philosophiae inprimis peritum, qui in Lib. *de Fato* cap. XII haec memoriae prodidit: *Nec nos impe-*

pediet illa ignava ratio, *quae dicitur. Appellatur enim quidam a Philoſophis* ἀργὸς λόγος, *cui ſi pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: Si fatum tibi eſt, ex hoc morbo convaleſcere; ſive medicum adhibueris, ſive non* [*adhibueris*], *convaleſces. Item, ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo non convaleſcere; ſive tu medicum adhibueris, ſive non* [*adhibueris*], *non convaleſces; et alterutrum fatum eſt. Medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis* ignavum *atque* iners *nominatum eſt, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio.* Equidem, ſi audimus *Ciceronem*, λόγος ille Philoſophorum ἀργὸς, de quo loquitur, non ab eo nomen traxit, quod ipſi ineſſet vana et mendax ratiocinatio, quodque ad decipiendum et irretiendum alios eſſet compoſitus, ſed ab effectu, quod nempe homines otioſos reddat, et a debita ſui ſuaeque valetudinis cura abſtrahat. Sed forte *Cicero*, hoc in loco, oratorem potius egit, quam Philoſophum, neque tam dixit, quod ipſi rei veritati conſentaneum, quam quod argumento illi, in quo illuſtrando occupatus erat, appoſitum et accommodatum eſſet. Nota ceteroquin vulgo ſunt Sophismata Stoicorum, qui veſtigiis Eriſticorum et Dialecticorum, ex *Euclidis* Megarenſis ſchola, inſiſtentes, Dialecticam ſic excolebant, ut artem hanc quotidie locupletarent novis ſophismatum ſpeciebus, et λόγοις ἀπόροις, i. e., ut *Gellius*, Noct. Attic. L. IX C. 15, verti poſſe putat, *inexplicabilibus*, quibus audientes modo inextricabili illaquearentur. Plura, ſi cui volupe eſt, ea de re videri poſſunt apud *Diogenem Laërtium* in vitis *Euclidis* Eriſtici, et *Chryſippi* Stoici, cui iungendae erunt doctiſſimae *Menagii* obſervationes p. 121 ac ſeqq., itemque p. 295, 296. Quo reſpiciens, ipſe *Cicero*, de Oratore Lib. I c. X, *Stoici noſtri*, inquit, *diſputationum ſuarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent.* Recte de

illis

illis inexplicabilibus Stoicorum ſermonibus, *Themiſtius* Philoſophus ita iudicat Orat. II, eſſe σόφισματα δυσμήχανα, καὶ κακοῦργα, καὶ ὧν χαλεπὴ μὲν ἡ ξύνεσις, ἄχρειος δὲ ἡ ἐπιςήμη, *moleſta ac improba ſophismata, quorum et intelligentia difficilis, et* inutilis *notitia eſt.* Vides Philoſophum, λόγους illos Stoicorum, quos ipſi vocabant ἀπόρους, nuncupaſſe ἀχρείους, quod idem plane eſt, ac ἀργοὺς, *inutiles et otioſos.* Recte itaque nomen hoc λόγος ἀργὸς omnibus illis tribuetur Stoicorum ſophismatibus, etſi uſu invaluerit, ut uni alicui ſpeciei proprium dicatumque eſſet, ſicut et reliquae ſpecies ſua peculiaria nomina habuerunt, de quibus *Laërtius* et *Menagius* loc. cit. conſuli poſſunt. Nomen autem hoc ſophismati illi ab ipſa re inditum eſſe putem, quod eſſet vere λόγος ἀργὸς, *ratiocinatio* omni veri ſoliditate vacua, inutilis, tantum ad decipiendum et irretiendum conſtructa. Ita cepiſſe videtur *Origenes* contra Celſum Lib. II p. 73 [t. I. p. 406, 407], Καὶ ὁ καλούμενός γε παρὰ τοῖς διαλεκτικοῖς ἀργὸς λόγος, σόφισμα τυγχάνων, οὐκ ἔξαι μὲν σόφισμα, ὅσον ἐπὶ τῷ Κέλσῳ, κατὰ δὲ τὸν ὑγιῆ λόγον σόφισμά ἐςιν, *Alioquin Sophisma illud, quod Dialectici* ἀργὸν λόγον *nominant, non erit ſophisma, Celſo iudice, cum revera ſophiſma ſit.* Idem ibidem, pluſculis interiectis, Ἀλλὰ καὶ ὁ ἀργὸς καλούμενος λόγος, σόφισμα ὢν, τοιοῦτός ἐςι, λεγόμενος ἐπὶ ὑποθέσεως πρὸς τὸν νοσοῦντα, καὶ ὡς σόφισμα ἀποτρέπων αὐτὸν χρῆσθαι τῷ ἰατρῷ πρὸς ὑγίειαν, καὶ ἔχει γε οὕτως ὁ λόγος· εἰ εἵμαρταί σοι ἀναςῆναι ἐκ τῆς νόσου, etc. Quae ita ſunt vertenda. *Huiusmodi eſt et ſophisma illud, vocatum* ἀργὸς λόγος, *dici ſolitum ad aegrotum ex ſuppoſitione, ut is ſophiſtica hac ratiocinatione impeditus avertatur, quo minus ad recuperandam valetudinem medico utatur, et ita ſe habet: ſi tibi fatum eſt, ex hoc morbo convaleſcere, etc.* Vide quae ſupra iam ex *Cicerone* adduximus, cum hiſce *Origenis* plane conſonantia.

Men-

Mentionem huius Sophismatis reperio etiam apud *Plutarchum* in libro de Fato p. 1019. ed. Steph. Ἀργοὶ δὲ καὶ (*l*) θερίζοντες λόγοι, καὶ ὁ παρὰ τὴν εἱμαρμένην ὀνομαζόμενος, σοφίσματα ὡς ἀληθῶς κατὰ τοῦτον τὸν λόγον τυγχάνει ὄντα, i. e. *Xylandro* interprete, *Nam iſtae argutiunculae, quae ignava oratio et metens, et is, qui de fato appellatur, re vera ſunt ſophismata, vel* fallaces concluſiunculae, *e diſputatione de Fato tractae.* In quibus *Plutarchi* verbis illud obſervatu dignum eſt, λόγον ἀργὸν Stoicorum diſtingui ab alio Sophismate eorum, quod a Fato nomen habet. Conſtat igitur ex his, Philoſophos ἀργοὺς λόγους ſpeciatim appellaſſe *Sophismata* ad fallendum et illaqueandum excogitata, veri autem ſoliditate vacua. Et ita forte accipienda erit vox eadem in praecepto Pythagorico, cuius iam plus ſemel mentionem fecimus, αἱρετώτερόν σοι ἔσῳ, λίθον εἰχῇ βάλλειν, ἢ λόγον ἀργόν. Pythagoraeos enim a Dialecticorum argutiis et ſubtilibus nugis plane abhorruiſſe, in hiſtoria Philoſophica teſtatum et pervulgatum eſt. Nec ſpernenda ſunt, quae *Hammondus*, poſtquam eamdem Pythagorae ſententiam protuliſſet, obſervat (*m*): *Evidens eſt*, inquit, λόγον ἀργὸν *hic ad minimum ſignificare ſermonem temere et praecipitanter prolatum, aptum, natum, non ſecus, ac lapidem temere proiectum, ad laedendum vel illum ipſum, qui verbum protulit, vel alios.* Hic igitur uſus ſatis tritus et communis τοῦ λόγου ἀργοῦ inter Graecos fuit, qui, ſi Matthaeo, Graece ſcribenti, notus fuit, uti ſane nihil credere ve-

(*l*) Θερίζων, vel *metens*, erat etiam nomen peculiare ſophismatis alicuius Stoici. Vide *Menagium* in *Diog. Laërt.* p. 123. b.

(*m*) In annot. ad Matth. XII. 36. Vtor autem editione Anglica, quae Operibus eius eſt inſerta, ex qua, quia verſio *Clerici* Latina ad manus non eſt, haec utcumque tranſtuli.

vetat, quid impedit, quo minus dicamus, Euangeliſtam eo reſpexiſſe?

§ XII.

II. *Ex uſu et ſignificatu vocum cognatarum apud ſcriptores Sacros.*

Aliud, et longe firmius quidem, argumentum ſubminiſtrat nobis ſermo ille Graecus, quo ſcriptores Sacros uſos eſſe novimus. Vbi extra dubitationis aleam poſitum eſſe opinor, voces has, μάταιος, κενὸς, ἀργὸς, inter ſe convenire, et ſaepe rem eamdem ſubindicare, quae cauſa eſt, quare vacabulum Hebraicum, שָׁוְא, modo per μάταιον, modo per κενὸν, a Graecis Interpretibus redditum fuerit, cum quibus, ſi ſpectes ſignificationem, ἀργὸν penitus conſonare, a *Grotio*, *Hammondo* aliisque eruditis commentatoribus iam pridem obſervatum eſt. Frequenti autem uſu apud ſcriptores Sacros invaluit, ut λόγοι μάταιοι et κενοὶ tales cumprimis ſermones deſignent, qui non tantum ſunt nugaces, vani et ſtulti, ſed etiam ad decipiendum, ad illaqueandum, ad abducendum a veritate compoſiti. Ita Paulus Apoſtolus videtur adhibuiſſe τὸ μάταιον Rom. I. 21, de Ethnicis ſic pronuntians, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς λογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Μάταιον hic vocat Apoſtolus, quod ſcriptores Veteris Teſtamenti, loquentes de idololatria Gentilium, שָׁוְא dicere conſueverunt. Ea autem voce Apoſtolus, uti ex verborum nexu facile colligitur, hic ſpeciatim indicare voluit ratiocinationes fallaces, Sophiſticas, quibus faſcinati Gentiles etiam in cultu ſuo idololatrico faſcinati fuere. Bene *Grotius* ad illum locum ita ſcribit: *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, ut Academici, qui pro omnibus et contra omnia diſputabant. Sic*

Ni-

Nimium altercando veritas amittitur.

Vide Ciceronis Disputationes de Natura Deorum. Et interiectis quibusdam, locum Pauli conferens cum Ierem. II. 5, utrumque hac Paraphrasi illustrat: *Magno conatu maximas egere nugas, non inutiles tantum, sed et damnosas ipsis et aliis.* Non aliud eidem Apostolo significat ματαιολόγος Tit. I. 10, εἰσὶ γὰρ πολλοὶ ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται, *sunt enim multi vaniloqui et seductores*, ubi vis prioris vocis, ex mente Apostoli, voce sequenti explicatur. Addit illico Paulus: *Quibus oportet os obturare, qui totas domus subvertunt, docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia.* Ex quibus etiam clarius perspicitur, cuiusnam generis sit λόγος ille μάταιος, quem Apostolus describere vult. Alia exempla, ne sim longior, omitto. Eamdem plane significationem esse vocis κενὸς, quam cum voce ἀργὸς conferre inprimis solent eruditi Scripturae interpretes, paucis etiam manifestum faciam. Nihil sane luculentius adferri potest illis Pauli verbis, Eph. V. 6, Μηδεὶς ὑμᾶς ἀπατάτω κενοῖς λόγοις· διὰ ταῦτα γὰρ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας, *Nemo vos seducat inanibus sermonibus: propter haec enim venit ira Dei in homines contumaces.* Ecce, Paulus per κενοὺς λόγους intelligit sermones Sophisticos, qui homines blanda, sed mendaci ac falsa ratiocinatione, a veritate salutari abducunt, eoque ipso illos iudicio Divino exponunt. Substitue modo voci κενὸς, quam hic adhibet Apostolus, vocem ἀργὸς, qua utitur Servator, uti re ipsa duas has voces inter se convenire largiuntur docti Interpretes, et reperies profecto insignem convenientiam inter hanc Pauli, atque Christi Domini sententiam. Nom minus argumentum hoc illustrat alius eiusdem Apostoli locus egregius, Coloss. II. 8, Βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παρά-

δοσιν τῶν ἀνθρώπων, *Videte, ne quis ſit, qui vos de praedetur per Philoſophiam et inanem ſeductionem, ſecundum traditionem hominum.* Non hic Apoſtolus ipſam Philoſophiam damnat, ſed Philoſophiam inter Graecos receptam, illiusque κενοὺς, vel ἀργοὺς λόγους, ſive, uti Paulus adhuc clarius et diſtinctius rem exprimit, κενὴν ἀπάτην, ſophiſticas et fraudulentas ratiocinationes, quibus homines irretiti, a veritatis Chriſtianae ſalutari cognitione retrahebantur. Ex quo exiſtimare licet, qudnam Apoſtolus intelligat per κενοφωνίαν, cuius mentionem facit 1 Tim. vi. 20, 2 Tim. ii, 16, quamque appoſite ad eius mentem ἀργὸν λόγον, vel ἀργοφωνίαν appellare poſſemus. Sed vela paulatim contrahenda eſſe memini.

§ XIII.

III. *Ex nexu et ſcopo orationis Chriſti.*

Et ſapientiſſimum quidem Servatorum, quando ῥῆμα ἀργὸν nominat, nihil aliud intelligere, quam talem κενοφωνίαν, vel κενὴν ἀπάτην, non melius atque certius, quam ex ipſa Domini diſputatione adverſus Phariſaeos, eiusque ſcopo primario evinci poteſt. Phariſaei Miraculis Chriſti, ad quae ipſe, ceu ad irrefragabile teſtimonium miſſionis ſuae Divinae provocare ſolebat, Matth. xi. 4, 5, Ioh. v. 36, x. 25, xv. 24, unicum hoc Sophisma, hanc κενὴν ἀπάτην, hanc κενοφωνίαν opponebant: *Iſte non eiicit daemonia, niſi per Beëlzebulem, principem daemoniorum.* Hoc Sophisma Servator primo vocat blaſphemiam in Spiritum Sanctum, quia profecto argumentationi huic ineſt blaſphemia et contumelioſa maledictio, adverſus potentiſſimum illum et ſanctiſſimum Divinitatis Spiritum, qui in Chriſto Domino habitabat, et per illum operabatur. Idem illud Sophisma Servator etiam vocat ἀρ-

γὸν

ψδν ῥῆμα, quatenus eſt κενοφωνία, et κενὴ ἀπάτη, mendax et deceptrix ratiocinatio, ad homines a veritate ſalutari abducendos. Quare characteres illos ipſos omnes, quos § XI λόγῳ ἀργῷ aſſignavimus, in hoc Sophismate Phariſaeorum deprehendere poſſumus. Etenim frivola illa et vana Phariſaeorum ratiocinatio 1.) opponebatur veritati certae, opera Chriſti eſſe opera vere Divina, et teſtari indubie de ipſius miſſione Divina. 2.) Quae veritas ab ipſo Deo quondam per Prophetas Veteris Teſtamenti, et tunc per ipſum Dei Spiritum, maxima cum efficacia, virtute et claritate operantem per Chriſtum, revelata erat. 3.) Eaque veritas luculentis et non inficiandis characteribus ſeſe prodebat, atque ut talem ſe commendabat conſcientiis hominum, quinimo pro tali vulgo etiam agnoſcebatur, Ioh. III. 2, IV. 42, VI. 14, VII, 26, 31, Luc. VII. 16. 4.) Et erat iſta veritas maximi ponderis, eum in finem hominibus revelata, ut, quemadmodum Dominus, adverſus Phariſaeos diſſerens, obſervare Iudaeos iubet, *regnum Dei ad ipſos perveniret*, Matth. XII. 28. Quinimo veritate hac non agnita, ne quidem Iſraëlis Deus recte cognoſci poterat, Ioh. VIII. 19, XVI. 3, XVII. 3. 5.) Ratiocinatio Phariſaeorum, huic veritati oppoſita, erat manifeſto falſa, et a Servatore argumentis perſpicuis ac certiſſimis mendacii et fraudulentae deceptionis arguebatur, Matth. XII. 24 usque ad comma 30. 6.) Attamen habebat illa aliquam ſpeciem, affectibus et praeiudiciis Phariſaeorum, veritati adverſantium, adblandientem. Nam ex Scriptura, veluti certum, et plane indubium, hoc admitti poſtulabant α. Spiritus immundos, ac praeſertim Satanam, principem eorum, inſigni valere potentia. β.) Intercedere poſſe hominibus cum ſpiritu impuro aliquam communionem, quinimo Satanam eſſe principem huius mundi, et potenter operari in impiis ac incredulis. γ.) Proinde etiam Pſeudoprophetam poſſe perficere in-

credibilia, quaeque vires hominum ſuperent, iisque ad decipiendum alios poſſe abuti, Exod. VII. 11, 22, VIII. 7, Deuter. XIII. 1, 2, 3. confer. Matth. XXIV. 24, 2 Theſſal. II. 9. Haec fundamenta argumentationis Phariſaeorum, Servator ipſe, in diſputatione ipſis oppoſita, ut vera concedit; unde conſequitur, Sophiſticam fallaciam conſtitiſſe in fraudulenta iſtorum principiorum applicatione ad opera Chriſti. 7.) Ita tamen Sophiſtica illa argumentatio a Phariſaeis proponebatur, ut ſpeciem blande fallacem ab ipſa rei veritate omnes non illico dignoſcere, neque ex tricis Phariſaeorum ſe expedire poſſent. 8.) Quare factum eſt, ut mendacio hoc Iudaei illaqueati, et a fide in Servatorem abducti fuerint, uti profecto (*n*) hoc ipſum, aut ſaltem ſimilia mendacia, miraculis Chriſti Domini conſtanter in ſcriptis ſuis oppoſuerunt. 9.) Neque dubium eſt, quin Phariſaei, Sophiſticae huius argumentationis fabricatores, ſe ipſos non minus, quam alios, etſi primo invita et reluctante conſcientia, deceperint et irretierint, avide hauriendo et in intimos animorum receſſus admittendo, quae praeiudiciis ſuis, odioque in Chriſtum concepto vehementiſſimo, blande patrocinari videbantur. Quae ſine dubio ratio eſt, ob quam Phariſaei, proprio ſuo mendacio vere credentes, ex ignorantia peccaſſe dicantur, Ioh. XVI. 3, Rom. X. 2, 3, 1 Cor. II. 8, Luc. XXIII. 34. 10.) Quae

(*n*) Vid. *Hug. Grotium* de Verit. Relig. Chriſt. Lib. V §. 3, *Huldricum* in notis ad blasphemam Iudaei anonymi *hiſtoriam Ieſu* p. 13, 19 ſqq., *Salom. Tillium* in Commentar. ad Matthaeum p. 489. Eoque ſtudio miraculis Chriſti contradicendi, in haec tandem praecipitia abrepti ſunt Iudaei recentiores, ut nulla, ne ipſa quidem Moſis miracula, agnoſcant pro certis indiciis veritatis et miſſionis Divinae; quod teſtimoniis *Moſis Maimonidae* et *Ioſephi Albo* probat *Camp. Vitringa* Obſervat. Sacr. Lib. II cap. XVI, §. 7.

10.) Quae ignorantia tamen blaſphemiam et peccatum graviſſimum Phariſaeorum nulla ratione excuſat, ſiquidem certiſſimis rationibus oſtendi poteſt, ipſos veritati Divinae ac ſalutari, quam ceteroquin amplexuri fuiſſent, tunc ſolo Chriſti odio, ut invidiae et praeiudicatis ſuis opinionibus ditare poſſent, pertinaciter reſtitiſſe, ac mendacia, quibus veritati huic atra caligo obduceretur, cupide excogitaſſe et conquiſiviſſe, adeoque ſua culpa, ultro et ſponte, in hoc mendacii et deceptionis barathrum ſe immerſiſſe. Et ſic iam ratio facile reddi poteſt, quamobrem Sanctiſſimus Servator, poſtquam adverſus Sophisma Phariſaeorum graviter diſſeruiſſet, cum aſſeveratione quadam affirmet, omnes huiusmodi ſermones a Deo in iudicium adductum iri, tanquam ea de re dubium oboriri cuipiam poſſet. Nam cum Phariſaei odio Servatoris usque adeo faſcinati eſſent, ut mendacio, in propria ſua officina confiſto, fidem adhiberent, non ſecus ac ſi veritas eſſet certa et teſtata, quid quaeſo mirum eſt, quod gravitatem huius facinoris non usque quaque perſpicerent, quodque a Servatore rei ſibi non obſervatae admonendi eſſent?

§ XIV.

Accedit IV, *conſenſus veterum quorumdam, ac ſpeciatim Irenaei.*

Reſtat unum, quod plane intactum praetermittere nolim. Eſt namque illa, quam Lectori hactenus obtuli, interpretatio non in univerſum nova, mihique propria. Quinimo deprehendi, iam veteres quosdam verba Chriſti non aliter, atque ego explicanda ea eſſe cenſui, accepiſſe. Sufficiat nunc unicum attuliſſe *Irenaeum*, qui adverſus delira Valentinianorum ſomnia, magnam partem ex Philoſophia Platonicorum illius temporis delibata, diſputans, in haec verba ſcribit,

Lib. II cap. XIX § 2, ed. Masſueti: *Poſt deinde, quod dicant, ignoraſſe Fabricatorem eam, quae fuit ſeminis in eum demiſſio, et iterum eam, quae facta eſt per eum in hominem ſeminatio; futile verbum* (o) *et vanum, quod nullo modo oſtendi poſſit.* Et poſtquam futilem illam ac vanam Valentinianorum doctrinam, apertis indiciis, mendacii inſulſi conviciſſet, haec ibidem addit: *Et propter hoc mihi videtur etiam Dominus dixiſſe:* Omnis ſermo otioſus, quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicii. *Omnes enim quicumque tales ſunt, otioſos ſermones in aures hominum immittentes, adſiſtent in iudicio, rationem reddituri de his, quae* vane coniecerunt et mentiti ſunt *adverſus Deum.* Quae poſtrema verba ſatis perſpicue teſtantur, *Irenaeum* de verbis Domini nobiſcum idem prorſus ſenſiſſe et iudicaſſe.

§ XV.

Epilogus ſubindicans uſum huius interpretationis.

Poſtquam fundamenta interpretationis noſtrae indicavimus, operae pretium foret, uſum illius doctrinae, quam interpretatio noſtra illico legentibus offert, oſtendere, et luculentius explicare. Et magna cum voluptate, argumentum hoc uberius perſequerer, niſi limites mihi praeſcriptos propemodum iam exceſſiſſem. Meminerimus interim 1. purum et ſimplex veritatis ſtudium, hac oratione Domini, magnopere commendari, ut quae eſt pars rectitudinis, in qua Deus hominem creavit, a qua abeunt artes et ratiocinationes, quas ſibi homines fingunt, Eccleſ. VII. 29. 2. Illudque veritatis ſtudium tanto debere eſſe contentius et diligentius, quan-

(o) In Graeco videtur fuiſſe ῥῆμα ἀργὸν καὶ κενόν.

quanto magis homines ab erroribus, ad quos per ſe nimium proclives ſunt, undique circumdantur et urgentur. 3. Veritati coelitus revelatae, ac fulgore ſuo conſcientias hominum irradianti, non ſine praeſentiſſimo periculo obniti poſſe homines, quocumque etiam praetextu id fiat. 4. Eum in finem, animum a praeiudiciis cuiuſcumque generis ſedulo purgandum, et adverſus illa omni induſtria muniendum eſſe. 5. Cavendum inprimis maximopere eſſe, ne quis, ad eludendam veritatem, cuius vim in conſcientia perſenſit, ſed quam veram eſſe nollet, argutas ratiunculas ſibi ipſe excogitet, ac niſu omni propugnet, eoque, uti perſonam ſeductoris ſuſcipiat, ita criminis eiusdem reus evadat. 6. Itaque in omnibus rebus magni momenti ſibi ipſi et propriis ſuis opinionibus et placitis diffidendum, omnia potius, ad normam Verbi Dei et conſcientiae, ſerio et ſollicite, ſine aliquo partium et contentionis ſtudio, expendenda eſſe. 7. Omnium vero maxime, precibus ad Deum veritatis confugiendum ſemper, ipſiusque auxilium humili et pura mente implorandum eſſe. Illum igitur et nos veneramur, ut per Spiritum veritatis nos ducat in omnem veritatem, nosque in veritate Verbi ſui ſanctificet.

EXERCITATIO THEOLOGICA

DE

SALSVRA IGNIS AETERNI,

AD MARCI IX. 49.

§ I.

Cauſae Diſſertationis huius conſcribendae.

Bonam illi ab aequis lectoribus gratiam merito ſuo ineunt, qui locis S. Scripturae paulo obſcurioribus et intellectu difficilioribus lucem pro virili affundere nituntur, dummodo id pio animi inſtinctu faciant, debitamque ſimul et diligentiam et modeſtiam adhibeant. Quodſi enim ne vel ſic quidem ſemper ipſis eveniat, ut rem acu tangant, quod perſaepe fortunae magis debetur, quam ingenio et induſtriae, aliis tamen plerumque novam meditationis materiam, aut occaſionem in verum Scripturae ſenſum altius penetrandi, ſubminiſtrare ſolent. Qua ſpe et ego fretus, ad illuſtrandum Scripturae locum, qui multorum ingenia vehementer torſit, ſymbolam quoque meam nunc conferam. Occurrit ille *Marci* cap. IX v. 49, atque in codicibus noſtris Graecis ita legitur: Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶ-

πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. Quod *Vulgatus Interpres* ita Latine reddidit: *Omnis enim igne ſalietur, et omnis victima ſale ſalietur. Erasmus* et poſt hunc *Beza* ita verterunt: *Omnis homo igne ſalietur, et omnis oblatio ſale ſalietur.* Poſterior vero in notis obſervat, *Syrum interpretem videri particulam* כל *accepiſſe pro re omni, quaſi Graece* πᾶν *neutro genere ſit ſcribendum.* In eumdem quoque ſenſum *Lutherus* verba haec tranſtulit: *Es muß alles mit Feuer geſaltzen werden, und alles Opfer wird mit Saltz geſaltzet.* Alias verſiones in linguas vernaculas, quae fere ad aliquam illarum, quas iam attulimus, accedere ſolent, nunc libenter omittimus.

§ II.

Locus Marc. IX. 49 *interpretibus difficilis viſus eſt.*

Verba haec, ſive illa ita ut iacent conſiderentur, et ab omni parte excutiantur, ſive etiam cum antecedentibus coniungantur, interpretum plerisque crucem fixere; ita intellectu et explicatu difficilia ipſis viſa ſunt. Quid de loco iſthoc ſenſerint *Cornelius Ianſenius*, celebratiſſimus Iprenſis Epiſcopus, *Frid. Spanhemius* Pater, et *Th. Daſovius*, viri in interpretando Scripturae ſenſu non parum exercitati, G. *Wernsdorffius* in peculiari ſuper controverſum noſtrum locum Diſſertatione expoſuit. Quorum iudicium non improbat vir ingenii perſpicaciſſimi *S. Werenfelſius*, qui eidem loco novam lucem illaturus, ita orditur (*a*): *Hic locus adeo obſcurus et difficilis eſt, ut magnus Scaliger certum exiſtimarit, textum corruptum eſſe, et ad eius emendationem hic neceſſario eſſe confugiendum.* Idque diverſiſſimae virorum eruditorum explicationes et meditationes abunde confirmant. § III.

(*a*) In *Cogitationibus ad Loca N. Teſtamenti*, in Opuſculis p. 307. fin.

§ III.

Quidam eo usque proceſſerunt, ut putarent, Textum egere emendatione.

Fuerunt, qui nodum huncce Gordium non ſolvendum, ſed ſecandum eſſe putarent. Quos inter princeps eſt vir ceteroquin ſine controverſia ſummus, *Ioſephus Scaliger*, qui ad *Iohannem de Laet* ſcribens, locum noſtrum ita emendandum eſſe (*b*) cenſuit: *Verba illa* Euangeliſtae *ſunt ex Levit.* II. 13, Omne holocauſtum ſale ſalietur. *Ait igitur Dominus: Scitis ſcriptum eſſe: omne igniarium ſacrificium ſale ſalietur: item, omne holocaustum ſale ſalietur. Ecquodnam ſal putatis eſſe illud? Vos eſtis ipſum ſal. Vos eſtis ſal terrae. Ita igitur ſcripſit Euangeliſta:* Πᾶσα πυρία ἁλισθήσεται καὶ πᾶσα θυσία ἁλισθήσεται. *Utrumque teſtimonium, uti dixi, ex* II. *Levitici, in quo* אֶשֶׁה *feliciſſime ab Euangeliſta redditum eſt* πυρία. *Nam, ut ſcis,* אֵשׁ *eſt* πῦρ, *quaſi dicas igniariam oblationem.* Sed conjecturam hanc *Scaligeri*, quam ipſe putavit eſſe certiſſimam, interpretes ſecuti ſummo conſenſu rejecerunt, idque merito. Etenim 1. lectio illa textui Sacro obtruditur, invitis Codicibus omnibus. Quam tamen 2. res ipſa non certo et evidenter efflagitat. Potius 3. vox illa, quam vir doctiſſimus in textum intrudere cupit, ab ipſo omnium primo eſt conficta, quae neque in ſcriptis N. Teſtamenti, neque in Verſione LXX virali, neque in alio quoquam ſcriptore Graeco uſpiam hactenus reperiri potuit. Si porro 4. con-

(*b*) In Epiſtolis *Scaligeri* num. CCCCXLII. p. 307. edit. Lugduni Bat. a. 1627. Vide et notas *Scaligeri* in Marci IX, 49, in Bibliis Criticis.

coniectura *Scaligeri* esset admittenda, non una tantum vox in textu, sed gemina corrigenda, et pro πᾶς πυρὶ legendum esset πᾶσα πυρία. Qui conatus videtur paulo audacior. Et praeterea 5. in loco illo Levit. II. 13, quem a Marco ad verbum translatum esse, *Scaliger* sibi persuasit, אשה, cui Graecum πυρία responderet, non occurrit, verum קרבן & מנחה. Quo ipso fulcrum et praesidium coniecturae *Scaligerianae* omne corruit. Aliam coniecturam in mentem venisse Cl. *Wolfburgio* ex Venerandi *Wolfii* Curis Philologicis disco. Sed praestat ipsius viri eruditissimi verba apponere, quibus quod ego addam, non habeo: *Hoc consilio*, inquit, *Cl. Wolfburgius pro* πυρὶ *mavult legere* πυρά, *quae vox non sit insolens, et rogum infernalem hic indicare queat. Sed facile apparet, hanc quoque lectionis mutationem, ut cetera taceam, universali Codicum consensui, non minus ac Scaligerianam illam, repugnare, nec temere recipiendam esse. Video nunc*, ita pergit, *Curcellaeum de eadem hac lectione, tanquam nonnullis placente, monuisse.*

§ IV.

Tale quid et mihi olim in mentem venit.

Non dissimulabo, et mihi olim, locum nostrum studiose expendenti, et ad eruendum genuinum eius sensum omnem mentis aciem pro viribus adhibenti, difficultates, quas vulgata lectio secum vehit, tales tantasque visas fuisse, ut anceps diu haesitaverim, utrum non, librariorum incuria, mendum aliquod in textum furtim se insinuasset. Putabam autem fieri posse, ut mutatione unius literulae, dummodo Codices quidam antiqui, aut vetustorum Patrum citationes coniecturam meam adiuvarent, dubium omne penitus tollatur, et sensus verborum Christi, ex obscuro et intricato valde, pla-

planiſſimus atque obvius cuique reddatur. Optabam nempe, ut pro vocula πᾶς, quam praeferunt omnia noſtra exemplaria, in uno vel altero bonae notae libro ſcriptum reperiretur πῶς, quod mihi ſenſum elegantem et ſcopo Servatoris noſtri apprime congruentem effecturum eſſe videbatur. Locum itaque ſic conſtituiſſem: πῶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται; καὶ γὰρ (c) πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. Quae ita vertenda forent: *Quomodo enim igne ſalietur? Nam certe victima omnis* (Deo grata) *ſale conditur.* Quod ut rectius intelligatur, ad vſ. 38. adſcendendum, et ex eo connexio cum noſtro, de quo diſſerimus, loco repetenda erit. Ibi enim diſcipulos laudimus Dominum ſic alloquentes: *Praeceptor, vidimus quemdam per nomen tuum eiicientem daemonia, qui non ſequitur nos: et prohibuimus eum, quia non ſequitur nos.* Non incredibile eſt, diſcipulos, dum haec apud Dominum commemorarent, zelo quodam non ita conſiderato et affectu animi iracundo plus iuſto inflammatos fuiſſe. Tale quid certe bonis hiſce, ſed nondum ſatis illuminatis, Domini diſcipulis tribuitur Lucae ix. 49, 50, 54, 55. Ignes hos animi non recte incaleſcentis, cui non purus Dei amor, ſed quaedam affectuum humanorum carnalium intemperies initia et alimenta ſubminiſtraverat, ſapientiſſimus Servator in diſcipulis ſuis aut reſtinguere, aut bono adhibito temperamento ſanctificare aggreditur, idque duplici ipſis argumento perſuadere allaborat. *Primo* enim docet, non conſiſtere cum officio diſcipuli Chriſti, ut aliis offendiculum praebeat, nedum ut credenti iam, et in fide ulterius progreſſuro, obſtacula et impedimenta obiiciat. Hortatur eos itaque, ut omnes mentis ſuae af-

(c) In communibus noſtris editionibus ſolum καὶ legitur. Sed in quibusdam libris manu exaratis, teſte *Millio*, additur γάρ.

affectus et impetus eo tendentes sollicite observent, et observatos ex animis suis radicitus evellant, a versu 42 ad 48. *Secundo* discipulos suos considerare iubet indolem muneris sanctissimi et dignissimi, sibi ut Apostolis a Deo concrediti. Debebant esse *Sal terrae*, atque doctrina sua homines a vitiis intellectus et voluntatis perpurgare, a corruptione praeservare, et gratas Deo victimas reddere. Eo delabitur versu 49: *Quomodo* putatis *igne homines saliri posse? Quis* quaeso *cibos igne condiverit?* Pergit Servator. *Enim vero omnis victima Deo grata sale conditur.* Omnia autem v. 50 ita concludit: *Bonum*, quin imo necessarium, *est Sal.* Et vos estis Sal illud. Conf. Matth.v. 13. *Si vero Sal insulsus fuerit*, non salis, sed ignis naturam prae se tulerit, *quonam ipsum condietis? Habete salem in vobis ipsis, et pacem cum aliis mutuam colite.* Ita mihi quondam inani specie blandiebar. Sed illico tamen hariolationi huic meae diffidere coepi, ubi eam a Codicibus MSS. subsidium *nullum* sperare posse intellexi. Et postea certo deprehendi, nulla omnino mutatione textum hunc opus habere.

§ V.

Transitur ad interpretationes Textus nostri, et primo illorum examinatur sententia, qui putant, agi de salitione spirituali in hac vita.

Antequam autem meam de vero sensu textus nostri opinionem in medium proferam, res ipsa postulare videtur, ut quaenam sint celebriorum S. Scripturae interpretum de eodem loco iudicia, paucis exponam, atque inter diversas sententias optionem lectoris arbitrio permittam. Veteres per τὸν πάντα, ut plurimum *omnes homines* intelligi volunt, per *ignem* subinnui putant omnia illa media, quae Deus adhibet ad homines puri-

fi-

ſicandos, explorandos, convincendos et probandos; per *Salituram* vero, ipſum probationis et exploratio-nis actum. Praeſtabit, hanc ipſorum interpretationem; verbis *Theophylacti* ex Commentario ad locum noſtrum deſumtis, quia pauca ſunt, hic exhibere. Ita autem ille: *omnis enim homo igne ſalietur, hoc eſt, probabi-tur; id quod Paulus etiam dicit, quod in igne proba-buntur omnia.* Et ab horum quidem ſententia, pleri-que interpretum recentiorum diſcedere religioni ſibi ducunt. Itaque et illi vocem πᾶς de *omnibus* ſine di-ſcrimine *hominibus* accipiendam eſſe cenſent. *Recte igtur*, inquit eorum nomine Celeberr. *Wernsdorf-fius* (*d*), τὸ πᾶς h. l. *redditur per omnis, quod par-ticularitatem tollit, et univerſalitatem ponit. Quam tamen nonnulli reſtringere audent interpretes. Ponti-ficii enim cum Ianſenio locum hunc fere ad damnatos et in Gehennam mittendos, alii ad pios et fideles reſtrin-gunt.* Iidem ſalſuram igneam de probatione ſpirituali capiunt. Audiamus iterum (*e*) *Wernsdorffium*, qui hic nobis erit inſtar omnium. *De improprio autem igne*, ita ſcribit, *ſaniores fere omnes, ſed alio alioque ſenſu, interpretantur. Alii enim per eumdem Spiri-tum Doctoris Euangelicum, cum* Erasmo; *alii Spiri-tum Sanctum, cum* Capello; *alii fervorem Divinae tum gratiae tum irae, cum* L. de Dieu; *alii poeni-tentiam et macerationem corporis, cum* Spanhemio; *alii crucem et tribulationem cum* Oſiandro, Glaſſio et Vatablo; *alii Sapientiam coeleſtem cum* Friedlibio; *alii conſcientiam et memoriam actorum, quae unicuique ineſt, cum* Theophylacto; *alii verbum, Spiritum et crucem coniunctim, cum* Lyſero *intelligunt. Quin et quo-*

(*d*) *Wernsdorffius* in Diſſertatione de *Salſura ſpirituali* pag. 12.

(*e*) in Diſſ. cit. p. 13.

quo caſu Latine vox πυρὶ ſumi debeat, liticula eſt. Grunenbergius (*f*) *in caſu tertio accipit, redditque* ad ignem; *malumus autem caſu ſexto accipere, et reddere* igne, *vel* per ignem. Verba haec tanto libentius hic extare voluimus, quod, licet non nimis prolixa, praecipuas tamen interpretationes virorum eruditorum, qui hic de *falſura ſpirituali omnium hominum* cogitant, complectantur, mentique noſtrae obiiciant. Video viros eruditione magnisque meritis conſpicuos permultos in hac interpretatione acquieſcere. Sed ego tamen, diligenter omnibus, quae hic dicuntur, expenſis, perſpicere plane nequeo, quomodo verba haec, *omnes enim homines ſaliendi ſunt*, cum antecedentibus nulla ratione commoda connecti poſſint. Multo minus probabile mihi fit, *ignem* abſolute poſitum, nullis adiectis vocibus, quae lectorem ad agnoſcendam talem metaphoricam ſignificationem veluti manu ducunt, hic deſignare virtutem Spiritus Sancti, aut Verbi Divini, aut afflictionum, aut aliorum quorumcumque mediorum, quibus Deus ad erudiendum et purificandum ſpiritum noſtrum utitur. Videmus igitur, eos, qui hanc viam ingrediuntur, portam aperuiſſe innumeris et infinitis coniecturis, quarum una non maiori certitudinis ſpecie ſe commendat, quam altera.

§ VI.

Iudicium de illorum interpretatione, qui putant, agi de ſalitione ignis infernalis.

Vt igitur, quod ſentio, libere ediſſeram, non dubito, quin illi a vero multo propius abſint, qui per *ignem*,

(*f*) Eamdem interpretationem ingenioſe, ut ſolet, adſtruit Doctiſſ. *Werenfelſius* in Opuſculis p. 309 ſqq.

ignem, de cuius salsura agit locus noster, illum ipsum ignem intelligunt, cuius in antecedentibus versibus 43, 44, 45, 46, 47, 48, saepius facta erat mentio, *ignem* nempe *infernalem*. Versu itaque immediate antecedente optimus Servator de cruciatu damnatorum infernali dixerat, ὅπου . . . . τὸ πῦρ οὐ σβέννυται, *ubi ignis non extinguitur*. Et iam addit: *Etenim omnis igne salietur*. An igitur de alio alioque igne in duobus hisce versibus locutus erat, quos copula causali γάρ connectit? Versu praeterea 48 Servator de *igne* illo dixerat, eum *non extingui*, versu vero 49 nostro ait, *per ignem saliri*, id est, res ab interitu, a corruptione, *ab extinctione praeservari*. An non igitur ipse Servator filum Ariadneum nobis uppeditat, et an dubium adhuc supereſſe potest ullum? Negare tamen non possum, eruditos illos interpretes, qui verbis Servatoris nostri hunc, quem dixi, sensum tribuunt, in eo explicando ita versari, ut scrupulos nonnullos menti meae infixos necdum sublatos relinquant. Equidem eorum omnium, qui huic viae insistunt, commentationes perlustrare mihi, dum haec scribo, nec licet, nec conducibile puto. Ex virorum tamen celeberrimi nominis, *Werenfelsii* et *Wolfii*, super loctm nostrum dissertationibus et observationibus liquido satis colligi potest, in quonam interpretes illi omnes inter se consentiant, uti nec minus, quae sit inter illorum meditationes discrepantia. *Maldonatus*, Theologus e societate Iesu non ignobilis, in commentario ad hunc locum, huncce illius esse sensum existimat: *Omnem e damnatis, ceu victimam Satanae, saliendum esse, sed pro sale futurum illis ignem, cuius perpetuis cruciatibus torqueantur*. Non male, ut ego quidem iudico, si rei summam et scopum Servatoris spectemus. *Maldonatum*, qui interpretationem illam, quam verbis eius descripsimus, sibi propriam esse fatetur, sequi videtur *Cornelius Ianſenius*, ver-

verba Chriſti ita (*g*) exponens: *Omnis enim ſcilicet, qui mittitur in Gehennam, igne ſalietur, i. e., ignis quaſi ſale condietur, ut crucietur ſemper et incorruptus maneat.* Horum interpretatio longe plurimis Theologis Eccleſiae Romano-Catholicae perplacet. Illos autem, qui ignem purgatorium hic ſomniant, plane non moramur. *Io. Pet. Grunenbergius*, Theologus quondam Roſtochienſis clariſſimus, ab illa *Maldonati* et *Ianſenii* explicatione ita alienus non eſt, niſi quod poſtremam verſus noſtri partem (*h*) paulo aliter ac fieri vulgo ſolet acceperit. Hac enim παραφράσει, verba Servatoris illuſtrari quam optime credidit: *Vnusquisque eorum, quorum vermis non moritur, ad ignem ſalietur in iudicio irae, et omnis victima, ad Gehennam damnata, ſalietur ſale correctionis et emendationis, olim ſpreto, nunc ſentiendo cum aeterno dolore.* Ante omnes alios vero nominandus hic erat *Hugo Grotius*, quo nemo hanc de igne infernali interpretationem maiori cum ingenii acumine et eruditionis apparatu ornandam aggreſſus eſt. Sed ego prolixas ipſius obſervationes in pauca contraham: *Primum*, inquit, πᾶς *hic eſt* quivis. *Deinde vero ſubintelligendum* αὐτῶν, illorum, *ut ſignificetur quilibet eorum, de quibus egit hactenus, qui ſcilicet pravis affectibus indulgentiam praeſtant. Iam vero* ἁλίζεσθαι, ſaliri, *hic eſt* conſumi. *Reſpondet enim Hebraeo* נמלח, *ut Eſa.* LI. 6, כי שמים כעשן נמלחו, *quoniam coeli ſicut fumus ſalientur, id eſt, tabeſcent. Impios igitur Chri-*

(*g*) In Tetrateucho apud *Wernsdorffium* in Diſſert. cit. pag. 18.

(*h*) Verba *Grunenbergii* ex Diſſertatione ipſius *de ſalitura ad ignem aeternum*, adducit Celeb. *Wolfius* in Curis Philologicis p. 492.

Chriſtus comparat cum holocauſtis, qui coniiciuntur in ignem inextinguibilem, uti etiam ignis holocauſtorum erat inexſtinctus, qui pecora uſta conſumebat. In hiſce omnibus interpretationibus id deſidero, quod primo quidem nondum appareat, quomodo vocula πᾶς cum antecedentibus commode conſtrui et connecti poſſit. Mihi certe explicationes illae ultra modum durae et vix ac ne vix quidem digerendae viſae ſunt. Deinde vero viſus mihi etiam ſum luculentiorem rationem, atque hactenus factum eſt, indicare poſſe, cur Christus igni infernali ſalis indolem attribuere voluerit. Nam quod *Grotius* exiſtimavit, *ſalire* idem hic eſſe, quod *conſumere*, in eo aſſenſum praebere viro maximo non poſſum.

§ VII.

Accuratius nunc inquiritur in ſenſum vocis πᾶς, quae vertonda eſt totus.

Hactenus aliorum interpretationes lectorum oculis ſubieci. Tempus iam eſt, ut etiam meam qualemcumque proferam, et aequorum iudicum arbitrio permittam. Qua in re ut tanto felicius procedere poſſim, ſingulas primo voces ſub examen vocabo, et ex illis deinde rite explicatis, genuinum verborum Domini ſenſum conſtituam. Vt igitur initium a prima vocula πᾶς faciam, illa ſatis diu non parum negotii mihi facesſivit, quoad aliorum veſtigiis hic inſiſtere perrexi. Sed re ipſa diligenter et meditate expenſa, primo quidem cum permultis in ea ſum ſententia, voculam πᾶς cum verſu immediate praecedente connecti debere. Sed cum ne ſic quidem conſtructio plana et expedita mihi videatur, exiſtimo, πᾶς non vertendum eſſe, uti omnes interpretes mihi viſi vertunt, *omnis*, ſed potius *totus* ac *integer*. Nempe verba verſus antecedentis 48

ita

ita ſonant: *Vermis eorum non interit, et ignis non extinguitur.* Nunc in verſu, cuius ſenſum indagamus, Servator pergit, et rationem addit: *Toti enim, quanti quanti ſunt, igne illo infernali ſaliuntur et condiuntur.* Hoc eleganter Graeci eo modo, uti in textu legitur, exprimere ſolent, πᾶς (nempe ὁ ἄνθρωπος) πυρὶ ἁλισθήσεται. Afferemus elegantiae huius Graecae aliquot ex vetuſtis ſcriptoribus exempla. *Herodotus* de Ibide ave Aegyptia loquens L. II c. 76 ait, μέλαινα δεινῶς πᾶσα, *Nigra vehementer eſt tota.* Ibidem ſic pergit, ψιλὴ τὴν κεφαλὴν καὶ τὴν δειρὴν πᾶσαν, *Gracile* (vel glabrum) *caput habet, et totum collum. Sophocles* in Aiace Flagellifero vs. 739, 740, ὡς οὐκ ἀρκέσον τὸ μὴ οὐ πέτροισι πᾶς καταξανθεὶς θανεῖν. *Aelianus* Lib. VII Var. Hiſtor. cap. 6, πᾶς μέτωπόν εἰμι, totus, quantus quantus, frons ſum. *Aelianus* de Animal. Lib. X cap. 26, hoc in lupo obſervat, Εἰ δὲ βούλοιτό ποτε εἰς τοὐπίσω θεάσασθαι, πᾶς ἐπιστρέφεται, *quod ſi retro reſpicere velit, totum corporis truncum retorqueat neceſſe eſt.* Apud *Theocritum* Idyll. III v. 18, paſtor virginem ſic alloquitur, τὸ πᾶν λίθος, *o tota ſaxea*, ubi *Caſauboni* notae a rerum harum ſtudioſis conſuli poterunt. Nobis vero haec, quae attulimus, nunc ſufficiant. Hoc unicum tantum monebo, ſcriptores Latinos huius elegantiae expertes (*) etiam non eſſe. Exemplum a re, quam tractamus, non valde alienum in iſtis *Horatii* (*i*) occurrit:

Non

(*i*) Carmin. Lib. III Od. XXX.

(*) Comparentur *Schraderus* ad *Muſaeum* v. 254 p. 336, *Cortius* ad *Salluſtii* Iugurtham c 13, *Drakenborchius* ad *Livium* v. 42. 1. Iunge *Thiemii* et *Styrzii* Lexicon Xenophonteum, vol. III pag. 465.

Non omnis *moriar: multaque pars mei*
Vitabit. Libitinam.

Facile iam ex his intelligere quivis poterit, quidnam me iudice verba haec ſibi velint: πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, totus *vel* omnis *igne ſalietur.*

§. VIII.

Oſtenditur, hanc interpretationem optime conciliari cum nexu orationis Domini.

Sed videndum nunc inprimis nobis eſt, an interpretatio haec conſtructionem atque nexum horum verborum cum antecedentibus faciliorem reddat, et apertius oſtendat. Videtur nempe obiici mihi poſſe, interpretatione mea connexionem verſus noſtri cum praecedentibus plane non commodiorem et dilucidiorem effici. Πᾶς in numero ſingulari ponitur. Praecedit, *Vermis eorum non interit, et ignis non extinguitur.* Conſtruitur itaque nomen ſingularis numeri cum alio pluralis numeri, quod, cum praeſertim tota ſententia verbis ſymbolicis et aenigmaticis contexta ſit, ſenſum non ita facilem atque obvium reddit. Fateor hoc, adeoque enallagen numeri me hic neceſſario concedere oportet. Sed enallage tamen haec neminem turbare merito debet. Nam, 1. ut viri eruditi (*k*) obſervarunt, non raro videmus, figuram hancce in Codice S. a ſcriptoribus tam Hebraeis, quam Graecis adhiberi. Exemplo ſint iſta Pauli Galat. VI. 1, Ὑμεῖς οἱ πνευματικοὶ καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον . . . . σκοπῶν σεαυτόν. Quae ad verbum

(*k*) *Gataker*us in Cinno L. II cap. XV, *Glaſſius* Philol. Sac. Lib. III Tract. III Can. LII p. 907, *Stolbergius* de Solocismis N. Foederis Cap. VII p. 52 ſqq.

bum ita ſonant: *Vos ſpirituales reconcinnate huiusmodi hominem . . . . . conſiderans te ipſum.* 2. Enallage autem haec in loco noſtro tanto facilius deprehendi poterat, quia in praecedentibus numeri continuo permutantur, ut igitur aequali iure et ſingularis et pluralis locum habeat. Servator enim ſermonem ſuum direxerat ad unam ſingularem perſonam: *ſi manus* tua *ſcandalum* tibi *praebet*, *abſcinde eam* v. 43, et ſic v. 45 et 47, rationem vero hanc addiderat: *ne abeundum ſit* tibi *in Gehennam*, *in ignem inextinctum*, *ubi vermis* eorum *non moritur*, *et ignis non extinguitur*. Itaque Servator in verſu noſtro loqui poterat et de eo, qui in ignem abiturus eſt, numero ſingulari, et de iis, quorum vermis non moritur, numero plurali, eos totos igne condiri. 3. Monuimus autem, vocem πᾶς eo ſenſu, quem indicavimus, Graecis elegantem cenſeri, et ſingularem vim habere. Sed vis illa tota reſidet in ſingulari numero, uti ex allatis exemplis, et omnibus aliis huiusmodi perſpici poteſt. In plurali ſignificatio illa periiſſet. Hiſce iam obſervatis, non modo ſenſus ille textus noſtri, quem aperuimus, facilis eſt, ſed et ſcopo totius orationis Chriſti egregie accommodatus. Nimirum Dominus comparationem inſtituit inter unum aliquod corporis membrum et totum hominem. Si manum, ſi pedem, ſi oculum evellis, ne ſcandalo tibi ſit, ſi, affectui tuo nervos praeſcindens, uno forte membro in hac vita carebis. At ſi affectibus tuis omnibus vis obſecundare, uſum membrorum omnium ad peccandum in hac vita conſervare, totus aliquando igne inextincto falieris. Ita Servator ipſe totam orationis ſuae ſummam alibi in pauciora haec contrahit: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalum tibi praebet*, *erue eum et abiice abs te*; *expedit enim tibi*, *ut pereat unum ex membris tuis*, *ac non* totum corpus (ὅλον τὸ σῶμα) tuum *coniiciatur in Gehennam*, Matth. v. 29. adde v. 30. Quod hic

Servator ait, ὅλον τὸ σῶμα βληθῇ εἰς γέενναν, id Marcus ſic effert, πᾶς ἁλισθήσεται πυρί.

§ IX.

Obiectioni occurritur.

Dum in Diſſertationem celeberrimi *Wernsdorffii*, aliquoties iam citatam, oculos iterum nunc coniicio, aliquid illic occurrit, quod animum meum percellit. Si enim verba eius recte capio, intelligo, eum et interpretationis illius, quam lectori modo obtuli, meminiſſe, et eamdem refellere. Nam ita ſcribit: τὸ πᾶς *equidem nonnunquam* τῷ כל *Hebraeorum reſpondet, idemque eſt, quod* totus. *Verum, ut pridem obſervavit* B. Grunenbergius, *nullum in toto Novo Teſtamento exemplum eſt, ubi* πᾶς *in caſu recto ſimpliciter, ſine addito ſubſtantivo poſitum, hanc ſignificationem ferat.* Equidem Diſſertationem *Grunenbergianam* nunquam vidi, nec nunc inſpicere mihi licet, adeoque certum de illa obſervatione iudicium ferre non poſſum. Forte enim illorum hic reſpicitur ſententia, qui, cum *Syro interprete* et *B. Luthero*, maſculinum πᾶς pro neutro πᾶν accipi volunt, qua de re dictum iam eſt § 1. Si vero viri illi eruditi interpretationem, quam ego in ſuperioribus commendavi, eo argumento oppugnare volunt, quod πᾶς eo, quem ſuggeſſi, ſenſu in Novo Teſtamento non reperiatur, id nonniſi cum aliqua conditione et cautela concedi poteſt. Nunc exemplum non ſuccurrit, ubi πᾶς, ut aiunt viri eruditi, *in caſu recto ſimpliciter, ſine addito ſubſtantivo poſitum, hanc ſignificationem ferat.* Verum quid in eo ſitum eſt, dummodo ceteroquin oſtendi liquido poſſit, τὸ πᾶς non infrequenter ſcriptoribus ſacris id ipſum, quod volumus, nempe *totum* ſignificare? Illius

lius vero ſignificationis exempla paſſim occurrunt. Sic v. g. πᾶς ὁ οἶκός σου, *Domus tua tota*, Act. XI. 14, πᾶσα ἡ γερουσία *Senatus totus*, Act. V. 21, et quod maxime in rem noſtram facit, πᾶν τὸ σῶμα, non *omne corpus*, ſed *corpus totum*, Eph. IV. 16, Coloſſ. II. 19, ut taceam, quae toties occurrunt, πᾶς ὁ κόσμος, *Mundus totus*, πᾶσα ἡ Ἰουδαία, *Iudaea tota*, πᾶσα Ἱεροσόλυμα, *Hieroſolyma tota*, et quae alia huiusmodi centies occurrunt.

§ X.

Quaeritur, quid ſit ſalſura ignis.

Pergimus nunc ad alia, quae in illa Chriſti Domini oratione illuſtrationis indigere videntur, id praecipue, quod Criticos tantopere excruciavit, quidnam ſibi velit πυρὶ ἁλίζεσθαι. Per τὸ πῦρ igitur *ignem* nullum alium, ut ſupra iam monuimus, putamus a Servatore innui, quam de quo hactenus egerat, ignem inextinctum tormenti infernalis. Hoc igne ait eum ſalitum iri, qui in Gehennam coniicietur. Qua egregia metaphora ſapientiſſimus Servator auditoribus ſuis indolem et uſum ignis illius infernalis, de quo hactenus fuerat locutus, depingit. Ignis illa eſt natura, ut res, quas contingit, corrumpat atque abſumat. Talem quoque re ipſa ignem infernalem mente ſua fingunt *Socini* gregales. Ipſe *Socinus* diſertis verbis (*l*) ſcripſit, impios *plane deſituros et igne infernali ſemel omnes abſumtum iri*, quem plerique diſcipuli ſequuntur. Parum ab iſta ſententia diſcrepat *Iudaeorum* illorum doctri-

(*l*) *Socini* ipſius aliorumque Socinianorum hac de re loca et iudicia collecta videbis in *Schertzeri* Collegio Anti-Sociniano p. 1198 et ſeqq.

doctrina, qui, ſicuti ex vetuſtioribus eorum (*m*) monumentis viri eruditi obſervarunt, perſuaſum habent, Iudaeos impios nonniſi annum unum in Gehenna cruciatum, poſtea vero et corpus eorum et animam igne infernali abſumtum, et tum eosdem ad beatitudinem coeleſtem renovatum iri. Hi igitur ignem infernalem concipiunt ut corrumpentem, abſumentem et abolentem damnatos. Omnes hos et cognatos errores Chriſtus ex animis auditorum ſuorum evellere cupiens, docet eos, ignem infernalem eſſe inextinctum, et ineſſe ei naturam ſalis, quo corpora defricata a corruptione et putredine praeſervantur. Vnde *Philo* Iudaeus (*n*) *Salem* dixit *corporum cuſtodiam*. Nam, ut idem alio loco ſcribit, *Sales corporibus adſperguntur, ne facile corrumpantur*. Et quid in re trita omnibusque nota diutius moramur?

§ XI.

Rationem huius locutionis plerique interpretes petunt a ſalſura victimarum.

Enim vero quantumvis ea, quae modo ad explicandam orationem Servatoris attulimus, non tantum veritati conſonent, ſed ſcopo etiam Domini valde ſint attemperata, tamen fondum ſatisfacere poſſe videntur. Cur enim ſapientiſſimus Servator, cum de perpetua continuatione tormenti infernalis auditores ſuos edocere vellet, uſus eſt metaphora paulo obſcuriori ignis ſalarii, vel ſalis igniti, cum rem hanc multo clarius et

(*m*) Vide *Lent* Theologiam Iudaic. cap. ult. p. 633 ſeqq., *Eiſenmengeri* Iudaismum retectum Part. II cap. VI p. 355.

(*n*) Illius loca adduxit *Grotius* in notis ad Marci IX. 49.

et apertius, verbis ab unoquoque illico intelligendis, exprimere potuiſſet? Nam interpretum longe plurimos metaphoram hanc vehementer torſiſſe et male habuiſſe, commentarii ipſorum abunde teſtantur. Rationem itaque oportet fuiſſe praegnantem, quae Chriſtum Dominum permoverit, ut locutionibus aliis obviis metaphoricam illam, quam expoſuimus, praeferret. Et rationem illam indagare operae pretium puto. Equidem dubium hoc omne ipſa Servatoris verba in textu noſtro tollere videntur, quae integra ita ſonant, πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. Cum putent interpretes particulam καὶ hic, ut (o) alias ſaepe, vertendum eſſe *ſicuti*, *quemadmodum*, totum locum itaque ſic reddunt aut exponunt: *Etenim omnis ſalietur igne* (homo Gehennae deſtinatus), *quemadmodum pariter victima omnis ſale ſalietur.* Obſervant hoc interpretum plerique, qui ſimul cum *Glaſſio* hic ſimilitudinem inverſam, cuius ἀπόδοσις ſimul metaphora exornata ſit, agnoſcunt, ut verus et naturalis verborum noſtrorum ſenſus hicce (p) ſit: *Sicut omnis victima, quemadmodum lege praeſcribitur, ſale ſalietur, ita omnis damnatus* (vel ſecundum meam interpretationem *damnatus totus*) *ſalietur igne.* Itaque ex opinione horum interpretum, Servator fundamenti loco hoc ponit, ex praecepto et inſtitutione ipſius Dei, omnem victimam ſaliendam et condiendam eſſe; et victimas quidem Deo offerendas condiendas eſſe ſale, ſicuti legitur Levit. 1. 13. *Grotius* (q) legem hanc Dei non ad victimas quascumque et holocauſta etiam extendere, ſed ad ſola ferta reſtringere videtur. Sed

ſine

(o) Vide *Glaſſii* Philol. S. Lib. IV Tract. 1 p. 1193 et Lib. V. Tract. 1 p. 1686 fin. Adde *Maldonati* Comment. in Marci IX. 49, col. 783.

(p) Ita *Maldonatus* loc. cit.

(q) Notis ad Marc. IX. 49.

ſine dubio victimae omnes, cuiuscumque generis, etiam holocauſta, ſale erant condiendae, quod ex diſerto Dei praecepto intelligimus, Ezech. XLIII. 24, quodque perpetuo obſervatum fuiſſe, Iudaeorum magiſtri uno ore omnes tradunt. Iidem diſtincte (*r*) obſervant, in clivo quidem altaris partibus ſacrificiorum ex animalibus ſalem adſperſum fuiſſe, ſed in ipſo ſummo altari ſertis demum ſalem admoveri conſueviſſe. Ita ſe res habebat cum victimis Deo offerendis. Hic vero Servator noſter homines, a iuſto Iudice ad ſupplicium infernale condemnatos, pariter conſiderat ut victimas, non quidem Deo offerendas illique gratas futuras, ſed principi tenebrarum conſecratas, aut, ut loquebatur *Horatius* (*s*), *victimas nil miſerantis Orci*. Et ſane eſſe hanc metaphoram in Scriptura uſitatam et admodum frequentem, diu iam eruditi interpretes (*t*) monuerunt. Ita Ieremiae XII. 3, *avellis iſtos, ut oves trahendas ad mactationem, et praeparando eos ad diem interfectionis*, et Psalmo XLIX. 15, *Tanquam pecudes in ſepulchro diſpoſitos mors depaſcet eos, donec dominentur eis recti illo mane, et formam eorum conſumat infernus*. Sicuti autem victimas altari Dei deſtinatas ſale inſpergi oportebat, ita victimas quoque inferni ſalitum iri docet Servator, ſed igne, qui ipſos praeſervaturus et ſimul continuo cruciaturus ſit.

§. XII.

(*r*) *Gemara Menachoth* fol. 21. 2. Locum hunc integrum adfert *Schoettgenius* in Horis Hebraicis in Matthaeum p. 22. Adde *Relandi* Antiq. Sacr. Part. III cap. I § 31, ſed inprimis Cl. *J. G. Carpzovii* Apparatum Hiſtorico-Criticum Antiquitatum S. Codicis et Gentis Hebraeae pag. 716 ac ſeqq.

(*s*) Carmina Lib. II, Od. III.

(*t*) Vide *Maldonati* et *Grotii* Commentarios in noſtrum locum.

§ XII.

Alia ratio oſtenditur, quare Dominus ſalis *notionem hic adhibuerit.*

Haec non incommode, nec ſine magna veritatis ſpecie, a viris doctis obſervata ſunt. Quo attentius tamen ego cogitatione mea orationem Chriſti Domini perſequor, eo magis in ea confirmor ſententia, ſimilitudinem hic neutiquam eſſe inverſam, ſed recto et naturali ordine verba Domini procedere. Primo auditores ſuos docet, eos, qui cruciatus inferni perferunt, ſaliri igne, et deinde ad conſuetudinem ſaliendi victimas Deo ſacras tranſit. Aut, ut clarius mentem meam evolvam, Servator ubi damnatos ſalitum iri ait, non ita in animo habuit legem illam Divinam de condiendis ſale victimis, ut ab illa metaphoram deſumeret, eique locutionem, de cuius vero ſenſu quaerimus, accommodaret. Sed dum hac metaphora potiſſimum nunc uti voluit, primo quidem ad longe aliud quid reſpexit, deinde vero ad ſalem ſacrificiorum ſermonem aptiſſime inflexit, ut diſcipulos ſuos moneret, quidnam audita hac ſua doctrina obſervandum ipſis eſſet. Rationem igitur, cur Dominus igni infernali vim ſaliendi tribuat, unice ex eo petendam eſſe exiſtimaverim, quod illum in verbis immediate praecedentibus et aliquoties antea dixiſſet οὐ σβεννύμενον, *inextinctum.* Ignis ille inextinctus, qui impios et depaſcet et ab extinctione praeſervabit, in eos nonniſi poſt hanc vitam, demortuos, vim ſuam exercebit. Id igitur ignis ille praeſtat in animis demortuorum, quod ſal in corporibus peragit, quodque Iudaeis illo tempore non poterat non eſſe notiſſimum. De illo Salis uſu *Salluſtius* (*u*) ait Lib. III Hiſtoriarum: *Parte con-*

(*u*) Apud *Priſcianum* Lib. X circa fin. col. 909 edit. *Putſchii.*

conſumta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem uſus ſallerent. i. e. *ſalirent.* Diceres *Salluſtium* loqui de conditura Aegyptiorum, quos conſtat operam dediſſe, ut corpora non modo hominum, ſed etiam animalium ſacrorum, a corruptione et putredine praeſervata, quam fieri poſſet, diutiſſime conſervarent. Et in ea quidem re ita verſabantur, ut, quemadmodum loquitur *Salluſtius*, *parte aliqua*, quae conſervari non poterat, *conſumta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem uſus ſallerentur.* Notum eſt, talia cadavera beſtiarum non minus, quam humana, in conditoriis Aegyptiorum in hunc usque diem reperiri, quorum nonnulla haud dubie per tria annorum millia integra perſeverarunt, et diutius porro perſeveratura fuiſſent. In illa autem Aegyptiorum conditura, inter omnia, quae adhiberi ſolerent, ſalem fuiſſe omnium maxime neceſſarium et praecipuum, ſatis liquere arbitror. Inde enim certe eſt, quod ipſa conditura ταρίχευσις, *ſalſura*, isque qui negotium iſtud in ſe ſuſcepit, ταριχευτὴς, *ſalſarius*, conſtanter appellari ſoleat a Graecis (*v*). Hebraeis vero hunc condiendi cadavera morem ignotum minime, quinimo uſitatum quoque fuiſſe, ex hiſtoria Iacobi Patriarchae Geneſ. L. 3, et ex hiſtoria ſepulturae Domini, tot virorum eruditorum obſervationibus illuſtrata, colligi abunde poteſt. Inter illa autem aromata, quibus corpus Domini condiendum erat, Marci XVI. 1, Lucae XXIII. 56, XXIV. 1, Iohannis XIX. 40, Iudaeos quoque adhibuiſſe *Salem*, et quidem Salem Aſphaltiticum, quem Iudaei *Salem Sodomiticum* nuncupare ſolent, non difficulter mihi perſuadeo. Iudaeos certe ſalem hunc aromatibus accenſere, ex Codice Talmudico *Kerithuth* opportune monuit

(*v*) Vide *Herodotum* Lib. II cap. 85, 86, alibi, *Diodorum* Lib. I p. 82 [102], *Strabonem* Geograph. Lib. XVII p. 526 [1145], et alios.

huit (*w*) nosque docuit doctissimus *Schoettgenius*. Et hoc ipso quoque Sale in condiendis corporibus suis usos fuisse Aegyptios, discimus ex hoc *Strabonis* (*x*) testimonio: Χρῶνται δ' Αἰγύπτιοι τῇ ἀσφάλτῳ πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν, *Aegyptii bitumine* (i. e. sale Sodomitico) *utuntur ad saliendos mortuos*. Servatorem autem nostrum hic ad Salem Sodomiticum quoque respicere, tum ea loquuntur, quae viri docti (*y*) de salis huius usu apud Iudaeos annotarunt, tum a celeberrimo *Hardtio* (*z*) monitum iam esse video.

§ XIII.

Servator hic loquitur de Sale Sodomitico, et ad terribile Dei in Sodomitas iudicium alludit.

Quia igitur observandum esse dixi, Servatorem nostrum hic respicere ad Salem Sodomiticum, cuius in saliendis et condiendis corporibus usus tum erat omnibus notissimus, id nobis viam sternet ad aliam observationem, quae locutionem Domini inprimis illustrabit. Nam si id tenuerimus, Servatorem loqui de Sale Sodomitico, eoque ipso ad supplicium Sodomiticum digitum intendere, ratio nunc facillima dari poterit, et cuivis obvia, cur ignem illum salientem appellare, eoque aeternitatem supplicii infernalis adumbrare voluerit. Et Scripturam quidem, ubi de cruciatibus damnatorum in futura vita loquitur, eosque sub imagine *ignis* metaphorice nobis depingit, ad supplicium ter-

(*w*) In Horis Hebraicis in Euangelium Matthaei p. 22.
(*x*) Lib. XVII Geogr. p. 526 [1145].
(*y*) Vide eruditam ea de re Dissertationem *Schoettgenii* in Horis Hebraicis in Matthaeum p. 18 sqq.
(*z*) Id intelligo ex Dissertatione *Wernsdorffii* iam citata p. 14, et *Wolfii* Curis Philol. p. 492.

terribile Sodomitarum frequenter alludere, nemini in lectione Verbi Dei exercitato obſcurum eſſe poteſt. Non inutile tamen duco adſcribere, quae eam in rem annotavit doctus et acutus Scripturae interpres *Joſ. Medus*, ita (z) ſcribens: *Tantum non omnes illae locutiones, quibus Scriptura nobis locum cruciatus aeterni repraeſentat, ad huiusmodi alludunt aut loca aut acta, quae nobis exempla tremendae vindictae Divinae in impios peccatores, prae aliis notatu digna obiiciunt, eorumque memoriam refricant. Talis eſt denominatio* Gehennae, *reſpiciens ad illuſtre illud iudicium Dei, quod in idololatras et blaſphemos in valle Hinnom exercuit. Illa porro appellatio* ſtagni ignis ardentis ſulphure, *in Apocalypſi toties repetita, deſumta utique eſt a lacu Aſphaltite, monumento illo aeterno pluviae ſulphureo-igneae, qua Deus Sodomitarum, Gomorrhaeorum, reliquorumque accolarum execrabiles libidines ultus eſt.* Ad hoc igitur Sodomitarum ſupplicium Servatorem quoque in textu noſtro alludere, plurimis indiciis probari facile poteſt. Namque 1. Supplicium illud, de quo Servator loquitur, nobis depingitur ſub emblemate *ignis*. Quemadmodum autem 2. de ſtagno illo ignis ardentis ſulphure dicitur Apoc. XIX. 20, ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός, *coniecti ſunt in ſtagnum ignis*, adde XX. 10, 14, 15, ita hic etiam Servator ait, damnatos *coniectum iri in ignem inextinctum*. 3. Ignis, quo Deus in Sodomitas animadvertit, ignis erat coeleſtis, fulmineus, ſulphureus, quem credidere veteres corpora a corruptione tueri, et immortalia praeſtare, uti mox oſtendemus pluribus. An forte ideo etiam Servator ignem illum, de quo loquitur, ait eſſe inexſtinctum?

4.

(a) Diatribae on divers Texts of Scripture, Part. I. p. 140.

4. Ignem illum, de quo Servator differit, comparat cum Sale, eidemque Salis indolem et naturam tribuit. Et vero notum omnibus eſt, effectum ignis Sodomitici coeleſtis fuiſſe aſphaltum, ſive, ut loquebantur Iudaei, Salem Sodomiticum, a quo et Lacus Aſphaltites Hebraeis dicitur ים המלח *mare Salis*. Et Salis huius Sodomitici, vel bituminis, frequentiſſimus ac praecipuus uſus fuit inter Iudaeos, praeſertim in ſacrificiis, ut vel ex eo colligere recte queamus, Servatorem hic eum in animo habuiſſe. 5. Sal ille, de quo Servator hic loquitur, ea ſine dubio indole praeditus eſt, ut carnes et corpora ab exſtinctione praeſervet. Id vero ſingulari prorſus ratione convenire Sali Aſphaltitico, vel Sodomitico, ex ſuperioribus, ut opinor, ſatis liquere poteſt. Quando autem de illo ſale ignito 6. Servator affirmat, eo damnatum hominem totum ſalitum iri, quis non de Lothi uxore cogitet, quae re ipſa igne Sodomitico tota obducta et ſalita fuit, in columnam quippe ſalis converſa? Gen. XIX. 26. Quod cum egregia argumentum noſtrum luce perfundat, verbis celeberrimi *Schoettgenii* (*b*) exponere non gravabor. Ita autem ille: *Deus enim ſuper illa loca ſulphur et ignem pluit, quae materia aſphaltum genuit.... Neque incredibile eſt, uxorem Lothi a pluvia illa bituminoſa deprehenſam, et aſphalto quaſi obductam fuiſſe. Adeoque* נציב מלח *notabit acervum ſive cumulum bituminoſum, qui tunc conſpicuus fuit, quum illa mulier a pluvia ſulphuris et bituminis deprehenſa, et bitumine oblita, mori coacta eſt.* Annon haec omnia ſatis demonſtrant, Servatorem oratione ſua ad iudicium Sodomitarum cogitationes auditorum ſuorum dirigere voluiſſe?

§ XIV.

(*b*) Horis Hebraeis in Euangel. Matthaei p. 20.

§ XIV.

Obſervatio illa ulterius illuſtratur.

Dum igitur Servator, loquens de cruciatibus damnatorum, ad ignem Sodomitarum aperte alludit, cogitare diſcipulos ſuos iubet ignem coelitus delapſum vel fulmineum, qui Sodomam et vicinas civitates evertit. Ex quo novam haud immerito colligimus rationem, quare Servator igni huic eamdem virtutem tribuat, quam Sali ineſſe ſciebant Iudaei, ut corpora a corruptione praeſervaret. Hanc enim eſſe ignis fulminei indolem, hunc eius effectum, veteres ſibi perſuaſerunt. Audiamus *Plutarchum* ea de re ſic (*c*) diſſerentem: *Id omnium maxime mirum eſt, quod omnes fere compertum habemus, corpora de coelo tactorum* (vel qui fulminis ictu perierunt) *putredinis expertia perdurare. Multi enim ea neque cremant neque defodiunt, ſed ſepimento circumdata relinquunt, ut videantur perpetuo putredinis vacua.* Notabilis praeſertim eſt alius eiusdem auctoris (*d*) locus, in quo *Salis* et Fulminis, vel *ignis coeleſtis* mentionem coniungit, ac eamdem utrique virtutem attribuit. Ita autem verba habent: *Verum enim vero id quoque conſidera, an non* Sali *id etiam divinum contigerit, quod cadavera putredinis ſecura et per longum tempus durabilia adſervans morti reſiſtit, neque patitur, id quod mortuum eſt, penitus aboleri..... Neque neſcis* ignem fulminis *quoque ſacrum dici et divinum, quod corpora de coelo tactorum per multum temporis putrefactioni reſiſtere videmus. Quid ergo mirum eſt, ſi et* Salem *priſci divinum ſuſpicati ſunt, quando* eiusdem *eſt* cum divino igne

(*c*) Sympoſiac. Lib. IV. cap. II. p. 665.
(*d*) Sympoſ. Lib. V cap. X p. 685.

igne (i. e. fulmine) *naturae*. Vix putem quicquam ad illuſtrandum verum ſenſum literalem verborum Domini opportunius adferri poſſe. Ex illa perſuaſione, alia ſine dubio veterum (*e*) propullulavit opinio, eos nempe, qui fulmine coelitus tacti, et immortales effecti eſſent, ut Deorum amicos ſummopere venerabiles, quinimo adorandos eſſe. Quod etiam ea, quae de mortibus Herculis, Zoroaſtris, et Romuli memoriae a veteribus prodita ſunt, ſatis confirmant.

§ XV.

Senſus totius orationis Domini explicatur.

Hiſce iam ſic adſtructis et communitis, difficile non erit, mentem Domini perſpicere, et ſententiae totius, quam exhibet textus noſter, genuinum ſenſum explanare. Nimirum diſcipulos ſuos monet optimus Servator, ut ſibi a pravis cupiditatibus, et ab omni corrupto animi incaleſcentis affectu, omni ope, pie et prudenter temperent. Affectus illos vitioſos, quos ex animis diſcipulorum ſuorum evelli cupit, metaphorice deſignat ſub notionibus membrorum corporis, tum oculi, cupidiſſime in rem quampiam intuentis, tum manus, magna cum aviditate, ad aliquid comprehendendum exporrectae, tum pedis denique, omni niſu ad locum aliquem contendentis. Homines plerumque ita comparati ſunt, ut inſtinctui affectus ſui, vitioſi licet et cum vero amore Dei et genuina pietate haud convenientis, magno cum ardore obſecundent, atque ad ſatisfaciendum deſiderio ſuo, membris etiam corporis, ceu voluntatis ſuae

(*e*) Vide Pſeudo *Clementis* Recognitiones Lib. IV cap. 28, ibique notas *Cotelerii*, et *Homilias Clementinas* IX. 5. Vide et *Plutarchum* in Lycurgo p. 59.

ſuae adminiſtris, abutantur. Quinimo impetum animi, igne impuro inflammati, ſequuntur toti, ab eo totos ſe abripi ſinunt, neque motibus ſive mentis ſive membrorum corporis ſui, quantumvis legi Divinae et ſtudio pietatis e diametro repugnantibus, frenum ullum iniici patiuntur. Hos vero, qui toti in hac vita ſibi, ſuo genio, ſuae concupiſcentiae vivere ac in omnibus morem gerere obſtirmato animo pergunt, docet Servator aliquando etiam totos igne illo infernali cruciatum iri, qui damnatos non conſumit, ſed Salis ad inſtar Sodomitici, aut ignis coelitus delapſi, a corruptione praeſervat, et ad tormenta non deſitura vivide perſentiendum quaſi continuo renovat. *Totus*, inquit Servator, *homo ille in ignem coniicietur inexſtinctum, et totus igne illo ad exitium ſalietur.* Dehinc orationem ſuam ad diſcipulos deflectit, eosque ſic alloquitur: *Et vos ſaliendi eſtis. Eſtis enim victimae Deo offerendae acceptaeque futurae. Et vero victimam omnem, quae Deo offertur, ſale inſpergere oportet.* Sal ille eſt Sal prudentiae et pietatis, qui animum hominis a vitiis affectus depravati perpurgat, qui ingenio eius et moribus bonum ſuaveque condimentum conciliat, qui eum Deo gratum efficit, et ad beatam aeternitatem praeparat. *A vobis*, ita pergit Servator, *Sal ille exſpectabitur, quinimo vos eſtis ipſe Sal terrae. Habete igitur ſalem illum in vobis, et cum aliis ſtudium pacis colite.*

§ XVI.

Eiusdem ſcopus oſtendilur.

Eo igitur tota oratio Chriſti Domini praecipue ſpectat, ut diſcamus in vita hac caduca continuo cogitare vitam aeternam, ad quam tendimus omnes, eoque omnia dirigere. Vita haec innumeras hominibus illecebras ubique offert, ſenſibus atque affectibus eorum

mi-

mirum in modum blandientes, ſed et verae atque duraturae in aeternum felicitati ipſorum vehementer inimicas. Nam qui, illecebris his ineſcati, carni ſerunt, et prave cogitatis ſecure indulgent, adeoque a via illa, quae ſpectantibus et anhelantibus communionem Dei iugiter calcanda eſt, ſe immane quantum abduci patiuntur, illos equidem aeternitas poſt hanc vitam utique etiam manet, ſed miſeranda et luctuoſiſſima, in qua dignum ſatione ſua fructum metent, igne inextincto et nunquam remittente condiendi. Vt igitur horrendum illud immenſumque aeternum ſupplicium vitetur, affectus, qui ſunt nervi animae, hominemque in omnibus, quae agit, gubernant, mature coërcendi, prudenter dirigendi, et adhibito Sale pietatis et ſapientiae, debito modo temperandi ſunt. Hoc quidem fieri non poteſt ſine abnegatione ſui, quam Servator cum evulſione membrorum corporis comparat, et ſine crucifixione carnis. Sed o vere beatum illum, qui, amore Dei pio et ſpe viva futurae aeternitatis ductus, momentaneam voluptatem, quae cum neglectu officii coniuncta eſt, ſibi denegat, et ea, quae ſenſibus moleſta ſunt, dummodo benevolentiam Dei concilient, libenter perfert. Qui enim ſale hoc conditus eſt, eo ipſo intelligere poteſt, ſe a Deo deſignatum eſſe candidatum aeternitatis beatae.

INDICES.

Loci Literarum Divinarum, quibus lux affertur.

Geneſis.

III. 19 . . . pag. 369.
X. 4 . . . . . 19.
XIX. 26 481
XLI. 45, 50 . 20, 208—215.
XLIII. 32 . . . . 206.
XLV. 10 . . . 98, 99.
18 . . 112, 113.
XLVI. 20 . . 208 - 215.
28 . . . 95—97.
XLVII. 6, 11 113, 135, 207.
22, 26 . . 209.

Exodus.

I. 11 . . . . 135, 141.
IX. 1—20 . . 148 ſqq.
XIII. 17, 18 . . . 156.
XIV. 2, 9 . . 161, 162.
XIX. 3, 4 . . . . 57.
XX. 2 . . . . 223. 224.

Numeri.

XI. 5 . . pag. 116—121.
XIII. 23 . . . . . 102.
XXXIII. 3 . . 154, 155.

Deuteronomium.

VI. 11. } . . . 117.
VIII. 8. }

Liber II *Regum.*

XXIII. 5 . . . 40, 347.

Liber I *Chronicorum.*

I. 7 . . . . . 19.

Iob.

XII. 16, 17, 19 . . 350.
XIX. 25. . . 357—392.

XXI. 18. } . pag. 338,
XXVII. 20 } 339.
XXXVIII. 32. . . 39, 40.

Pſalmi.

XXII. 9 }
XXX. 10 } . . . . 369.
LXXVIII. 12, 43. 20, 102—105.
LXXXI. 11 . . . . 105.
LXXXIV. 12 . . 407, 408.
LXXXVII. 4 . . . . 105.

Ieſaia.

XI. 11 . . . . . 19.
XIX. 11, 13 . . . 103.
XLIII. 23 . . . 8, 9.

Ieremia.

VII. 18 . . . . . 54.
XLIII. 13 . . . . . 139.
XLIV. 17 . . . . . 54.
30 . . . . . 211.
XLVI. 25 . . . . . 21.

Ezechiel.

XXVII. 12 . . . . . 19.
XXX. 15 . . . . . 21.

Hoſea.

XII. 1 118

Amos.

V. 25, 26. . . . 7 ſqq.

Nahum.

I. 6 . . . . . pag. 24, 25.
III. 8 . . . . . 21, 201.

Zacharia.

VI. 13 . . . . . 407.

Euang. Matthaei.

XII. 36. . . 424—457.

Euang. Marci.

IX. 49 . . . 458—485.

Acta Apoſtol.

VII. 42, 43. . 5 ac ſeqq.

Ep. ad Romanos.

I. 21. . . . . 450.

Ep. prior ad Corinthios.

XI. 25 . . . 411, 412.

Ep. poſterior ad Corinthios.

V. 1 . . . . . 367.

Ep. ad Epheſios.

V. 6 . . . . . 451.

Ep. ad Philippenſes.

IV. 3 . . . . . 414, 415.

Ep. ad Coloſſenſes.

II. 8. . . pag. 451, 452.

Ep. prior ad Timotheum.

VI. 20 452

Ep. poſterior ad Timotheum.

II. 16 . . . . . 452.
III. 8. . . . . 23, 24.

Ep. ad Titum.

I. 10 . . . . . 451.

Epiſtola ad Hebraeos.

IX. 15, 16, 17 pag. 402, 409—412, 421, 422.

Epiſtola Iudae.

vs. 9 . . . 389, 390.

Apocalypſis.

XIII. 8
XVII. 8 } . . 414, 415.
XXI. 27

* * *

Scriptores veteres Graeci ac Latini, qui illuſtrantur, emendantur, vindicantur.

Achilles Tatius pag. 32, 33.
Aelianus (apud *Euſtathium*) . . . 71.
Aelianus . . . . . 334.
Anticlides . . . 321, 322.
Antipatri Epigr. ineditum . . . 379, 380.
Antonini Aug. Itiner. 200, 330.
Antoninus Liberalis 326, 327.
Apollodorus . . . . 325.
Appuleius . . . 307, 350.
Ariſtides . . . 100, 195.
Artapanus . . 191, 192.
Arrianus . . . pag. 346.
Athanaſius . . . . 343.
Athenaeus . . . 120, 121.
Auguſtinus . . . . 416.
Cato de R. R. . . 119.
Celſus (apud *Origenem*) . . . 113, 173.
Cicero . . . . . 447.
Clemens Alexandr. 272, 321.
Clemens Romanus 359, 360.
Damaſcius . . . . 329.
Diodorus Siculus 27, 28, 29, 92, 93, 100.
Domitius Vlpianus (in Col-

Coll. LL. Mos. et Rom. . . pag. 278, 279.
Epicharmus . . . . 314.
Epiphanius . . 261, 262.
Eratosthenes . . . . 197.
Etymologicon Magnum . . . 68, 196.
Eudoxus . . . 254, 255.
Eusebius . . . . . 220.
Eustathius . . . . 213.
A. Gellius . . . . . 93.
Geminus . . . 254, 255.
Herodotus . . . 60, 61, 171, 223, 224, 242.
Hesychius . 196, 368, 399.
Homerus . . . . . 370.
Horapollo . . . 248, 249.
Inscriptiones Antiquae 342, 349, 350.
Interpretes V. T. Alexandrini . 17 sqq., 98, 99, 191, 364, 400.
Fl. Iosephus . . . . 329, 341.
Irenaeus . . . 273, 456.
Iuvenalis . . . . . 256.
Leo Africanus . . 56, 192.
Lucianus . . . . . 67.
Macrobius . 245, 246, 248, 268.
Martialis . . . . . 164.
Martianus Capella 211, 212. 341.
Maximus Tyrius . . 352.
Mochus . . . . . 311.
Origenes . . . . 113, 173, 448.
Orion Grammaticus . pag. 36, 311.
Orpheus . . . 397, 398.
Philo Iudaeus . . . 213.
Plato . . . . . 58, 59.
Plinius . . 100, 109, 110, 140.
Plutarchus . 46, 53, 70, 131, 194, 214, 255, 257 — 262, 282, 283, 288 — 290, 300, 312, 314, 322, 323, 37, 338, 343, 344, 449.
Porphyrius . . 313, 322.
Priscianus . . . . . 43.
Proclus . . . . 65 — 68.
Propertius . . . . . 333.
Ptolemaeus . . . . 271.
Sallustius . . . 477, 478.
Statius . . . . . 251.
Strabo . . 61, 69, 70, 99, 120, 351, 352.
Suidas . . . . . 318.
Syncellus (*Georgius*) 193, 264.
Tatianus . . . . . 353.
Tertullianus . . 284, 285.
Trebellius Pollio . . 285.
Vlpianus. Vid. *Domitius*.
Varro 44
Virgilius . . . . 93, 94.

* * *

Voces Hebraicae, Graecae, vel peregrinae apud ſcriptores Graecos, quae explicantur.

אחרון . . pag. 390, 391.
אחם . . . 157, 158.
ברית . . . 400, 418.
גשן . . . . 187 ſqq.
ד et ך permutatae 14, 24, 25.
זית . . . . . 117.
ימסוף . . 162—166.
ירד . . . . . 97.
כהן . . . . . 210.
כיון . . . . . 13 ſqq.
מצרים . pag. 187, 188.
סופה . . . . 338, 339.
סכות . . . . . 157.
עלה . . . . . 97.
עפר . . . . 365, 366.
צפון . . . . . 162.
קום . . . 371—375.
קדים . . . . . 337.
ך ac ל permutantur 14, 24, 25.
שוא . . 442, 443, 450.

Ἀμφιβαίνειν pag. 376—380, 382—385.
Ἀργός . . 426—449.
Ἀρτάβη . . . . 43.
Ἀτάρβηχις . . . . 60.
Αὔαρις . . . 353, 354.
Ἄχι, Ἄχει . 159, 160.
Βαδδίν . . . . . 18.
Βένδις } . . . 68.
Βενδίαιος }
Βύσσινα . . . . 18.
Δαίμων . . . . . 317.
Διαθήκη . . 393—423.
Διατίθεσθαι . 396, 397.
Ἐπίπνοια . . 340, 341.
Ἐπιβαίνειν 376, 384, 385.
Θεός . . . . . 345.
Ἱερὰ νόσος . . . 318.
Ἱερεὺς pro Ἀρχιερεύς 213, 214.
Μέλκαρθος . . . 220.
Νηίθ . . . . 58, 59.

Oi-

Οἰφίν . . . pag. 335.
Πᾶς, totus. 468, 472, 473.
Παμβώ 318,
Περιβαίνειν . 376—380, 382—385.
Πολιοῦχος . . . 335.
Πυρία . . . . 460.
Σάρι . . . . . 66.
Σεληνιαζόμενος pag. 318.
Σήθ . . . . . 40.
Συνθήκη . . . . 401.
Σῶθις . . . . . 40.
Ταρίχευσις } . . 478.
Ταριχευτής }
Τροφήναι . 397—399.
Φάνης . . . . . 43.

* * *

Res praecipuae, de quibus dictum.

Aegyptiorum Dii . pag. 5—72, 196 ſqq, 232 ſqq., 311—354 paſſim.
Dies feſti quoque anno, 229 ſqq., 274—308
Sacerdotes 210, 214, 348 ſqq.
Prophetae 348—350.
Reges 27—29, 334, 335.
Claſſes variae 348.
Anni tempeſtates . . 230.
Dialectus Thebaidica et Sacra 43, 63, 193, 352.
Alexandri M. commoratio in Aegypto 343, 344.
Ammon . . . pag. 21.
Anni tempeſtates tres 230.
Anubis . . . . . 249.
Apis . . . . . 46.
Aqua initium rerum 315.
Arabum nomine dicti Aegyptii . . 99, 100.
Aries . . . . 240, 241.
Arpenodaptes . . . 350.
Athor . . . 36, 60, 311.
Baalzephon . . 161, 162.
Babylon Aegyptia. . 180.
Bembina Tabula 227—273.
Bembus (Petrus) . 227.
Beſa, numen . 61, 62, 342.
Cahira vetus . 178—180.
Cebus. Vid. Cynocephalus.
Chriſti nativitas, miraculum primum, baptismus et mors dicuntur accidiſſe d. VI Ianuarii . . . 264, 265. 272, 273.
Ciborium . . . . 353.

Circumcisio Arabum et Aegyptiorum . pag. 342.
Cochome s. Cochone 193 sqq.
Coelum ipsum dicitur canere . . . 346, 347.
Cynocephalus . 239, 240, 250, 253.
Dies Aegyptiaci in Kalendario Romano non sunt dies infausti et nefasti, sed festi, Romae ab Aegyptiis celebrati . . 274—308.
Diminutionis, Μειότητος, figura . . . . . 441.
Diospolis . . . 21, 22, 201.
Enallage numeri 470, 471.
Etham . . . 157—159.
Faba Aegyptia . . . 353.
cus in Aegypto 118, 119.
um, Heracleopolis 122 sqq., 147, 172—177.
n, ubi sita? unde ? . . . 77—224.
roth . . 159—161.
Harpocrates . 244, 245.
Heliopolis. Vid. *On.*
Heracleopolis et Nomus Heracleopolites . 108 sqq.
Hercules Aegyptiorum et Graecorum, sed ille diversus . 196 sqq, 213 sqq., 237, 238.
Heroopolis . . . . 86.
Homero et Scriptoribus V. T. quaedam genera loquendi communia . . . . 386, 387.
Horus . . 233—238, 244 sqq., 326.
Hydriae fictiles . . . 340.
Iannes et Iambres . 23, 24.
Ianuarii mensis dies sextus valde memorabilis . . pag. 261—266, 271—273.
Idololatria Aegyptiorum antiqua . . . 204 sqq.
Iosephus Patriarcha 172—181.
Iseorum festa . 254—256.
Isiaca Tabula . 227—273.
Isis . . . pag. 52—55, 236, 247, 321, 331.
Isidis Navigium, dies festus in Aegypto . 305—307.
Kalendarium Romanum antiquum . 274—308.
Lentes Aegyptiacae . 90, 93, 94.
Letopolis . . . 180, 181.
Lothi uxor, quo modo in columnam salis conversa . . . . . 481.
Lotus . . . . 327, 328.
Lunae cultus . . 253, 331, 332, 345.
Manichaei Haranitae . 332.
Mare Rubrum . 162—166.
Mathematici, quorum mentio in L. L. Romanis . . . 278—280.
Memphis . . 130—133, 142—144, 178—181.
Mensis pro deo habitus 69—71.
Mesre, Cahira vetus 178—180, 296.
Metempsychosis . . 313.
Migdol . . . 161, 189.
Miraculorum vis et usus 454.
Mnevis . . . . . 46.

Moloch . . pag. 38, 39.
Mortuorum cura ſemper habita . . . . 381, 382.
Neith . . . . 58, 59, 209, 214, 316.
Neocori . . . 349, 350.
Nilometrium . . . . 335.
No-Ammon, Dioſpolis 21, 22, 201.
Oliveta in Aegypto 117, 118.
Omnis, pro totus, integer . . . 469, 470.
On, Heliopolis 20, 23, 86, 100, 128—130. 138—140, 182.
Onyphis . . . . . 47.
Oryx, animal Aegypt. 233—335, 325.
Oſiris . . . 52—57, 194, 232, 247, 263, 318—320.
Ovum, principium rerum . . . . . 315.
Pacis . . . . . 47.
Paremphis . . . . 63.
Paſtophori . . 350, 351.
Paſtorum nomine dicti Hebraei . . 136, 137.
Peluſium . . . . . 99.
Perſarum ludi et feſta 286—288.
Phacuſa . . . . 89, 90.
Pharao . . . . 128, 129.
Phioum. Vid. *Fioum.*
Phoenix . . . . 238, 239.
Phrygum ſacra 284—286.
Pignorius (Laur.) 228 ſqq.
Pihachiroth . 159—161.
Pithom . . . . . 158.
Planetarum nomina, falſo dicta Aegyptia 30 ſqq.
Potiphera . . 210—215.
Prophetae Aegyptiaci pag. 348—350.
Pyramides . . . 171, 177.
Pythagoraeorum doctrina de numeris 352.
——— ——— ὑποθήκαι 398.
Rahab . . . . . 105.
Rameſſe, urbs . 135, 137—140, 154.
Ramſes, regio 134—137, 154.
Remphah . . . 5—72.
Remphis . 27—29, 63.
Sabazius . . . . . 68.
Sabii . . . . . 350.
Sacerdotum dialectus ſacra . . . . . 353.
Sahidica dialectus . 43, 63, 193.
Sal Sodomiticus 479—481.
Salis uſus in ſacrificiis 475, 476.
——— in condiendis cadaveribus 478, 479, 482.
Scete ſ. Scetis . . 189.
Servorum numen tutelare . . . . . 223.
Sinear, Babylonia . 19.
Siſtrum . . . . . 246.
Sol, numen praecipuum 219—223, 345.
Stoicorum ſophismata 447, 448.
Succoth . . . . 157.
Syringica Terra . . 341.
Tacona . . . 200, 201.
Tanis Vid. *Tſoan.*
Tharſis . . . . . 19.
Thebae pro tota Aegypto . . . . . 105.

Theraphim . . . pag. 19.
Tithrambo . . . . . 37.
Tſoan . . . . 20, 101 — 104, 189.
Ventorum ratio in Aegypto . . . 336 ſqq.
Vinum et vites Aegypti pag. 119 — 121.
Zachlas . . . . . 350.
Zacori iidem qui Neocori 350.
Zodiaci ſigna XII honore divino culta . . . 347.

Menda operarum ſic corrigenda.

Pag. 103. *l.* 26.	Ps. LXXXVIII	*lege* LXXVIII.
240. *l.* 7.	exidere	— excidere
— (*)	explanatur	— explanantur
396. *l.* 5.	Διατίθεβαι.	— Διατίθεσθαι
417. *l.* 26.	heretici	— haeretici
434. *l.* 15.	namqne	— namque

Reliqua, aut eiusdem generis, aut etiam graviora, quae forte occurrant, Lector attentus ac benevolus emendet. — Cum iis autem, quae de יהוה ſive Tani p. 20, 101 — 104, 189, dicta ſunt, comparetur annotatio viri eruditiſſimi in Commentariis Societatis Literariae Aſiaticae Bengalenſis (Récherches Aſiatiques) tom. I p. 267, 268, nuper admodum in urbe Pariſienſi editis.

00048642

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 04 January, 2016